
Dp 151


Dp 151

MARTINI CROMERI MONACHVS,

SIVE

COLLOQVIORVM DE RELIGIONE LIBRI QVATVOR, binis distincti dialogis.

QVORVM TRES PRIORES AB *authorē sic nunc aucti & recogniti sunt, ut meritò noui dici queant: Quibus quartus totus iam recens accessit.*

CVM INDICE LVCVLENTO.

De 420



Collegii Brauasbergensis
Soc. Jesu

15 68.

Ex libris
Nr Dp 151

COLONIAE,
APVD MATERNVM Cholinum.

Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.

~~Ex libris M. Iacobi Schröteri~~
~~Ppli Gui Consult. Rom.~~

PIVS PAPA IIII.

Dilecto filio Martino Cromero Canonico Cracouien. Ser. Regi Poloniæ à Secretis.

DIlecte fili, salutem, & apostolicam benedictionem. Libellum tuum de cœlibatu sacerdotum, nuper abs te editum, nobisq; oblatum, libentissime accepimus. In quo cùm ingenium, & eruditionẽ tuam uehementer probauimus, tum animum pium, & egregium studium erga religionem Catholicam cognouimus. Quod tantò magis in Domino laudamus, quantò talium uirorum maiorem hoc tempore penuriam esse scimus. Sed quò pauciores tui similes in isto regno reperiũtur, hoc tu maiori bonorũ omniũ laude, & beneuolẽtia dignus es. Hortamur, ut sicut instituisti, quãto maximo potes studio talibus scriptis catholica dogmata & instituta Ecclesiæ aduersus hæreticos tueri, & talẽta, quæ à Domino accepisti, diligẽter exercere perseueres: facturus in eo nobis quoq; gratissimum, quos, idonea occasione oblata, meritorum tuorum memores esse cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die IX. Martij M. D. LXV. Pontificatus nostri Anno sexto.

BIBLIOTHECA LYCEI REGII HOSIANI

AD

Bibliothecae Seminarii Vermiensis — Olsini — EX LIBRIS

AD PIVM EIVS NOMINIS QVINTVM PONTIFICEM MAXIMVM

MARTINI CROMERI *PRAEFATIO.*

IAM INDE AB initio generis humani conditi, Pie pontifex max. ex quo Deus optimus max. ecclesiam sibi in terris ædificare orsus est, Satan felicitati & saluti hominum, qua ipse sua culpa excidit, inuidens, semper quidem eam omni ratione oppugnauit, ac diuexauit, nunquã tamen atrocius, quàm extremo hoc tempore, quo solutus omnino, vt credere fas est, vinculis præpotentis Dei, omnes suas vires exerit, omnesq; artes ac dolos expedit, vt eam prorsus deleat, instrumentis ad id vtens non iam

vno, aut altero, sed magna perditorum & improborum hominum turba: Qui speciem quidem pietatis obtendentes, virtutem autem eius abnegantes, nō habent satis, q ipsi pereant, nisi quamplurimos in idem præcipitium & interitum secum trahant, ecclesiamque ipsam non iam tecto ac parietibus denudēt, sed fūditus, quantum in ipsis est, subruant, nihil nō molientes, & velut Prothei in varias formas, eius, cui se deuouerunt, exēplo & astu sese transformantes. Ab vno enim fonte Martino Luthero exorti nostra memoria, & pestilentibus opinionibus imbuti, ac temeritate audaciaq; impleti, nihil non ausi sunt postea: illoque post se relicto ac deserto, vel damnato etiam, magis ac magis in impietate progrediuntur, nec vllum ferè sacrosanctæ Christianæ religionis dogma & institutum intactum relinquūt: Et ex vno terræ angulo digressi, his 50. fermè annis exitialia venena in plerosq; omnes Europæ populos diffuderunt, atq; etiamnūc diffun-

fundere non cessant, ita vt Ecclesia Christi ad paucos redacta, & vehementissimè exagitata, & conquassata, in summum discrimen adducta esse videatur. Sed nõ deest ei tamen diuinum Christi ipsius cõditoris & moderatoris præsidium. Qui in extremas, & maioribus nostris incognitas, latè patentis orbis terrarum gentes, regiones, & insulas per pios homines mirificè eam propagat, ingratitudinis aduersum se quodam modo nos arguẽs. Nec tamẽ nos derelictui prorsus habet. Excitauit enim in qualibet fermè gente nonnullos pios viros, cùm literarum & bonarum artium scientia, tum sacra veræ pietatis & rectæ religionis doctrina instructos, qui nõ modò suis ciuibus, verumetiam externis ac longè disitis hominibus & populis salutaria pharmaca & antidota aduersus pestilentia & venenata cuiusq; modi dogmata, scriptis iuxtà ac viuis vocibus cõtemperarent. Polonia nostra, cùm propter insitum genti pietatis studium, episcoporum & sacer-

dotum superioris temporis diligentiam, & optimi regis Sigismundi authoritatẽ diu integra & incorrupta mansisset, ante viginti demum annos nouis ac peregrinis doctrinis è finitima Germania vix & leuiter primùm afflari, deinde verò maiori impetu abduci cœpit. (Quanquam ita tamen, vt adhuc audacia, non etiam multitudine superent catholicos hæretici.) Atque ex eo tempore nec ipsa suis quasi medicis caruit, viris excellentibus quidem illis doctrina iuxtà ac pietate, sed qui docendo modò irrepentia, ac necdum radicata aut inueterata mala depellerent vel propellerent. Quorum nec benè merendi de Ecclesia Dei studiũ ad multos dimanare potuit, & memoria simul cum ipsis fermè intercidit. Qui verò literis & memoriæ mandaret aliquid eiusmodi, nemo, quod equidem sciam, extitit, præter virum doctissimum pariter & pientiss. Stanislaum Hosium, tunc Culmen. nunc verò Varmien. episcopum, & S.R.E. Cardinalem. Qui

rogatus ab Archiepiſcopo primate, & Synodo prouinciali, latino ſermone breuem catholicæ fidei confeſsionem conſcripſit: Poſteà verò, cũ per omnes Chriſtiani orbis prouincias ea diuulgaretur, certatim q; & cupidè ab omnibus expeteretur, & compararetur, & in alias etiam linguas transfunderetur, auxit & perpoliuit. Adiecit idem & alia quædam minora, ſed non minus præclara, & retegendis ac refellendis hæreticorum fraudibus accommodata opera: Ita vt hic vnus nobis inſtar multorum ſit. Sed cùm vulgus noſtratium hominum nihil haberet eiuſmodi, quo aduerſus profanas nouitates præmuniretur, per idem tempus ego quoque pro virili mea portione ſaluti patriæ conſultum cupiens, licet tanto oneri impar, quatuor de vera & falſa religione dialogos ſiue colloquia vernacula lingua, & pingui, quod aiunt, Minerua contexui. Quorum primo noua, turbulenta, falſa, cum verbo Dei pugnans, impia, varia, nec

sibi ipsi constans, Euangelicorum (quod nomen plerique omnes nostri temporis hæretici libenter vsurpant) doctrina esse demonstratur. Secundo, vnde vera de religione Christiana doctrina petenda & haurienda sit, ostenditur. Tertio ecclesia dei, salutaris doctrinæ promptuariũ, suis notis describitur, & quasi coloribus depingitur. Quarto quatuor genera doctrinæ ecclesiasticæ, moribus & institutis eius ipsius ecclesiæ, Conciliorum decretis, SS. patrum scriptis, & pontificũ max. sanctionibus comprehensa, petractantur: sermonibus Monacho & Aulico attributis. Indeq; liber mox Monachi nomen vulgò adeptus est, licet id inscriptio præ se non ferret. Ac neque nomen meum tunc is præ se tulit certo consilio. Quem is fructũ nostris hominib⁹ attulerit, nescio. Cæterũ cũ vulgatũ esset, à me eũ scriptũ esse, & multi latinũ eum expeterent, post octo vel nouem annos vacationem ab aulicis inclyti & clementissimi regis mei Sigismundi Augusti ministerijs,

sterijs,& ociũ nactus,satis facere hominum desiderio studui, & latina ciuitate eum donare instituí: Non sic tamen, vt me legibus interpretis adstringerem,sed vt libertate authoris vtens,eum expolirẽ & illustrarẽ,adderẽ, demerẽ,transferrẽ, mutarem,quę viderentur,idęa operis salua.Stylum autem sic attemperaui,vt is & captui multorum,& rei subiectæ,quoad à me præstari potuit,conueniret.Nec tamen opus inchoatum Cracouiæ absoluere potui,ad laudatiss. D. Ferdinandũ, tunc regẽ,paulò pòst Imperatorẽ Rom. electũ à rege meo suprà memorato decimum,ni fallor,allegatus. In qua legatione cùm in septimum annum hærerẽ, cùm aliorum piorum hominum & amicorum,tum ornatiss. virorum, meiq; amantissimorũ, Ottonis Truchsesi,& Iacobi Putei Cardinalium hortatu tria prima colloquia in lucem edere non distuli.Quæ Otto idem, non sine honorifica nominis præfatione mihi nominandus, in oppido suo Dillinga Augustanæ dioce-

ceſeos (vbi præclaram Academiam permagno ſtudio & impendio inſtituit) excudi, atq; etiam in Germanicam linguã transferri curauit. Quartum abſoluere tunc non potui, publicis & regijs negocijs atq; peregrinationibus cũ illo ipſo pientiſs. Cæſare, & ſapientiſs. filio eius, iam in imperio iuxtà ac in regnis ſucceſſore, Maximiliano per Boëmiam, Germaniam, & Vngariã peragendis impeditus. Et erat à Pio quarto Pontifice maximo Concilium Tridentinum inſtauratum, cuius actiones ac decreta magna me laboris parte leuare poterant. Interea verò, cùm noui ſubinde libri ab hæreticis euulgarentur, tempuſque, & aſsidua cum omni gènere hominum (vt fit in aulis magnorum principum) conſuetudo aliquid inſtituto noſtro aptum identidem mihi ſuggereret, reſumpſi opus in manus. Reuerſuſque in patriam, recognoui iterum atque iterum, & fuſius explicaui, ſic vt è ſingulis colloquijs bina facerem, eadem, qua prius, liber-

tate

tate vtens. Dediq; operam post finitu Concilium, vt etiam in quarto libro absoluendo fidem meam apud pios liberarē. Et addidit mihi calcar optimus pontifex Pius quartus, antecessor tuus, per benigna epistola sua : Cuius exemplum hîc adieci. Ne igitur deessem benigni pontificis hortatui, & vt in sartatecta templi dei, quod tam immaniter ab hæreticis indies magis ac magis diuexatur, laceratur, ac diripitur, si non quantum volo, certè quantum possum, primo quoq; tempore conferrem, acceleraui hanc tertiam editionem, licet etiamtum partim peregrinationes quædam necessariæ, partim aliæ lucubrationes, nec ipsæ ferè ab hoc instituto nostro abhorrentes, me subinde interpellarent ac retardarēt. Tibi verò Pie quinte pōtifex max. in primis opus hoc dicandum esse iudicaui, cùm quòd Pius Pio successisti, qui ei renascenti fauore suo quasi obstetricatus est, tum quòd id, Cardinalis cùm esses summa in-

quirendi in hæreticos potestate prædi-
tus, tenerum etiamdum ac rude è priore
editione legisti, & sicut accepi, non im-
probasti: Nempe vt nunc adultum nomi
nis dignitatisq; tuæ splendore, & cathe-
dręistius apostolicæ, in quã summo am-
plis. collegij consensu ante vnum annũ
sublatus es, Maiestate tueare. Sic enim
libro non parum cõmendationis & gra-
tiæ accessurũ est apud eos homines, qui
à recta religione & ecclesia catholica a-
lieni non sunt. Quin & apud eos, qui se
ab ea, & à Petri cathedra errore, non im-
probitate segregarunt, plus ponderis, ni
fallor, is habebit nominis tui præsidio:
Cuius summa pietas, cùm antea satis spe-
ctata omnibus, tum in isto honoris ac di-
gnitatis fastigio spectatissima, mirifico
ac serio iuuandæ, & pristino nitori resti-
tuendæ ecclesiæ Christi studio incitata,
magnam rerum meliorum spem præbet
orbi Christiano. Præsertim cum non a-
liũde, vt fieri solet, sed à te ipso, tuisq; do
mesticis, & aulæ curięq; quasi penetrali-
bus

bus repurgationem, siue, vt vsus dici obtinuit, reformationem ordiaris, quo facilius inde, tanquam à fonte, quoquouersus ea sese diffundat. Quæ sanè vna, & imprimis expedita ecclesiæ repurgandæ & recreandæ ratio videtur esse, non modò à pijs, verumetiam ab ijs, qui non prorsus impij sunt, hactenus magnopere expetita, impijs verò hæreticis, licet diuersum ij præ se ferant, reformidata. Multorum enim animos ab ipsis alienat, aut nutare duntaxat facit & labascere. Ac proinde ea nõ sine gaudio & admiratione bonorum cordatiorumque suscipitur. Atq; hæc mihi reputanti, auxit fiduciam propensa in me tua voluntas, & non incommoda de me opinio. De qua mihi indicauit vir omni doctrinæ genere præstans, Iulius Ruggerius, Abbas & protonotarius Apostolicus, & ad eum ipsum, quem dixi, S. regem meũ Legatus tuus. Cõfirmant etiam amplis. & omni laude cumulatorum virorum, Ioannis Moroni, Alexandri Farnesij,

&

& Ioannis Franciſci Comendoni, epiſcoporum, & presbyteri S. R. E. Cardinaliũ ad me epiſtolæ, & ſermones cum amicis meis habiti: Qui ipſi antiſtites, vt arbitror, qua ſunt in me animorum propenſione, gratiæ mihi conciliatores apud te fuere. Probauit autem conſiliũ hoc meũ Poloniæ noſtræ decus Stanislaus Hoſius noſter Cardinalis Varmienſis: Cuius ego iudicio plurimum tribuo: Quod itidem omnes faciunt, qui à ſtudijs doctrinę & pietate alieni non ſunt. Hæc igitur mihi incitamento fuere, vt dignitatẽ & ſublimitatem tuam non reueritus, nec obtrectationes inuidorum vel malignorum magni faciens, tuo nomini potiſsimũ opus renatũ dedicarẽ, aut (vt ſolẽt operæ & baiuli architectis & fabris ędificãtibus materiã & inſtrumẽta) offerrẽ, tua cẽſoria virgula vel approbandũ, vel reprobandũ. Accipies igitur Pie pontifex vultu ſereno hoc munus, non te quidem dignũ fortaſſe, nec ingenio, ſed diligentia tamen curaq; nonnulla elabo-

ra-

ratum. Memineriſq; id à Polono Polonis, aut alijs etiam fortaſſe Septentrionalibus populis pingui, quod anteà dixi, Minerua ſcriptum eſſe. Ac de opere ſtatues tu quidem de cathedra iſta, quod videbitur: Confidẽtiæ autem in te compellando meæ clementer ignoſces: Studium certè & conatum noſtrũ iuuandæ Chriſti eccleſiæ non improbabis, ſat ſcio. Heilsbergæ in Pruſsia,

XV. Kal. Ianuar.

1566.

ARGVMENTA LIBRORVM.

Primus, de falsa nostri temporis Euangelicorum religione.

Secundus, de vera Christi religione, vnde ea petenda sit, seu de verbo dei.

Tertius, de Ecclesia, & notis eius.

Quartus, de doctrina ecclesiæ, & fontibus eius: deq; Conciliorũ & pontificum Romanorum Decretis.

MARTINI CROMERI COLLOQVIORVM DE RELIGIONE LIBER PRIMVS.

Qui est:
De falsa nostri temporis Euangelicorum doctrina
Libri primi colloquium prius.

Collocutores.
AVLICVS ET MONACHVS.

AVLICVS. Heus tu lupe, Pharisæe. MONACHVS. Me hic appellat. Apparet esse aulicum, & quidem infectum labe Lutherana. AVL. Monache, monache. MON. Solet nobis esse molestum hoc genus hominum: Sed respondebo tamen ei. Me vocas, bone domine? AVL. Quasi non audias, vel non intelligas. MON. Mirificè me appellas. AVL. An non verè? Quin tu Pharisaicum

istum cultum corporis pariter cum superstitionibus abijcis, & Euangelium amplecteris? Satis diu orbem terrarum vnà cum Papis & episcopis vestris, & vniuersa sacrificorum turba dementastis, & gloriam dei ac beneficia Christi propter emolumenta vestra obscurastis. Hominibus clauditis regnum cœlorum: vos ipsi non introitis, neq; quenquã introire patimini: & ocioſi eleemosynis, & graui nostro, miserorumq; agricolarum, & adscriptitiorum nostrorum sudore vos cum scortis & nebulonibus saginatis. MON. Vel teipsum tamen, si me non dignaris, reuerere. AVL. Vera loquor. MON. Istiusmodi sales peperit nouum istud Euangelium, amaros & inuerecundos. AVL. Amara est veritas. MON. Quid vos aulici & militares homines? An non monstrosius histrionum in morem, & subinde nouè culti inceditis? Facitis ne autem officium vestrum? aut recte´ne facultatibus vestris vtimini? Nihil´ne auarè, iniurioſe, superbè, nequiter, petulanter, luxurioſe, & improbè agitis? AVL. An non nimium istud est Monache? MON. Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet. Neq; ego tamen hæc omnibus vobis impingo. Sunt multi honesti, probi, & graues aulici atq; militares homines, quos par nõ est improborũ & nequiter

Math. 23.

Sales Euãgelicorũ.

Aulicorũ mores.

ter viuentium culpam sustinere. Itidem vicissim aulicos de sacerdotibus & Monachis sentire, videlicet quòd non omnes eiusdem modi sint, simulque manticam, quæ intergo est, inspicere æquum esset. AVL. Sed nos tamen nostra prodigimus: vos egenorum frusta, & adscriptitiorum nostrorum sudorem. MON. Eum ipsum sudorem vos quoq; prodigitis, & quidem cum sanguine expressum. Magis quidem deceret, fateor, sacerdotes rectè dispensare ea, quæ ipsis non modò sua ipsorum, sed etiam egenorum causa diuino munere, & piorum hominum pia beneficentia attributa sunt & concredita, vósq; profanos. AVL. Hem, profanos etiam nos vocas? MON. Quid ni? quando aliud nomen latinum non succurrit, quo vos, qui fanorum & sacrorum ministeriis addicti non estis, appellem. Nam laicorum quoq; nomen, recentioribus Græcis & Latinis non inusitatũ, minus æquis auribus admittitis. Seculares vulgus vocat. Vtamur autem eo vocabulo, si id magis allubescit. Magis, inquam, deceret, parque esset, sacerdotes vobis secularibus ad rectè dispensandum facultates proprias, & honestè pieque viuendum exemplo suo præire: quippe, qui sal terræ, & lux mundi esse debeant. Sed vnusquisque onus suum

Sacerdotes quid deceat.

Profanus.

Laicus.

Secularis.

Math. 5.

Gala. 6.

Roma.14. portabit, & ipse pro se Deo rationem reddet. Tu qui es, qui alienum seruum iudicas? Domino suo stat aut cadit: quemadmodum scribit Paulus. AVL. Licet tamen nobis vos admonere, secundum illam scripturam:

Eccles.17. Vnicuique mandauit Deus de proximo. MON. Perpulchra verò admonitio, conuitiari, & probris afficere, ne dicam pugnis contundere, aut etiam mulctare decimis, bonis, & facultatibus, sicut faciunt nonnulli: qui, dum in sacerdotum & monachorum auaritiam inuehuntur, idem faciunt, quod præfectus ille militaris, de quo dicere solet Stancicus morio. Qui cum militem anserum prædam agentem alta voce increparet, pressius, duos sibi ad iugum sellæ equestris porrigi, iubebat. Scilicet abominamini auaros, quod vulgò dicitur in prouerbio, quemadmodũ fœneratores Iudæos. AVL. Quid mirum, quando summis satrapis vos exæquatis, & rege ipso ditiores atque locupletiores estis, qui dudum plerique pares, aut etiam inferiores nobis, ne dicam mẽdici, fuistis. MON. Hinc illæ lachrymæ. AVL. Sed non moramur tamen istas tam inuidiosas opes, ac decimas, neq; alia emolumenta vestra. MON. Istud quidem iactabatis & recipiebatis, siue adeo nobilitas vniuersa iactabat & recipiebat

Lutheranorum monita qualia.

Stancici facetum dictum in auaros.

Euangelicorum pietas

bat antehac publice etiam in comitijs regni per nuncios suos, si modò non abutebantur ij munere & nomine suo cùm in eo, tum in omni actione de religione: quemadmodum non semel diserte eis in senatu à grauibus viris & consiliarijs regijs obiectum est. Sed consentanea sunt promissa illa, ac bona & militaria verba, quæ subinde in ore habetis, euangelio isti vestro, ac verbo, quod dominicum vocatis. AVL. Ista quidem insignis contumelia est. MON. Non putent hæc de se dici, qui tales non sunt, quíq; talium facta ac dicta non approbant. Sed si verum fatendum est, plerique omnes aliud euangelium linguis crepatis, aliud factis profitemini. Tametsi eo iam progressi estis, vt nec linguæ ferè à factis discrepēt. Quale enim est illud, quod passim in ore habetis? Perinde esse, sacerdoti sua eripere, ac lupæ catulos è lustro sustollere. AVL. Per me sanè quæratis, vtamini, & abutamini licet arbitratu vestro, modo nos verbo Dei ne arceatis, si docere ipsi nos id non dignamini. Humanis traditionibus atq; diabolicis superstitionibus ne nos deinceps, quasi naso tractos, seducatis. Pax. Iam errorem nostrum deprehendimus, & veritatem agnouimus, quam vos occultabatis. Iam nobis Lutherus oculos ape-

ruit,& impoſturas peruerſitatemq; veſtram retexit. MON. Arbitrabar me cum Chriſtiano,ac non cũ Lutherano loqui. AVL. Quid? Lutherus non fuit Chriſtianus? Te quidem melior: qui hypocriſi & ſuperſtitionibus veſtris reiectis, puram putam veritatem orbi terrarum patefecit. MON. Equidem à filio Dei Chriſto domino iam pridem eam patefactam eſſe exiſtimaui. AVL. Sic eſt: verum vos monachi cum ſacerdotibus, epiſcopis,& papis eam poſteà ſuppreſſeratis. Lutherus eam denuo de tenebris erutam, orbi terrarum protulit. MON. Ergo ne Lutherus tibi ſpiritus ſanctus eſt, quem filius Dei poſt ſuum è mundo diſceſſum miſſurum ſe eſſe pollicitus eſt, vt nos doceret omnem veritatem? Quemadmodum de Mõtano diſcipuli eius Cataphryges, ac Manichæi quoque de ſuo præceptore longe ante mille annos affirmarunt. AVL. Iocaris tu quidem: ſed impie. Nõ erat ſpiritus ſanctus Lutherus: ſed ſpiritu ſancto illuſtratus, verbum Dei germanè intellexit, & rectè docuit: Et fuit reuerà homo Dei. MON. Scilicet: Precioſus: & Propheta. Nec is quilibet de fæce vulgi, ſed Elias: Et quidem tertius vel poſtremus. Sic enim eum ſues (ſui dicere volebam) appellant. Et ſanè ſimilem illi exitum habuit, niſi quòd cadauer

Lutherus qui fuerit.

Cataphryges.

Manichæi.

Sax. theol. ad Naumburgen. conuentũ.

Lutheri mors.

uer tamen eius post conuiuium nocturnum, in quo fuerat hilarior, in lecto repertum est. Credibile est, ab eo enectũ esse, de quo ipse scripsit alicubi: Vsu venire quandoq;, vt post nocturnam cum cum eo collationem homines postridie mortui reperiantur. Talis igitur est vester iste Elias. Ipse quidem Euangelistam se dicere maluit. Sectatores & admiratores eius pleriq; doctrinam eius omnium sanctorum patrum, conciliorumq; doctrinæ longissime anteponi oportere affirmant, & tantum non pro Christo deoq; cum colunt, omnem alioqui sanctorum, vel vt ipsi incircumcisis labijs loqui solent, mortuorum hominum cultum perinde ac idololatriam detestantes. AVL. Ista vero insignis est calumnia. MON. Non est. Audi quæso. An non habetis omnes Romanum pontificem, qui idẽ maximus, & papa est, pro ipsissimo Antichristo? AVL. Sic est. MON. Quam verè, nunc no disputo. Sed illud abs te quæro. An verè scripserit D. Paulus de Antichristo: quòd eum dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. AVL. Verissime. MON. At vos Lutherũ pro confectore Antichristi & euersore regni eius habetis, & hoc preconio dignantur eum passim in scriptis suis eruditiores discipuli. Quin vidi ego eum non nusquam non mo-

Luth. de missa angu lari.

De Luthero quid sentiant, Saxon. theolog. ad Naũburg. conuentũ.

2. Thess. 2.

do in priuatis ædibus, verumetiam publicè in templorum parietibus & honoratiſſ. locis depictũ cum hoc elogio, Peſtis eram viuens, moriens ero mors tua Papa. Quod ipſe ſibi epitaphium conſcripſiſſe memoratur. Alicubi quidem de eo opere feſtiuiſsimè gloriatur, ac tantum non triumphat. Eſt igitur iſtis atq; adeò uobis dominus Ieſus Lutherus, aut certe ſpiritus oris eius, quo papa, & vt vos dicitis, Antichriſtus tam lento mortis genere interficitur, vt ſpiret tamen adhuc: Ipſi verò Luthero cũ ſuis ſocijs & cõmilitonibus idẽ vſu venit, quod ijs, qui capitibus ſuis murum perfringere conantur. Sed mittamus hæc. Vis autem videre, Lutherum nihil minus, quàm Euangeliſtam, vel Prophetam, vel virum Dei fuiſſe? nec ſpiritum dei habuiſſe, ſed ſpiritum mendacij & vertiginis? AVL. Id quidem tu bullis vel decretalibus põtificijs, Epiſcoporumq; conſtitutionibus, aut ſcholaſticis ſophiſmatibus probare velles. Iam ea conticeſcunt. Sacris literis & verbo Dei probandum fuerit. MON. Ne illa quidem conticeſcunt, aut conticeſcent vnquam apud pios & veros Chriſtianos. Sed quando tu ita vis, probemus ſacris literis. AVL. Nunquam probabis. MON. Audi modò, & audi patienter, neq; ſtatim efferaris ira, aut ſermonem

Lutheri elogium.

Lutherus ſpiritu uertiginis præditus.

monem meum interrumpas, si quid displicebit. AVL. Fiet. MON. Sed secedamus illuc parumper, & consideremus. AVL. Placet. MON. Primùm, arbitror hoc te mihi concessurum esse, si Lutherus falsus Propheta est vel fuit, nihil eorum verè de ipso dici, quæ tam magnificè ipsi à suis tribuuntur, vel ipse sibi arrogat: nec esse doctrinam eius à spiritu sancto, sed ab illo potius, qui dixit aliquando: Ero spiritus mendax in ore Prophetarum eius. Tametsi hoc quoq; sacris literis possem euincere. AVL. Ista quidem propositio uera est, etiam sine testimonio sacrarum literarum. Sed Lutherum fuisse falsum Prophetam, id verò tibi probandum est. MON. Age. Non de solo autem Luthero loquamur. Quandoquidem in eadem causa sunt Zuuinglius, Carolostadius, Oecolampadius, Muncerus, Melanthon, Bucerus, Brentius, Vrbanus Regius, Osiander, Caluinus, Ochinus, Lascus, Seruetus, Gentilis, Vergerius, Stancarus, Sarcerius, Illyricus, Svuencfeldius, & quotquot Lutheri doctrinam amplexi, exẽplum´ue secuti, ab Ecclesia catholica sese hoc nostro seculo segregarunt, nouarumq́; & peregrinarum doctrinarum authores vel assertores extiterunt, pro verbo Dei & Euangelio vulgo eas venditan-

3. Reg. 22.

Lutherus & cæteri pseudoeuangelici sunt falsi Prophetæ.

tes,& Euangelici quàm Christiani dici malunt. Quid enim attinet omnem istorum colluuiem nominatim recensere? Vniuerse igitur ostendamus, eos spiritus sancti expertes, falsos prophetas,& seductores esse. Vnde autem id probabo, vt intra cancellas abs te mihi circumdatos maneam? Fit non rarò in sacris scripturis mentio falsorum, mẽdacium, & insipientium prophetarum. Nec signa omissa sunt, quibus eos à veris prophetis discernamus. Ac per Hieremiam quidem ita Deus ipse de eis loquitur: Falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, & non præcepi eis, neq; locutus sum ad eos; visionem mendacem,& diuinationẽ, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et alibi. Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Et mox: Non mittebam Prophetas,& ipsi currebant: Non loquebar ad eos,& ipsi prophetabant. Nec diuersum est ab his, quod cap. 29. dicit. Et apud Ezechielem: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Et paulò pòst. Vident vana,& diuinant mendacium, dicentes: Ait dominus, cùm dominus nõ miserit eos. Viden' hic falsos prophetas desi-

Falsi Prophetæ nota.

Hier. 14.

Ibidem 23.

Ibidem 29.

Ezech. 13.

designari eos, qui cũ à Domino missi nõ sint, nihilominus prophetant in nomine eius? An non apertè hic tibi designari videtur Lutherus, & quos dudum enumeraui, siue discipuli, siue æmuli eius vnà cum assectis suis? Cum enim Deus vel per se ipse, vel per ordinarios magistratus, quos posuit in grege suo regere ecclesiam suam, quempiam mittere soleat ad annunciandam hominibus volũtatem suam, sicuti Mosen quidem ipse per se, Aaronem verò per Mosen misit, ostendant isti, se vtrouis modo missos esse. Ac magistratus quidem Ecclesiasticos ij contemnunt penitus, & in ordinem cogũt, nihili facientes id, quod scriptũ est à Paulo: Quòd non est potestas nisi à Deo. Et alibi: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: tantũ abest, vt se per eos missos esse profiteãtur. Nisi fortè quãdo incondita multitudo, aut magistratus quispiam ciuilis, vel satrapa, triũue aut quatuor iugerũ dominus, exẽplo Ieroboam regis impij, vel Michæ illius, cuius mentionẽ facit liber Iudicũ, manum alicuius istorũ implet, & in vnũ aut alterũ annũ mercede eũ cõducit, vt fiat ipsi sacerdos & Propheta, eam esse missionẽ suam interpretantur. Sed ea qualis sit, suo fortasse loco demonstrabitur. Certè ipsi cùm iudicium de doctrina, & excõmunicatio-

Euangelici non sunt missi à Deo. Actor. 20.

Exo. 3.

Magistratus ecclesiasticos contemnunt. Rom. 13. Hebr. 13.

3. Reg. 13. Iud. 17.

Ministrorũ ecclesiæ missio legitima.

Cõf. Aug.

tionem impiorum doctorum episcopis attribuant, missionem quoq; ordinariam ministrorum doctrinæ ijsdem attribuant necesse

Tit. 1. est. Et vrgentur sanè illis Paulinis verbis, Propterea reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego dispossui tibi. Id autem scribit ille episcopo, apostolica authoritate à se ordinato. At huiusmodi presbyteros & episcopos isti non habent. Nam si qui inter eos transfugæ presbyteri & apostatæ, à iustis Episcopis se missos esse iactare velint, cogitẽt, se per eosdem, per quos missi erant, reuocari potuisse (vel ipsius Confessionis Augustanæ præscripto) cùm ab authoritate doctrinaque eorum discessissent. Verum enimuero, isti à Deo ipso se missos esse asseuerant. Non est satis. Idem asseuerabant illi, de quibus deus per Prophetas suos loquitur, sicuti dudum audiuisti. Idem nunc asseuerant Anabaptistæ, & qui vocantur cœlestes Prophetæ, quorum spiritus nõnunquam etiam fratris vxorem concupiscit. Idem Trinitarij siue Trideitæ. Et tamen vestri isti eis non credunt, credíq; vetant. Quo-

Prophetæ miraculis probabant se à deo missos esse.

modo igitur ipsi probabunt nobis, verum esse id, quod asseuerant? Veri quidẽ Prophetæ Dei, quales fuere Moses, Samuel, ille qui missus fuit ad Ieroboam regẽ, Elias, Elisæus, Esaias,

Esaias, quoties auersum à Deo, legeq́; eius, & promissorum eius immemorem populum iussu Dei conuertere, & in viam reducere, afflictuḿue ac desperantem consolari studuerunt, miraculis, & certis futurorum prædictionibus à Deo se missos esse probarunt, ídque ipsius vel præcepto, vel approbatione, & virtute fidem ipsorum non destituente. Idem fecit Prophetarum dominus ipse filius Dei, cum Euangelij lucem Hebræis, vmbræ legis, & scribarum atq; pharisæorum traditionibus assuetis, patefaceret: Incredulísq; opera & miracula sua exprobrauit, ita vt negaret, eos peccatum habituros fuisse, si ipse nõ feciſſet in eis opera, quæ nemo alius fecit. Idẽ fecere eius Apostoli, cum orbẽ terrarum diuturna impietate cæcum, eadẽ luce illustrarent: Domino, quemadmodum scribit Marcus, cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Idem cæteri discipuli, & qui eos consecuti sunt alij plurimi sancti doctores & propagatores Euangelij. Quarum rerum plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ. Quin memorat vester historicus Io. Sleidanus, Lutherum quondam ad senatum Mulhusij ciuitatis scripsisse de Muncero: Rectè facturum senatum, si roget ex Muncero, Quis docendi munus ipsi commiserit?

Exod. 4.
1. Reg. 10.
12.
3. Reg. 13.
3. Reg. 18.
4. Reg. 6.
7.
4. Reg. 19.
20.
Ioan. 5. 10.
20.
Mar. ulti.
Sleidan. lib. 5.

Quis

Quis euocarit? Et, si deum nominet autho-
rẽ, tum iubeant eum hanc suam vocationem
aliquo euidenti signo comprobare. Quod si
repræsentare non possit, vt tum repudietur.
Hoc enim esse dei proprium & familiare,
quoties formam cõsuetam, & rationem or-
dinàriam velit immutari, vt tum voluntatem
suam aliquo signo declaret. Quid igitur si-
mile ipse, vel quispiam alius euangelistarũ,
siue euangelicorum istorum doctorum &
cõcionatorum fecit, facítve, præsertim cùm
ij iactent, vniuersos Christianos populos an-
te prólatam à se Euangelij lucem in densissi
mis non modò errorum & superstitionum,
verũetiam impietatis, & idololatriæ siue ido
lomaniæ tenebris versatos esse. Ecquod mi-
raculum vnquam ediderunt? ecquid futuri
prædixerunt? Inuidentia, credo, vel mode-
stia vtroq; abstinuere. Feruntur quidem v-
trunque id ij non reliquisse intentatum. Sed
nunquam eis aliquis eiusmodi conatus suc-
cesserit. Quin Monasterienſia vaticinia plena
vanitatis fuerunt; Et extremi iudicij dies à
nonnullis Lutheranis prædictus, magnaque
stolidæ multitudinis perturbatione expe-
ctatus præterijt: Et ille, qui in acie globos
bombardarũ, quos proiecturi essent hostes,
manica se excepturum esse sine vllo cuius-

Miracula & uaticinia pseudo-euangelicorum. Sleid. li. 10. comment.

quam

quam suorum incommodo promiserat, fidē fefellit: Et subornatus, qui simulata morte, inclamante quodam de prophetis istis (Caluinus is fuit opinor) quasi rediuuius exurgeret, non modò non exurrexisse, verumetiam verè exanimis repertus esse dicitur: Et fraus mercede redempta, magno vxoris conscię clamore eiulatuque patefacta. Quanquam Lutheri vaticinia quædam impleta impudentissime iactat Mathias Flacius, Illyricus, & simius eius Tilemannus Heshusius. Quæ quidem vel humana coniectura & iudicio prouidè, vel astu diabolico ambigue priscorū oracolorū in morē prolata erant, & ex euentu interpretationē acceperūt, si qua modò eiusmodi proferuntur. Mirū ni profertur illud de bello Smalcaldico. Quod satis est ad coarguendam hominis perditi vanitatē, & istorum admiratorū eius improba mēdacia. Prudentiores quidē, & qui aliquid aceti habēt in pectore, nihil eiusmodi ei tribuūt, nec sibi arrogant. In miraculis aūt edēdis male ei res succesit ante annos viginti quatuor. Ausus enim è puellula quadam Mysnensi (cuius & nomē & patria memoratur) dæmoniū eijcere paucis testibus adhibitis, idē ferè passus est, quod olim Ephesi filij Sceuæ archisynagogi, vt est in actis Apostolorum.

Lutheri vaticinia & miracula.

Luthero quid accideri circa eiectionem dæmonij. Act. 19.

lorũ. Cautior hic sanè is fuit, quàm cum de missa cũ eo disputare aggressus, manus ei dedit. Quamuis enim vexatus, anhelus, citaq; ex cõsternatione aluo, effugit tamẽ, refracto sociorum opera ostio. Extat historia in vita Friderici Staphyli nuper in lucem edita, imo & apud ipsum Staphylum in apologiæ suæ defensione: qui rei gestæ interfuit, tunc adhuc discipulus Lutheri, postea oppugnator acerrimus, nuper non sine dolore piorum vita defunctus. Extat in eadẽ vita & alia recentior de quodam alio dæmoniaco, qui Augustæ Vindelicorum frustra ad vestros euangelicos ministros circumductus, tandẽ à papista, vt vos dicere soletis, curatus est. Tales igitur sunt Prophetæ isti vestri, si deo placet, Euangelici, qui cum vniuersum orbẽ Christianum, quasi auersum à Deo Christíque doctrina, cõuertere instituerint, aut nihil præstant eorum, quæ prædicunt atq; tentant in nomine Domini, aut nihil certè tẽtare ausint & prædicere, quo nobis, quemadmodum vel existimant, vel fingunt, incredulis persuadeant, à Deo se missos esse, & in nomine eius loqui, verbumq; Dei annunciare.

Frid. Staphylus acerrimus oppugnator hæreticorum.

1565.

Math. 24. AVL. At Christus prædixit: Nouissimis temporibus etiam pseudochristos & pseudoprophetas signa magna & prodigia daturos, ita vt

vt in errorẽ inducantur, si fieri potest, etiam electi. MON. Verum. Quin & Paulus aduentum Antichristi ait fore secũdum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus. Itaq; par est, vt eò prolixius gratias agamus Deo, quod nondù in tãtã tentationẽ nos induxit, qua seduci fortasse possint etiam electi. Verum alijs quoque documẽtis probemus, istos, falsos esse Prophetas: Quæ nobis suppeditantur cum ab ijsdem veris Dei Prophetis, quos suprà memoraui, tum è Deuteronomio Mosis. Nempe quòd isti vana, mẽdaciaq; docent, & fraudulenter agunt, & visionem atqj seductionẽ cordis & spiritus sui loquuntur, & seducunt populum, vt eat, & sequatur deos alienos, quos ignorat, & seruiat eis. Ipse porrò magister noster Christus, vnã certam nobis prodidit notã, qua rectè internosci falsi prophetæ queãt. Qua vna cæteræ oẽs, quæ à prophetis proditæ sunt, cõprehẽdũtur. AV. Quænã ea est? MO. A fructibus eorũ, inquit is, cognoscetis eos. AV. Hic iã tu hærebis: imò quasi sorex tuo ipsius iudicio peribis. An enim vos monachi & sacerdotes vnà cũ episcopis, & papis vestris nõ estis pleni hypocrisi, auaritia, superbia, ambitione, luxu, ingluuie, ebrietate? An nõ estis immisericordes in egenos, acer-

2. Thess. 2.

Deut. 13.

Falsi Prophetæ notatalia.

Math. 7.

bi in subditos, inuidi & cõtentiosi inter vos ipsos, irreligiosi in Deũ, & officiorũ vestrorum negligẽtes? Quid ego libidines vestras impuras & inuerecũdas commemorem? Hi sunt fructus, qui non Lutherum, & euangelicos nostros doctores atq; cõcionatores, sed vos, falsos prophetas esse coarguunt. MON. Abstrahis tu me quidẽ ab instituto sermone, quod vestris istis pseudeuãgelicis in disputando perusitatum est: Sed tamen paucis tibi respondebo: Nec agam tecum relatione criminum, quamuis possem. Quid enim aut sceleris, aut flagitij est, quòd vestri ist pseudeuangelistæ prætereant? Sed non ita tecum agam. Nihil nunc de illis dicam. De nobis dico. Non possum negare, quin simus plerique multis vitijs inquinati: Quanquam non tam perditi tamẽ, quàm vos vultis: Verum non protinus ob id falsi prophetæ sumus, aut praua est doctrina nostra. Eadem sanè opera propheticam & apostolicã doctrinam damnes licebit. AVL. Quid ita? MON. Et illi enim peccatores fuere. An nõ extitit in Mose infidelitas, propter quam Deus eũ terrã promissam ingredi passus non est? Mitto Aaronem & sororem amborum Mariam, & Saulem regem, qui & ipsi inter prophetas connumerati sunt. Dauid adulter & ho-

Pseudeuangelicorum mos in disputando.

Doctrinam uita impura non inquinat.

Nume. 20.

Deut. 32.

2. Reg. 11.

& homicida fuit: Petrum apostolum scribit Paulus fuisse reprehensibilem. Et non ignoras, eum ter Christum negasse. De se autem scribit Paulus, quòd peccatorum primus sit. Ioannes verò: Si dicimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Ne cæteri quidem apostoli à peccatis immunes fuerunt: quorum ambitio ad contentionem vsque inter ipsos aliquando exarsit. Vt ne fugam eorum à Christo magistro suo cõmemorem. Proinde & hi pro falsis Prophetis habẽdi essent, neque habenda esset fides doctrinæ prophe ticæ, euangelicæ, & apostolicæ. AVL. Longe diuersa est ratio illorũ à vestra. Illi enim, cũ hæc fuissent aliquando, abluti & sanctificati sunt postea: vos in eodẽ vitiorũ luto hæretis. MON. Quin ex illis quoq; nonnulli postea, quàm verbi Dei administri facti essẽt, peccarũt, & rursus Dei verbũ administrarũt. AV. Mitto hoc. Illud dico: Obliuiosum esse te, & pugnantia loqui. Dudum falsos prophetas, Christi doctrinam secutus, à fructibus rectè cognosci aiebas. Nunc contrà, non vis obesse doctrinæ malos fructus, hoc est, malã vitam docentis. MON. Non pugnant hæc, si rectè accipias. Nam quòd Christus è fructibus prophetam falsum cognosci vult, per fructus,

Gal. 2. *Mar. 14.* *1. Tim. 1.* *1. Ioan. 1.* *Luc. 22.*

Mar. 14.

Fructus Christianorum.

ctus,non mores aut vitam eius intelligit.Sũt quidem & hæc fructus : verum cuiuslibet Christiani,non solius prophetæ proprij.Etsi autem requirit is in prophetis & apostolis suis vitæ integritatem, & habet ea permagnam vim ad persuadendum hominibus, in ijs præsertim sermonibus, qui ad mores & vitæ degendæ rationem pertinent, vult tamen etiam ab impuro doctore puram & salutarem doctrinam hauriri. Vis hoc videre? Alibi præcipit is, vt faciamus quæcunq; dixerint nobis scribæ & Pharisæi super cathedra Moysi sedentes: secundum opera verò eorum ne faciamus. Quo arguit,non respondere vitam eorum doctrinæ. Ibidemq; eorum vitia recenset, propter quæ væ quidem eis cõminatur & exitium: Sed nihilo tamen magis eos falsos prophetas esse dicit,neq; vitare,sed amplecti potius&seruare nos iubet doctrinam eorũ, eiq; obtemperare. Paulus quoq; gaudere se scribit, etiam si qui propter inuidiam & contentionem Christum prædicent. Contrà. Multi fuerunt in religione Christiana hæretici, honestate & sanctimonia vitæ prediti. Quales fuere Tatiani,qui se etiã Encratitas dixere propter continentiam : Euchitæ à precatione: Apostolici,Manichæi,Audiani,Nouatiani,qui propter

Doctrinã uita commendat:

Matth.23.

Phil.1.

Hæretici honestæ uitæ.

Epiph. cõtra hæres.

ter puritatem Cathari dicti sunt. Appollinaris quoq;,& Nestorius, & Eustathius honeneste vixerunt, fueruntq; docti & vigilantes episcopi: &tamẽ falsi prophetæ & hæretici: eoque loco eos habuit ecclesia catholica, & eo nomine damnauit. Quin semper ante hac hæretici honestate & sanctimonia vitæ in animos hominum influebant, teste Chrysostomo. Nunc demum nequitia, improbitate,& audacia vulgò se commendant. Nõ igitur hi sunt fructus,à quibus salsus prophe ta cognoscitur. AVL. Quínam ergo? MON. Doctrina,frater mi, doctrina. Nam cum propheta interpres Dei sit, seu viua voce, seu scripto,seu quouis alio modo iussa eius hominibus patefaciat,fructus eius, quem edit quatenus propheta est,ipsa est interpretatio ac doctrina. Quæ si verè & constanter voluntati Dei veri subseruit,bonus est fructus,verum prophetam indicans, etiam si vita eius non vsq; quaq; incorrupta sit & irreprehensibilis. Sin vanitate,mendacio, fraudulentia condita,non dei,sed docẽtis spritum sequitur, & à Deo,cultuq; & præceptis eius auocat,& ab eo collecta dispergit,quamlibet honestatis & sanctimoniæ speciem vita docentis præ se ferat,ilicet, falsus est propheta, & mendax,& insipiens. Proinde illi, quos du-

Hæretici quomodo olim in animos hominum se insinuabant.

Chrisost. in Mat. hom. 24.

Fructus à quibus prophetæ dijudicandi sunt.

3. Reg. 13 dum enumeraui, Moſes, Dauid, Petrus, Paulus, & cæteri Apoſtoli, ille etiam, qui ad Ieroboam regem Iſraël à Deo miſſus, cum contra præceptum Dei cibũ ſumpſiſſet, à leone interfectus eſt, veri prophetæ fuere. Quãuis enim vita eorũ præceptis diuinis nõ ad amuſſim quadraſſe videatur, doctrina tamen à volũtate & præſcripto eius nõ deflexit. Contrà Sedeciã filiũ Canaana, Achab filium Coliæ, 3. Reg. 22. Sedeciã filiũ Maaſiæ, Semeiã Nehelamiten 2. Para. 18. ſcriptura ſacra falſos prophetas vocat: non Hiero. 19. quòd ſceleratè aut nequiter viuerent, ſed quòd cũ à Deo miſsi non eſsẽt, prophetiæ munus ſibi arrogarẽt, & ſpiritum ſuũ ſequerẽtur, mẽdaciterq; & fraudulente voluntatẽ Dei ſecus, quàm ipſe volebat, interpretarentur. Illos quoq;, à quibus nobis attendendũ eſſe Chriſtus præcipit, ait idẽ in veſtimentis Matth. 7. ouiũ vẽturos eſſe. Quid aũt aliud ſunt ouilla veſtimenta, quàm dicta & facta manſuetudinis, innocẽtiæ, pietatisq; ſpeciẽ præ ſe ferentia? Quid porrò ille, de quo ſcribit Moſes in Ouilla ueſtimenta. Deuteronomio, qui, cũ prædixerit ſignum Deut. 13. atq; portentũ, & euenerit quod locutus eſt, dicit: Eamus, & ſequamur deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis: an non pro falſo propheta habẽdus eſt? Moſes quidẽ etiã interfici eũ iubet. Quidita? An non videtur eſſe

verus

verus propheta, cũ euenerit id, quod prædixit? Falsus est nihilominus. Quia locutus est, inquit, vt auerteret vos à domino Deo vestro. Hi sunt igitur fructus, à quibus Christus nos falsum prophetã cognoscere iubet, nempe doctrina, vt prophetæ dicũt, mẽdax, fraudulenta, diuinationem & seductionem cordis & spiritus priuati sequens, & à verbo iussuq; Dei dissentiẽs. AV. Hic certè ego te teneo, tuis ipsius verbis, quasi vinculis quibusdã irretitũ. Nã Lutheri ac cæterorũ Euãgelicorũ doctrina ex euangelio est ac verbo Dei deprõpta: Vestra verò Papistarũ talis, qualẽ tu depingis, siue adeò prophetæ à te citati depinxerunt. Vos igitur estis falsi prophetæ, non Lutherus cum suis. MON. De nostra alias, si videbitur, sicut prius dixi. Nunc de noua ista, quam Euangelicam vocatis, disquirere instituimus. Ac nusquam quidem non iactant verbũ Dei & euãgelium isti pseudeuangelici, perinde atq; illi, quos paulò antè recensui pseudoprophetæ. Hæc dicit dominus: Os domini: verbum domini: Sed mendaciter & fraudulente. Speciem eius tantum præ se ferunt, virtutem autem eius abnegãt. Vuarum & ficuum suauitatem ostentant audientibus & legentibus: sed spinæ sunt ac tribuli, de quibus veræ ficus & vuæ salutaris

Euangelici falsi iactãt uerbum Dei. 2. Tim. 3. Matth. 7.

doctrinæ colligi non possunt. In vestimentis ouium veniunt, hoc est, vestiunt se sermonibus ex apostolicis & propheticis scriptis, & ex ipso æterno filij Dei Euãgelio, quasi ex vellere agni immaculati, qui tollit peccata mundi, contextis: Intrinsecus autem sunt lupi rapaces, & corruptores Euangelij, quem dmodum ait sanctus martyr Cyprianus. Verba quidem ex euangelio, sacrisq; scripturis cõcinnata ac deprompta afferũt, cæterum sensum à Christi & spiritus sancti mente alienũ de suo ipsis affingunt. Quod ipsis cum plerisque omnibus hæreticis commune est. Quare ita scripsit ante 1200. annos acerrimus Arianorum hæreticorum oppugnator D. Athanasius. Istiusmodi mores sunt aduersariæ potestatis: Istiusmodi quoq; hæreseon conspirationes sunt. Cùm enim vnaquæque hæresis sui cõmenti parentem habeat eum, qui ab initio peruersus & homicida, & mendax fuit, diabolum, ac pudore tam exosi nominis teneatur, pulcherrimũ, & quod super omnia est, nomen saluatoris profitetur, scripturarumq; dictionibus amicitur: Et verba quidem profert, verùm inde tamen sententiam suffuratur, ac deinde intellectu, quem ipsa confinxit, dolis inumbrato, erroneorũ homicida efficitur. Hilarius autem: Videtur enim

Ouilla uestimenta.

Cyp. de unit. eccl.

Scripturas quomodo tractent hæretici.

Ath. orat. 1. in Arian.

Hil. de Trin. lib. 4.

enim, inquit, sibi de singulis, quæ asserunt præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quædam ex diuinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blãdiantur, spem veritatis secundum prauitatem interpretãtium præstatura. Augustinus etiã nõ multo illis posterior, ait, Omnes hæreticos ex eisdem scripturis falsas atq; fallaces opiniones suas conari defendere. Iam vetustior his omnibus Clemens Alexandrinus: Ausint aũt, inquit, propheticis vti scripturis etiam ii, qui hæreses sectantur: primum quidem non omnibus, deinde non integris, neq; vt corpus atq; gibbus prophetiæ exigit, sed ambiguè dicta seligentes ad suas proprias opiniones traducunt, paucas voces sparsim deflorantes. An non videtur hic tibi ante mille ac trecentos annos graphicè scripturarios istos pseudeuangelicos depinxisse? Qui neq; omnibus vtuntur scripturis, vt mox audies, neq; integris, sed ambiguè dicta seligunt, & paucas voces sparsim deflorant: imò vt ait Petrus, deprauant etiam ad suam ipsorum & multorum aliorum perditionem. Vsq; adeò vero id factitant, vt non rarò addant de suo, demantq;, & mutẽt verba scripturarum, sicubi sensum earum serie

Aug. de Trin. lib. 1. cap. 3.

Clem. Strom. 7.

2. Pet. 3.

Seminarii EX LIBRIS Nr

verborum repugnante facile, vti volunt, torquere nequeãt. Quibus fraudibus scatet in primis id opus, cui authores sui nomẽ historiæ ecclesiasticæ, cum nihil sit minus, indiderunt. Deus bone, quàm impudenter in eo tractãtur, & quocunq; collibuit quasi Lesbia regula torquentur sacræ scripturæ. Nec multo verecundius autẽ id pleriq; alij factitant, maximè cum eas ex alia lingua in aliam trãsferunt. Qualia nonnulla in Caluino quidam notarunt: In Luthero autem plurima: è nostris quidem viri eruditi Hieronymus Emser, Georgius Vicelius, Fridericus Staphylus, & Ioannes Dittembergius: ex euangelicis verò, ipsi Tigurini. Et perstrinxit obiter Bucerus. Nec ipse autem Lutherus diffitetur nonnullos errores suos postviginti demum annos. Quanquam deprauationes eæ dicendæ sunt veriùs. Data enim opera verbis scripturarum de suo nonnunquam aliquid affuit: nonnunquam dempsit: nonnunquam aliud pro alio reddidit. Multa in Theodori Bezæ versione noui testamenti notauit Sebastianus Castellio. Ille vicissim contendit, hunc sacrilega audacia vtrunque testamentum ita conuertisse, vt suo arbitrio non modò detraxerit, aut addiderit, sed etiã mutarit. De Tigurinis aũt & Caluino, vide quid

Historia Ecclesiastica Magdeburgen. mendacijs scatet.

Nic. Villagagnon ad art. Calui. tradit.

Bucer. in dial. aduer. Melanth.

quid scribat Franciscus Stancarus, cui certe in plerisq; dogmatibus idem cum eis sentienti fides habenda est. Isti homines, inquit, ἄθεοι prorsus sunt, qui & scripturas, & 55. patrũ testimonia falso allegant. Constat etiam, eos in edenda cum suis Biblijs noui testamenti versione, Erasmiana nõnulla corrupisse, quã uis eam impensè laudent in præfatione. Sic igitur scripturis, quasi vestimentis ouium, sese conuestiunt isti tui prophetæ. Idem factitauit magister eorum Satanas, quemadmodum dudum etiam ex Athanasio recitaui: Atq; ita primos progenitores nostros seduxit, cũ diceret, Scit enim Deus. Ita ipsum Dei filium dominum ac magistrum nostrũ in deserto adortus est: Scriptum est, inquiẽs, & verba scripturæ proferens. Et non raro etiamnum transfigurat se in angelum lucis. Quid igitur mirum, si ministri quoque eius pseudapostoli, pseudoprophetæ & pseudeuangelistæ, operarij subdoli transfigurantur velut ministri iustitiæ, & specioso prætextu lucis euangelicæ, & verbi Dei corpus Christi Ecclesiam, luporum in morem diripere satagunt? Ac plerunque ij quidem mala fide citant tractantq́ scripturas: Nonnunquam tamen etiam verum & germanum, & quem ab apostolis & apostolo-

Stancarus de mediat.

Satanas magister hæreticorum. Gen. 3. Matth. 4.

apostolicis viris traditum ecclesia catholica tanquam depositum accepit, & sedulo fideliterq; conseruat, sensum earum proferunt, vt probè videantur imitari illũ, de quo scribit Moses, sicut paulò ante commemoraui, qui prædicit nonnunquam ea, quæ rerũ exitus vera fuisse comprobat. Sed in eo idem, quod ille, & ipsi propositum habent, nempe, vt miscentes vera falsis, & specie recti decipientes imperitam multitudinem, facilius auertant populos à domino Deo ipsorum, & rapiant ac dispergant ex ouili, hoc est, ecclesia segregatos, atque ita à Christo capite auulsos. Qualenam autem (quæso te per Deum immortalem) est præclarum istud euangelium & verbum Dei, quod isti nunc è profundis ac diuturnis tenebris, quemadmodum iactitant, erutum, hominibus obtrudunt? Quos fructus edunt istæ spinæ ac tribuli? Nimirum, quemadmodum illi Israëlitici pseudoprophetæ, quos nominaui superius, prospera principibus & populo, quibus propter peccata iratus erat deus, vaticinabãtur, & puluillos, vt ait propheta, sub omni cubito substernebant: sic isti quoque docent, absq; disciplina ac timore Dei securè viuere: audacter peccare, inani & impia clementiæ & misericordiæ Dei fiducia: persuasum ha-

Hæreticorum propositum.

Pseudeuangelicæ doctrinæ forma.

3. Reg. 22. 2. Par. 18. Hier. 29. Ezech. 13.

habere,nullo peccato, præter incredulitatem,hominẽ posse damnari : Imò nihil præter incredulitatem pro peccato ducere: cultum Dei exteriorem & memoriam beneficiorum eius quasi traditiones humanas ac superstitiones magicas contemnere & explodere : sacramenta ecclesiastica ritusque eorum sacros, è sacra scriptura & exemplis Christi ferè depromptos, fœdè proculcare: hominibus Deoq; fidem promissam non seruare, & vota omnia pro stultis & impijs ducere:non reddere suum cuiq;, imò alienum rapere:doctrinam & intelligentiam scripturarum,spiritum dei, & omnem potestatem sibi quenque arrogare : gulæ , ventri, & libidinibus pecudum in morem indulgere:nemini obtemperare:magistratibus authoritatem detrahere:probris afficere, execrari,& seuveris seu falsis criminibus in odium hominum adducere eos, quibus diuinitùs obedire & subiacere iubemur, præpositos,hoc est,Pontificem max.Episcopos,& sacerdotes:& cum improbo illo Cham, non vnum aliquem,sed multos, atque adeò omnes in vniuersum patres, cum hic viuentes adhuc,tum regnantes iam cum Christo,pro nihilo ducere, impudenter subsannare,imò & calumniari:petulanter contemnere sacras sy-

Luth. de capt. Bab.

Hebr.13.

Gen.9.

synodorum constitutiones atq; decreta: sacra, quod dicitur, profanis, ac cœlũ terræ miscere; neq; certi quicquã, quod in religione sequamur, relinquere: deũ mali, hoc est, peccati omnis authorem, & quouis tyranno & Alastore dæmone iniustiorẽ & improbiorẽ fingere: quippe, qui peccatũ, quod ipse fieri voluerit, atq; adeò fecerit, puniat in eo, qui culpa vacet, vtpote libero carens arbitrio, & ab ipso deo, quasi securis vel malleus à fabro impulsus. Nisi forte non punit: quin approbat etiam, velut sua, & quidem bona iustaq;, quemadmodum sentire Caluinum quidam è discipulis eius notauit. Quin extiterunt qui neq; cœlos neq; inferos esse docẽt. Quinam autem fructus prouenerunt in populis ex ista tali doctrina? Prodeat Erasmus Roterodamus testis oculatus, qui inter eos vixit, atque etiam mortem obijt. Sic autem is scribit. Profer mihi, quem istud Euangeliũ ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundũ: Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Et aliquantò post: Excussum est iugum humanarum constitutionũ: Sed vbi sunt, qui submiserunt ceruicem suam iugo domini? Et interim constitutiones hu-

Luth. in asser. art. 36.
Mel. in annot. ad Rom. primæ edit.
Caluin. in instit.
Smidel. in apolog. Thesium.
Fructus doctrinæ pseudeuangelicæ.
Eras. in ep. contra Pseudeuãgel.

manæ constitutionibus humanis mutantur. Titulus modo mutatus est. Vocantur enim verbum Dei, cæterũ res adeò nihilo est mitior, vt complures boni viri, præferant vltroneum exiliũ isti magnificè decantatæ libertati. Atq; adeò proceres quidã & antesignani istius factionis, cũ nõdum ad Episcoporũ dignitatem, opes ac ditionẽ peruenerint, tamẽ eiusmodi specimẽ de se præbent, vt ego me malim in Episcoporũ, quàm in horũ potestatem tradere, si detur optio: malimq; Cæsaris potentissimi ferre iugũ, quàm quorũdã magistratuũ Euangelicorũ, quãuis humili sorte. Sic excutiũt iugũ hominũ, qui vestro euãgelio submittũt ceruicem. Magis vereor, ne pleriq; pro graui iugo hominũ, portent grauius iugum diaboli. Excussa est obedientia Episcoporũ, sed ita, vt ne profanis quidẽ magistratibus pareatur. Olim Christiani sub ethnicis principibus quietè uiuebãt, studiosè cauẽtes, ne quã seditionis occasionẽ darent, exhibẽtes honorẽ cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributũ cui tributũ. Hortabãtur Christo initiatos, vt idololatris etiã magistratibus obtemperent: pro illorũ incolumitate quotidie deũ orabant. At iste populus tã Euãgelicus, etiã Turcarũ principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum.

Christianorum prisco rum uitæ.

Quos

Quos subinde tumultus excitat? quoties quàm leuibus de causis procurrit ad arma? ne suis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus: profligandi etiam, si liberius in vitam illorum inuehantur, aut ab opinione dissentiant. Hæc ille & multa alia. Sed quia suspectus tibi fortasis est hic testis (quanquam nō debet esse) prodeat Henricus Bullingerus, vnus de vestris istis prophetis: Cuius hoc est testimonium. Magistratus hodie ex Euangelio quærit dispensationem, vtinam non direptionem opū Ecclesiasticarum: Concionatores quoq; ipsi, Euangelij prædicatione venantur honores, opes, vulgi fauorem, & gloriam huius seculi: At promiscua plebs sperat se in libertate Euangelica reperturam, quòd decimas & census nullo iure diuino pendat. Vis & alterum, & quidē famosum vestri istius Euangelij preconem itidem fructus eius prædicantem audire? Is est autem Ioannes Spangenbergius, ita scribens alicubi: Postquam enim admirabili quadam & singulari Dei gratia Antichristianismi siue Papatus deceptiones manifestæ sunt, incipiunt iam homines nihil amplius credere. Et postquam à vinculis Papatus, se liberos esse vident, volunt etiā esse liberi ab Euāgelio & præceptis Dei,

Bulling. in 20. cap. Matth.

Ioannes Spangenbergius.

Dei,& volunt, vt deinceps rectum sit ac iustum,quicquid vnicuiq; visum fuerit. Audi tertium quoq;, Hieronymum Mencelium, Postquam, inquit,per sanctum Euangelium à Papæ tyrannide & potestate liberati sunt (Germanos intelligit) & assueuerunt hominum illius constitutiones reijcere, progrediuntur vlterius, & volunt eandē consuetudinem in alijs quoq; rebus omnibus, siue sint bonæ,siue malæ,retinere: volunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi, quo minus arbitratu suo viuant, haud aliter quàm si Euangeliū esset talis doctrina,quodvnicuiq; concedat potestatem faciendi, quod illi placet, quæ nullum ordinem,necvllam disciplinam ferre possit. Quod si quis eis resistere fuerit ausus,eò veniunt audaciæ, vt nō solum odia suscipiant erga suos prædicatores,& eos cōtumelijs afficiant,sed etiam pro virili sua tyrannicè insectentur. At si quemvolunt ordinem prædicatores instituere,statim vim esse dicunt minimè Christianam,& nouationem quandam, & introductionem veteris Papatus,per quam prædicatores propriam suam potestatem & dominationem in cōmissum sibi gregem stabilire velint. Qui si pergant vrgere,quæ sanctè constituerunt,non solum conuitijs afficiuntur, verùmetiam ad extre- *Hier. Menc. de pastor.*

mum expelluntur. Nec disimiliter de sectatoribus suis quæruntur ipsi duces gregis Lutherus & Melanchton. Hi igitur sunt vel ipsorum vestrorum Euangelistarũ testimonio fructus noui istius Euangelij, vbertim prouenientes cum vbiq;,tũ apud nos in Polonia. Quid ego commemorem turbas & seditiones plebis atq;subditorũ aduersus magistratus ac dominos, nobilitatis aduersus proceres &satrapas,procerũ ac principũ aduersus imperatorẽ Regesq; suos:ita vt abrogare etiam imperium Carolo eius nominis quinto principi laudatissimo quidam priuato consilio, siue insania potius, non dubitarint. Mitto principes,Episcopos & alios inferiores magistratus profanos & ecclesiasticos,in quibus idem tentatum, alicubi etiam perfectum est, tentaturq; etiamnum contra leges publicas, & pactorum conuentorũ ac iurisiurandi fidem. AVL. Dira, si vera. Sed calumniæ sunt istæ opinor. MON. Túne vestris istis prophetis calumniæ crimen audes impingere? Ipsi quidem, sicuti dudum audiuisti, ea deplorant, & à noui istius euangelij propagatione initium sumpsisse non diffitẽtur. Et palpari autem apud nos ea possunt, ne dum exaudiri aut videri. Taceo immania, ac ciuilia bella, cædes, direptiones, vastitates:

seditiones cõtra præsides.

Quæ

Quæ omnia in Germania, Heluetia, Anglia, Dania, Suetia, & Noruegia, nostra memoria nuper etiã in Scotia, & in Gallijs extiterunt. Atq; vtinã ne eadẽ nobis quoq; Polonis cõtagio quodã ingruãt. Portẽdit ea quidẽ certe summa hominũ licẽtia & proteruitas, quæ cũ nouo isto euãgelio ad nos peruasit, itavt iam sine magistratib. & iudicijs, ac sine rege & lege passim viuere videãtur, & pro executione exectionẽ & euersionẽ legũ nõnulli meditẽtur, ne dicã flagitẽt. Nec desunt, qui perinde ac Sedechias pseudopropheta olim ferreis cornibus classicum canãt. AVL. Sit ita sane, quòd multa eiu smodi patrata sint, atq; etiã nũc patrẽtur à nõnullis principibus satrapis, nobilitate, & populis, qui prętextu euãgelicę doctrinę malesanis cupiditatib. vel odijs suis & furori impẽsius indulgẽt. Cęterũ Lutherus talia nõ docuit, neq; cæteri doctores Euãgelici. MO. Scriptis eorũ hoc demonstrari potest, ac demõstrabitur fortasse. AV. Hoc scio, agrestes Lutherũ nõ concitasse in Germania. Imò scriptis eos infectatus est. MO. Quid si demõstro, eũ cõcitasse? aut factũ eorũ cõprobasse? Credèsne vera esse omnia, quæ ego dico de doctrina Lutherana. AV. Profectò minoris põderis apud me deinceps esset, q̃ fuit hactenus. MO. Audi igitur. De captiuitate

Poloni cauent sibi.

Executio.

3. Reg. 22.

Agrestium tumultus à Luth. cõcitatus.

Luth. de capt. Bab.

Babylonica sic ille scribit: Reuera nos Christiani liberi sumus, ab omnibus omnium hominum legibus exempti, libertate Christiana per baptismum nobis donata. Item, Nulla est ergo remedij spes, nisi reuocato libertatis euangelio, secundum ipsum, extinctis semel (audi obsecro) omnibus omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus. Amen.

Lutherus contra duo Cæsaris mandata.

Iam in eo libro, quem scripsit contra duo Cæsaris mandata, vide quid scribat de rustico rum tumultu: principes & magistratus appellans. Deus ita procurat, ô principes, vt tyrannis vestra diutiùs tolerari neq; possit, neque velit, neq; debeat. Attende quæso quod dicit, NEQVE DEBEAT, consentaneũ scilicet illi Paulino: Qui potestati resistit, ordinationi dei resistit. Et nota autem prophetiam Eliæ istius, cui mirificè respondit euentus. Mitto quæ scribit idem in libro de seculari potestate. AVL. At idem Lutherus alibi diuersũ scripsit. MO. Vel inde igitur agnoscas licet versipellẽ & fraudulẽtũ administrũ Satanæ. In visitatione sanè ita scripsit. Nonnulli etiã incautè loquũtur de libertate: vnde putãt homines quidã, se tam liberos esse, vt nõ debeant amplius reddere id quod debent, nec obtemperare vllis magistratibus.

Rom. 13.

Luth. in visit. Sax.

Alij

Alij putant libertatem Christianã nihil aliud esse, quàm vesci carnibus, non confiteri, non ieiunare, &c. Atq; ita absurdas imperitæ multitudinis opiniones debent concionatores arguere. AVL. Hoc certè non est concitare. MON. Scribit ille quidem ita: Sed post festum, quod aiunt. Cùm turbasset priùs, & seduxisset plus minus bis cetum millia hominum, qui sunt interfecti, atq; sicut ipse ait, in inferos demersi: ac trecenta propemodum castella atq; monasteria, quemadmodũ prodidere nonnulli, vastata essent in sola Franconia. Nam de confœderatione seu conspiratione Smalcaldica dubium non est, ipso quasi nouo quodam Sedechia incentore & præsultore eam coiuisse: per quam, præter domesticas Germaniæ clades nemini incognitas, Croatia, Slauonia, & Vngaria ferè omnis perijt, Austria, Styria, Carinthia, Carnia & Histria immaniter à Turcis diuexatæ sunt, dũ negat idem Lutherus fas esse, Christianos hostibus suis resistere, & à factione illa ægrè & iniquiss. conditionibus impetrãtur optimo pioq; Cæsari & regi Ferdinando auxilia: Ita vt necesse haberet is omnia perferre, & ad extremum cum barbaro hoste, quamuis duris conditionibus depacisci potius, quàm vel talibus vti auxilijs, vel interio-

Germaniæ clades.

Smalcaldica confœderatio.

res prouincias suas nudas, nec minoribus pe-
Bellum ciuile Germ. conflatum à Luth.
riculis expositas à tergo relinquere. Quid ego ex illa ipsa conspiratione natũ & cõflatum ciuile, ne dicã parricidiale, bellũ, eiusq; incõmoda memorem? Hæc omnia, & multa præterea dira & acerba præclaro isti prophetæ vestro, ac tertio Eliæ, eiusq; euãgelio recte accepta ferimus. Nihil hic fingo. Testis est nostra ipsorũ memoria: Testes fide dignę historiæ: Testes superstites adhuc principes, eorũq; archiua, & acta imperialiũ comitiorum. Nec Sleidanus, quãuis encomiastes Lutheriveriùs, quàm historicus, omnia dissimulat. Quin citatur à nõnullis omni exceptione maior testis ipsius Lutheri libellus ad duos principes scriptus, quo ille cõtra Henricum ducẽ Brunsuicẽsem, & cõtra Imperatorẽ Carolum classicũ cecinit. Georgius aũt Maior triam diuinũ interdictum contra eum euulgauit, Germaniã omnem ad rebellionẽ concitans. Quid æmulator Lutheri Zvuinglius, nónne Heluetios inter se prius coniunctissimos cõmisit, ipseq; intentor ac dux parricidialis belli in acie cecidit, & semiuiuus repertus, capitali pœna affectus est? Cuius etiã vox illa præclara memoratur, Euangeliũ sitire sanguinem. Quid Carolstadij furor, è quónã fonte prodijt? Quid Vestphalici tumul-

Sleidanus qualis historicus.

Luth. ad Sax. elect. & Lantg.

Zuinglij acta & mors.

multus,& Monasterienſis ciuitatis tyrannis à ſartore arrepta,& immaniter exercita, cuiúſnam opera conflata eſt? Nónne Thomæ Munceri, & quorundam aliorum pſeudeuangelicorum concionatorum? Mitto turbulentam Gdanenſis ciuitatis ſeditionem, vſq; ad deiectionem & pulſionem magiſtratus, euangeliſtis iſtis concitantibus, progreſſam: Optimi autem regis noſtri Sigiſmundi ſapientia, ſtudio & authoritate compreſſam ſedatamque. Cuius exemplum vtinam imitatus eſſet filius. Mitto & importunam Magdeburgenſis ciuitatis rebellionem aduerſus principes ſuos, epiſcopum & ſacerdotes, ipſumque imperatorem,à Mathia Flaccio,Iuſto Mœnio, gregalibuſque eorum non ſine magna cum eius ipſius ciuitatis, tum vicinorum populorum calamitate concitatam & nutricatam. Extant querelæ malè concordium ſymmyſtarum. Taceo Sueuos, Styrios, & cæteros Germaniæ populos, qui & ipſi inter ſe, & aduerſus nobilitatem ac magiſtratus ſuos authoribus & ducibus iſtis concitatoribus (concionatoribus dicere volebam) tumultuati ſunt. Nihil dico de Bohemorum ſeditione, ſcripto Melanchtonis excitata: Cuius eos pœnitet, ſat ſcio. Nihil de Gallicis

Monaſterien. ciuitatis clades.

Gdanen. ſeditio.

Magdeburgen. rebellio.

Heſshuſius &c.

Bohemorũ ſeditio.

Phil. adBohem & Sileſ.

Gallicimotus.

motibus, Caluini, Theodori Bezæ, ac cæterorum coniuratorum, eius gregalium opera nuper concitatis, & ad summam rerum perturbationem prouectis. Nihil de Cabilonensis cuiusdam conciliabuli canone, quo exterminabatur nobilitas, cuius armis sacerdotes exterminati sunt, quemadmodum testatur Michaël Fabricius. Nisi forte is est Franc. Balduinus. Mitto & id, quod dudũ parturijt inferior Germania: Iamque adeò peperisset, nisi turbulentorum sacramentariorum audacia, virtute & armis piorum magistratuũ oppressa (vtinam suppressa) esset. Possem domesticis quoq; exemplis idem confirmare; nempe ab istis vestris euangelicis, cùm alijs prætextibus, tum euangelij ac verbi Dei obtentu non solum inferiorum iudicum & magistratuum, verumetiam regia comitialiaq; iudicia & consilia de repub. de amplitudine & incolumitate regni, ac de salute vicinorũ populorum interpellata ac præpedita, nouaque iudicia priuato paucorum consilio præter morem & leges publicas instituta esse: vt ne quid attingam de occultioribus consilijs & pecuniæ collationibus. Quæ memorare nihil esset aliud, quàm aquam in mare, aut ligna in syluam importare, quod vulgo est in prouerbio. Tibi ea notiora sunt, quàm mihi

Respon. ad Caluin & Bezã pro Frã. Bald.

mo-

monasterij claustris incluso. Et persecutus est non pauca eiusmodi satis diligenter, & grauiter, vt nosti, Stanislaus Orechouius in dialogis suis vernaculis. Quid autem opus est verbis in re luce meridiana clariore? Nemo est tam væcors, qui non videat ac deplo ret imminentem huic regno & reip. interitū. Nec ignoti sunt vulgo eorum consiliorum authores & complices, eorumq; fraudes: Et tamen ferunt eos in oculis, ornantq; ij, qui sedent ad gubernacula, ne dicam fauent eorum consilijs & conatibus in perniciem non magis nostram, quàm suam ipsorum intētis. Hæc omnia isti vestro præclaro euangelio & euangelistis accepta referenda sunt. Ecquē verò mihi concionatorem, siue adeò ecquam istorum concionem proferes, in qua non odia populi aduersus ordinē ecclesiasticum, & omnes omnino diuersum sentientes rabidis clamoribus, maledictis, execrationibus, & calūnijs inflammētur? Ecquis autem vnquam è concionibus eorum vultu ad lachrymas & pœnitentiam, aut ad religionem & modestiam Christianam composito prodire visus est? ac non potius ardentibus ira oculis & omnibus membris, non obscuro murmure & fremitu audita maledicta secum ipse, vel cum altero repetens, ita vt si

Stan. Orechouij dial.

Concionatores euangelici sedtiosi.

quis aduersariorum sese tunc offerat, manibus temperaturi non esse videantur? Quin factum id est multis in locis, vt prorumpentes vnà cum concionatoribus non modo in obuios, sed etiam in latitantes in domibus vel monasterijs vel templis immaniter impetum facerent. Mitto principum & magistratuum barbaricam & Iulianicam aduersus monachos & monachas tyrannidem. Quos cum seducere ab instituto nequeant, ita in arctum redigunt, & profligato omni pudore cùm ipsi probris afficiunt, tum vulgi ludibrio contumeliaq́ue exponunt, vt ij monasteria ipsis in prædam & impiam profanationem relinquere necesse habeant, mortemq́ue vita optabiliorem sibi esse ducant. Quin & aqua ac igni ipsis interdicunt: ijdemq́ue errones quosuis externos, publice etiam proscriptos, imò à suis quoque gregalibus pulsos receptant, & vel rapto sustétant, cùm sua cœnitando abligurierint.

Principum & magistratuum barbara crudelitas.

AVL. Fateor. Noui tales quosdam etiam in nostra Polonia. MO. Hi sunt igitur fructus doctrinæ istius nouæ. Longe diuersa certè fuerunt olim temporibus Apostolorũ exorientis Euangelij Christi crepundia; Non sacere, sed pati vim & iniuriam tunc homines condiscebant: Nec per vim atq; tumultũ so-

Priscorum Christianorum pietas et modestia.

cios,

cios aut præceptores suos iudicijs magistratuum eripiebant, aut aliena inuadebant: neque contumelioſe quicquã, quamuis in impios idolorũ ac dæmonũ cultores designabãt. Sed illuminati, Paulo teſte, magnũ certamẽ paſsionũ ſuſtinebãt, partim ipſi oppro brijs & tribulationibus ſpectaculũ facti, partim ſocij taliter conuerſantium effecti. Nã & vinctis cõpatiebantur, & rapinã bonorũ ſuorũ cũ gaudio ſuſcipiebãt. Quibus de rebus iſti quoq; tui euãgelici initio gloriati ſunt. Sed vbi vires ſumpſere, nihil ijs ferocius & inſolentius eſt: Ita vt de ſe inuicem publice querantur, præſertim qui inter ſe de dogmatibus diſsident, affirmentq;, Ligneũ fuiſſe iugũ potificium, horum autem euangelij vindicũ eſſe ferreũ: Et pleriq; qui prius nemi nem ad fidem & religionem cogi oportere contendebant, ij nunc à ſe diſſentientibus omnem vim admouent: & quos ſemel ſeduxerunt, iureiurando adigunt, abſtinere ſacris, concionibus, templiſq; noſtris catholicis. Sic ij tanquam aſpides non modò ſuas, verumetiam aliorum aures obturant, ne audiant voces incantantium ſapienter, vt canit Pſaltes. E quibus potes colligere, quale ſit iſtud nouum Euangelium, & quales eius propagatores atque vindices, qui tales nobis

Heb. 10.

Iugum euãgelicorum graue.

Iuramentũ euangelicorum.

Pſal. 57.

2. Pet. 2. bis fructus progerminant. Iam Petrus quoq; istos pseudoprophetas & magistros mendaces, sectas perditionis introducentes quales futuri sint, graphicè depinxit. Audaces, inquit, sibi placentes, sectas non metuũt introducere: vel, vt est in Græco exemplari, præfracti, non reformidantes honoratos homines maledictis incessere. Et interposita comparatione eorum ad malos angelos, statim subijcit: Hi verò velut irrationalia pecora naturaliter in captionẽ & in perniciem facta, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ. Voluptatem existimantes diei delitias, coinquinationes & maculæ, delitijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum (siue vt Græci legunt, qui conuiuantes in erroribus suis, vobis insultant) oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, mæledictionis filij, derelinquentes rectã viam, errauerunt secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionẽ verò habuit suæ vesaniæ, subiugale mutum animal in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus

Petri uerba in pseudeuangelicos accommodata.

bus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatẽ ipsis promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis. Hactenus Petrus. Quæ verba licet ex ijs, quæ iam dixi, non obscurè appareat, in euangelicos istos tuos verè & quasi peculialiter dicta esse, tamen expendamus quæso singillatim. Ac primum vel illo vno verbo eos scitè delineauit, cum eos magistros mẽdaces appellauit, non modò quòd ij vocationem & missionem Dei mẽtiuntur, ac impia deliria sua pro verbo dei mendaciter vẽditãt, quales fuerunt etiam in populo Israëlitico pseudoprophetæ: verùmetiam quòd prodigiosa mentiendi libidine titillantur, & intendendis impudenter in omnes diuersũ sentientes, & in omnia omnium temporum ecclesiæ instituta calumnijs, re ipsa demonstrant, cuius prophetæ & interpretes sint: nempe eius, qui verbo Dei pater mendaciæ vocatur, & accusator fratrũ nostrorum, nomenq; habet à calumnia. Nihil hic in re luce meridiana clariore exemplis opus est: Et vltro ea sese nobis offerent in progressu colloquij, sicut arbitror. An nõ introducunt ij sectas perditionis? Qui iã inde ab initio segre-

Euangelici magistri mendaces.

Ioan. 8.
Apoc. 12.
Διάβολος ἀπο τῆς διαβάλλειν.

Sectas introducẽtes

ga-

garunt semetipsos, non modò à cæteris ordinibus Imperij, verumetiã à consensu totius orbis Christiani, inconsutilẽ Christi tunicã scindẽtes: fastiditaq; cõmuni ac sacris literis expressa appellatione Christianorũ, Euãgelici & protestãtes, (quibus verbis secessio sese prodit) dici maluerũt. Deinde verò vna illa secta nõ cõtenti, pari audacia in plurimas se dissecuerũt, ita vt quoquo te vertas, in Lutheranos, & Confessionistas, & eos quidem multiplices, licet impudẽter neget Smidelinus: aut in Sacramentarios, eosq; in nouẽ sectas dissectos: aut Antinomos, aut Anabaptistas, quorũ tredecim sectas Bullingerus enumerat: aut Stãcarianos, aut Osiandrinos, aut Picardos, aut Suẽcfeldianos, aut Brãdeburgicos, aut Seruetianos & Trideitas, aut Libertinos, ac nescio quas alias pestes incidas necesse est: Quæ omnes nõ multo pauciores ijs, quas Epiphanius ille Cyprius episcopus per multa secula ad suã vsq; ætatẽ in toto orbe terrarũ exortas enumerat, è Luthero tanquam ex equo Troiano prodierunt. Et ipsæ adeò, quãuis oppugnatæ ab eo postea nõnullæ, fontem illum suum libẽter agnoscunt, & secũ eũ sentire, vel sensisse duntaxat ostendũt: vt est videre apud ipsos Coryphęos, Anabaptistarũ quidẽ Baltasarẽ Pacimontanum,

Euangelici & protestantis.

Iac. Andr. in resp. ad Staphyl. Nic. Villagagnon. ad art. Calu. trad. li. 1. ca. 90. Bull. aduers. Anabap. lib. 1. & 2.

Sa-

Sacramentariorũ aũt Caluinũ. Neq; Carolostadiũ disſẽſio magis, quãm æmulatio Lutheri Vitemberga exegit. Antinomij quoque & Iconomachi, & Oſiãder, & tã diuerſi inter ſe Confeſsioniſtæ ac proteſtãtes Lutheri ſcriptis ſuo quiſq; dogmati fidẽ adſtruũt. Ipſe aũt alicubi gloriabũdus iactat: Daturũ ſe operã, vt dum aduerſarij ſui de vna aliqua ſua hæreſi, vt eius videtur, triũphant, ipſe interea nouam moliatur. Videtúrne is tibi metuiſſe ſectas introducere? Vidétúrne aũt tot alij ſiue æmuli, ſiue diſcipuli eius? quibus omnibus id ſtudio eſt in primis, vt nouũ aliquod dogma excogitẽt, diſcipulosq; poſt ſe abducãt. AVL. Licetne tribus verbis interpellare? MO. Si quid habes, quod ad rẽ pertineat, licet. AV. De Brandeburgicis nihil me vnquã audiuiſſe memini. MO. Dicã. Narrauit mihi quidã vir grauis, & fide dignus, cũ per Germaniã iter faceret, ſe vidiſſe in ſummis templorũ vel adiunctarũ eis turrium parietibus ſcriptũ prægrãdibus literis, quæ vel eminus legi poſsẽt: Quòd ibi religio Brãdeburgica, & nõ alia ſeruetur: percuntantemq; in diuerſorijs, idẽ cõperiſſe, & eſſe id edictũ principis. Cæterùm nõ vacaſſe ſibi diſquirere, quænã eſſet religionis eius ratio, niſi q̃ eſſet nõ nihil diuerſa à Lutherana & Sax. Sed ad inſti-

Pas. de Anabapt. ad duos par. Caluin. in 2. defẽſ. contra Veſtf. Oſiander contra Vitembergẽ. Luth. de capt. Bab.

Brandeburgici qui.

Audaces.

Censura de scripturis Canonicis. Luth. in præfat. in nouum testament.

Scripturæ damnatæ ab Euangelicis.

stitutum reuertamur. Vide autem quàm audaces & proterui ij sint, qui de sancta scriptura audacter iudicium sibi arrogant, dicẽtes, hoc est in Canone: hoc non est. Hoc est Petri, aut Ioannis: hoc nõ. Diui Iacobi epistolã palliarẽ, siue straminea vocitant. De epistola vero ad Hebræos vide quid scribat idem vester Aristarchus, & sacræ scripturæ non aduocatus, sed iudex. Epistola ad Hebræos, inquit, durum habet nodum, quod in sexto ac decimo cap. simpliciter abdicat, ac denegat pœnitentiam peccatoribus post baptismum: Et in 10. cap. ait, Esau quæsiuisse pœnitentiam, non tamen inuenisse, quod est contra omnia Euãgelia, & omnes Epistolas Pauli. Atq; inde colligit, eam epistolam neque Pauli esse, neq; cuiusquam Apostoli. Ne videlicet cogatur retractare illud, quod sæpe in ore & calamo habuit: Nihil esse in sacra scriprura, quod ipse non probè intelligat. Sicut & Apocalypsim negat omnino vel Apostolicam esse, vel propheticam. Et tamẽ eius perinde ac verbi Dei testimonio vtuntur plerique gregales eius, quoties de Antichristo loquuntur, & scribunt: Itemq; epistolæ ad Hebræos, quando libet. An hoc non est verbo Dei sese antepõnere, verbi dei authoritatẽ arbitratu tuo tribuere ei scripturæ, quam

pro-

propheticam aut Apostolicam esse neges? Quin parum hoc ipsis est. Hæreseos etiam damnare scripta apostolica audent; vt Luthe rus epistolæ ad Hebræos dogma id, quod in Nouato & Catharis postea damnauit Ecclesiâ, impingit, quemadmodum audisti du dum. Magdeburgenses etiam corruptores historiæ ecclesiasticæ, posteriorē Petri epistolam pro pseudapostolica habere viden tur, dum illud, quod in ea de Pauli Epistolis scribit Petrus, eas videlicet esse difficiles, inter pseudapostolica dogmata recensēt. Quàm petulanter autem ij scribunt de eodem Petro apostolorum coryphæo? Ne Paulo quidem parcunt, quamuis scripta eius cæterorum apostolorum scriptis videantur anteponere, ijsq; potissimum niti se præ se ferant. Scribunt enim: Non exiguum tāti doctoris lapsum fuisse videri, quòd is suasu Iacobi & cæterorū purificauit se in templo Ierosolymitano. Excusant eum tamen, vti venia dignum. At in illo tacitè condemnant, quòd is permittens Timotheo modico vino vti, propter stomachum & frequentes infirmitates, approbare videtur delectū ciborū, quē ille faciebat vino abstinens. Hanc enim vniuersè volūt esse doctrinā dæmoniorum. Nisi forte non idem de potu ac de cibo iudicant.

Petrus notatus ab Euangelic. Cent. 1 lib. 2. cap. 5.

Cent. 1. lib. 2 cap. 10. Paulus notatus.

cant. Quanta autem est illa audacia & temeritas, quãdo negat Lutherus, *a* nos necesse habere parere vllis humanis constitutionibus, neq; posse quenquã in aliũ potestatẽ habere propter libertatẽ, qua Christus nos omnes liberauit. Quòd si quid Conciliũ aut Papa cũ *b* omnibus Episcopis & Cardinalibus præcipiat, in despectum eorum (vtar enim verbo Lutheri) non esse parendum: Etiamsi rectum vel tolerabile sit, quod præcipiatur. Iã illud quale est, quod scribit idem: *c* Cur non hos Papas, hos Cardinales &c. omnibus armis impetimus, ac manus nostras in sanguine ipsorũ lauamus? *d* Quantũ verò placẽt sibimet ipsi, qui ita scribunt? Ego indulgentijs & omnibus papistis contrarius fui, sed per nullam potentiam. *e* Solum exercui verbum Dei, prædicaui, & scripsi: Aliud nihil feci, Eo quando dormiui, quando Vitembergensem ceruisiam cum Philippo meo & Amsdorffio potaui, tantum effeci, vt Papatus adeò debilitatus sit, quòd ei nullus adhuc princeps, aut Cæsar tantum detrimenti intulerit. Alibi verò: *f* Vos debebitis & cogemini Lutheri doctrinam inconuulsam & saluã relinquere, etiamsi decem mundis plures essetis. Corpus

a Luth. de capt. Babyl. & ad Pragen. & sermonib. fer. 4. post Inuoc. Et serm. dom. Remiscere. *b* Illyr. cõt. adiaphorist. *c* Luth. ad Sylvest. Prier. *d* Placentes sibimetipsis. *e* Idem ser. mon. feriæ 2. post Inuocauit.

Idem contra Regem Angliæ.

pus meum cito potest conteri: Sed doctrina mea vos conteret & deuorabit. Quò illud quoq; eiusdem Lutheri Elogium, quod recitaui antea, pertinet, quo is pestē se fuisse professus est. Quod quidē verissimum est, si quis pro papa religionem Christianā substituat. Quid ꝙ eos se esse putant isti, qui in tam latè patenti per orbem terræ Christiana religione, in tam multis nationibus atque linguis, per tot secula soli scripturam & verbum Dei rectè intelligant, & exponant. Et quod est in prouerbio, cornicum oculos configunt? Hoc est, sanctis patribus, & concilijs legitimis, in spiritu sancto congregatis & peractis, authoritatem omnē derogant, negātes se curare, quid patres, quid cōcilia sentiant. Euangeliumq; & verbum dei per multa secula sub scamno abiectum, ac situ & puluere obductum, à se mundo repræsentatum & illustratum esse iactitant. Sancta & salutaria ecclesiæ Catholicę institituta temere exagitant, atq; cōuellūt, & exvno terrę angulo cunctis Christianis populis credendi & uiuendi leges præscribere conātur. Notauit multa eiusmodi lepidè in Caluino Franciscus Balduinus duabus responsionibus ad eius calumnias & comitia, & in præfatione in Optatū Mileuitanū, & in epistolis ad eū ipsū

Idem in Syl. ueſt. Prier.

Caluinus. Brentius in prolegom. & Peric. Ochin. in dial.

Caluinum. Inter quæ illud prætermittendũ hic non est, quòd scribit is, Caluinum, cũ ab amicis quiddam verecundè moneretur, tumultuosè exclamasse: Seditiosos esse hos monitores, qui vel vnũ apicem deleri in suis libellis vellent. AVL. Hui. MON. Equidem in eam suspicionem venio, vt eum de sua ipsius sententia dictatorem & cancellarium quendam in ecclesia à quodam discipulo appellatum esse existimem, qui posset quiduis cancellare, vt vna tantum litura sit opus, Quemadmodum idem Balduinus memoriæ prodidit. Quale est autem illud quæso, quod scribit Lutherus ad præsides ecclesiæ: Certiores vos facio, quòd de cætero nolo vobis amplius eum honorem habere, vt me submittam vel vobis, vel vlli angelo de cœlo ad iudicandum & cognoscendum super doctrina mea. Et mox: Volo per eam & vester & angelorum iudex esse. An non præfracti hominis & confidentis hoc est? Quemadmodum & illud, quod recitaui dudum, quòd minatur is se aliam hæresim excogitaturum esse, dum aduersarij sui de vna aliqua triumphant. Verentúrne autem isti, si tibi græcus contextus arridet, honoratos viros maledictis incessere. Quàm petulanter scribit Lutherus in Georgium ducem Saxoniæ, in Hericum

Bald. ep. ad Caluin.

Luth. ad statum ecclesiæ.

Honoratos uiros non uerendos.

ricum regem Angliæ, in Carolum quintum imperatorem, nihil cuiusquam dignitatem & Maiestatẽ reueritus. Caluini maledicentiam notauit etiam Mart. Bucerus, cum eum canem rabidum, fratricidam, maledicendi morbo infectum appellauit, quemadmodũ ex ipsius Caluini quadam epistola Fr. Balduinus recitat. Proinde non minus verè is de se ipso ac Luthero, deq; omnibus istis pseudeuangelicis, quàm de Serueto, ni fallor, scripsit: Caninam illam mordẽdi latrandiq; rabiem, quam ebulliunt omnes scriptorum eius paginæ, satis testari, qualis hominẽ spiritus instigat. Quàm maledicè enim & probrosè & contumeliosè ij vulgo loquuntur & scribunt, & pingunt, & fingunt multa de põtificibus Max. & Episcopis, & alijs pijs & sanctis viris, ac de Christiano populo bene meritis, non modò in hoc seculo adhuc militãtibus, verumetiam cum Christo iam regnantibus, qui omnem vitã suam in doctrina, cultus diuini exercitatione, & sanctimonia trãsmiserunt, & ad extremum nonnulli propter Christum sanguiuem suum profuderunt, & stupendis miraculis cùm in vita, tum post mortè beneficio diuino inclaruerunt. Quale est, quod nostrates nonnulli cum Valentino Gentili acerrimum filij Dei athletam S. Atha-

tur maledictis incesserc.

Bucerus de Luthero.

Fr. Bald. epist. ad Caluin.

Val. Gentilis.

Athanasium, Satanasium per contumeliam vocitant. Quàm spurce autem & indigne tractant isti vestri & eliminant eorum imagines & reliquias, quos templa spiritus sancti fuisse negare non possunt? Miracula, quæ Deus ad sepulchra & memorias eorum fidei, quam ij nobis tradiderunt, & pro qua sunt mortui, confirmandæ causa mirificè in hanc diem patrat, dæmonum præstigias, impudentissimè digitum Dei blasphemantes, vocitant. Nec id modò, verumetiam ipsius sancti sanctorum Christi Iesu domini ac Dei nostri, quē pater clarificauit, gloriaque & honore coronauit, & super opera manuū suarū constituit: eius (inquā) imagines, salutares toti generi humano cruciatus, & mortem eius repræsentantes, spurcissime & Iudaicè prorsus contrectant, & non sine cōtumelijs demoliūtur, ne quam videlicet nobis beneficiorū eius memoriā relinquāt, Turcasq; & Tartaros Christiano orbi imminētes demoliēdi eas labore vt leuent. Mitto quòd exortus est nuper quidā in Morauia, qui quatuor prima Oecumenica cōcilia, quorū eximia est, fuitq; semper apud oēs Christianos authoritas, quatuor illas bestias, quas Daniel propheta è mari progrediētes vidit, esse asserat. Vides, quo blasphemiarum & maledicē-

Imagines Christi & sanctorum Euangelici quomodo tractēt.

Miracula sanctorum Euangelicus præstigiæ.

Ioan. 13.

Psal. 8.

Concilia quatuor prima, à quodam damnata.

tiæ

tiæ prouehãtur. Proinde Petrus infra malos angelos eos collocat,& mutis ac rationis expertibus,capturæq;ac neci destinatis animãtibus æquiparat, propterea quòd ea,quæ nõ norunt, vituperant, & corruptelis suis penitus intereũt:Idq; merito, nimirũ iniustitiæ suæ,quam in alios quidẽ linguis,calamis, ac manibus etiam,in seipsos aũt pecuina vita exercent,mercedẽ percipientes. Omnia sanè hæc,quæ dicit Apostolus,tam de maledicentia in honoratos viros, quàm de pecuinavita,rectissime quadrãt in vestros istos euangelistas. Quemadmodum & illa, quæ quasi explicandi gratia subiũgit,quod ij voluptatem existimant diei delitias:siue,quòd consectantur de die in diem delitias: Qui vniuersæ libertatis atq; religionis Christianæ vim in eo collocant, vt edat, bibat, agat, omittat quisque quod ipsi lubet, & vt lubet, &quando lubet,sicuti paulo antea etiam dixi, & in diem viuat, perinde ac Epicuri de grege porcus, vt ait poẽta quidem: fiatque sicut hodie sic & cras, & multo amplius, vt est apud Esaiam: Nempe quia Christus satis fecit pro nobis, lætandum & epulandum esse in commemoratione diræ & acerbæ mortis eius,nec esse operæprecium, vt quis conuertatur ad Deum in

Velut irrationalia pecora &c.

Voluptatẽ existimantes diei delitias.

Euangeliorum libertas in quo consistat.

Horat.

Esa. 56.

ieiunio, fletu, & planctu, vt oret instantius, vt castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, quo minus reprobus efficiatur. Nec modo laxant ij in omne tempus frena gulę & libidini, verum etiam vouere castitatem & cõtinentiam stultum esse, Deiq; verbo contrarium, & quod ab homine præstari nequeat, docent. Sicut enim sine cibo, potu, somnoq;, ita & sine coitu maris & fœminæ naturã humanam durare non posse. Et sicut non sit arbitrij cuiusquam, mas sit an fœmina, ita nec illud esse, vt se à fœminæ commixtione contineat. Quæ oratio ne apro quidẽ aut equo conuenit, tantum abest, vt hominis cuiusuis, non dico Christiani, & qui euangelicam & doctrinam resuscitare se profitetur, esse videatur. Non sunt ne autem isti coinquinationes & maculæ? Qui tam profligatè docentes pecuinos prorsus mores in hominum vitam inducunt, & bene constitutas respub. perturbant, & concordes pacatosque inter se ciuium & ordinum animos committunt, iuuentutem verò tantopore deprauant, & cũ nequitia & inuerecundia, tum contemptu magistratuum, furore, & audacia replent, vt nihil iam neq; pudeat, neq; pigeat, neq; pœniteat, nisi forte probum esse, & honeste viuere. Apud nos quidem in Polonia, quod prius

Continentia Euangelicis, stultitia.

Lute. de uita coniug.

Coinquinationes & maculæ.

prius etiã dixi, cernere est, quo genere flagitiorũ atq; scelerũ, maioribus nostris inauditorũ homines passim, non dico progrediantur, sed ferantur præcipites, ex quo præclarũ istud euangelium cœpit inolescere. Atq; his moribus religio Christiana, Iudæis, Turcis, ac Tartaris putidior & abominabilior reddita est, quàm vnquam fuit. An verò prauitate & improbitate sua, tanquam suauibus epulis perfruentes, ij non subsannãt nos (hoc enim hic sibi velle videtur Petrus) quòd ijs, qui nobis præsunt, reuerenter obtemperamus, humilitatem & patientiã consectamur, templa venerabundi obimus, pias peregrinationes suscipimus, oramus, ieiunamus, res ad vsum nostrũ à Deo conditas per verbũ & orationẽ sanctificamus, quo depulsis dęmonũ insidijs sint nobis salutares: vestitu, gestibus, & actionibus salutis nostræ mysteria repræsentamus; signo crucis dæmonibus terribili nos & omnia, quæ salua esse, quæq; sanctificare volumus, signamus; sacris reuerenter initiamur; pijs votis nos obligamus: aliosque ritus & cæremonias ad cultum diuinum pertinẽtes, quæ mentes nostras ad Deum attollant, partim Mosaicæ legis imitatione, partim è Christi apostolorumq; eius exemplis & institutis petitas, seruamus: Iuge & sacrosanctum

In conuiuijs suis luxuriantes uobiscum.

1. Tim. 4.

Mal. 2.

Mal.2. ctum Christi sacrificium à Malachia prophe-
ta prænunciatum venerabundi frequenta-
mus. Ac his de causis hypocritas, Iudæos, ma-
gos, & idololatras nos appellitant: Nec mo-
do nos personasq; nostras, sed res etiam ip-
sas sacras impuro ore & calamo ad nauseam
vsq; ipsorum etiam sectatorũ suorũ, quãuis
validis stomachis pręditorũ, insectãtes, spur
cius scribũt & loquuntur, quàm vel nequis-
simi serui & lænones in comœdijs, vel propu
diosa scorta in ganeis & lupanaribus. Vbi, q̃
multa nobis & maioribus nostris atq; suis,
& omniũ superiorũ temporum ecclesiæ Dei
falso, calũniose, & odiose impingunt? Vnius
Flacius. Flacij cum alia scripta, tum paginæ aliquot
Heßhusius in Suencfeldium editæ, & Heshusij libellus
de discrimine Papisticæ & Christianæ, vt
ipse vult, doctrinæ conscriptus, seu verius
transcriptus, satis documento cuiuis esse
possunt. An non habẽt autem oculos plenos
Oculos adulterij adulterij? cum se, & alios, qui se solenni ca-
plenos ha- stitatis voto Deo consecrarant, mares pa-
bentes. riter & fœminas falsis coniugijs, sed veris
Stancar. adulterijs & incestis contaminant. Diuor-
Melanch. tia quamuis leui de causa vulgo concedunt,
Liberi fra- separatisq; noua coniugia permittunt, imò
tres. plurium quoq; simul vxorum usum indul-
gent: quod faciunt Anabaptistæ seu li-
be-

beri fratres, & approbasse Bucerus edito in lucem libello (qui tamen statim suppressus sit) dicitur. Nec diuersum sentire videtur Bernardinus Ochinus, non temere ab Heluetijs nuper pulsus: Nisi quòd non aperte tamen adhuc edit veterator Academicus Mahometica illa sua mysteria. Reperias quidem nonnusquã ministros, vt ipsi vocant, ecclesiarum: qui dogma id, si non verbis profitentur, factis certe amplectuntur, & quo veniunt, vxores ducunt, relictis alibi prioribus. Vulgo notæ sunt comediæ cum alibi, tum in Prussicis quibusdam ciuitatibus. Quid illud, quod vester iste tertius Elias & euangelista quasi de tripode euangelij sui pronuntiat? Si nolit vxor debitum reddere, acciendam esse ancillam siue pediseq̃am. Et, Si maritus frigeat, vxori fas esse fratrem eius admittere, siue adeò adire. AVL. Quid ais. Istúdne quisquam docet. MON. Sic est. Consule libellum, quem scripsit Lutherus Germanicè de vita coniugali, vnde paulo ante etiam nonnulla deprõpsi. AVL. Nunquam libellum vidi. MON. Non mirum. Seruatur in penetralibus. Et tamen ipse dixit, vel scripsit. Est igitur purũ putum Euangelium. AVL. Proh sanctè deus. Sed perge. MON. Cessant ne autem isti

Bucer. Ochinus in dial. 21.

Luth. de coniugio. Nota.

Non cessãt delinquere

istí delinquere? Qui eò contentionis prouehuntur, vt ad quæuis absurda præter animi sui sententiam concedenda adduci se aduersariorum disputationibus patiantur potius, quàm vt vlla in re errorem suum quãuis manifestũ agnoscant: Quod postea fortasse exemplis planum faciam: Quiq; sacramenta, quibus ex instituto Christi & Apostolorum eius purgamur & sanctificamur, partim abierunt, partim profanarunt, partim virtute omni & efficacia denudarunt, formisq; suis, ab ipso Christo institutis, & apostolorum ecclesiæque perpetuo vsu sacratis spoliata, quasi cassas nuces pueris ad vsum reliquerunt; Et cum in mores nostros passim debacchentur, ipsi nihilominus bacchantur, tantumq; absunt ab emendanda vita, vt ipsimet sectarum authores de proteruitate & licentia suorũ querantur, quam ipsi instituerunt, docentes: Non esse discrimẽ apud Deũ inter bonum & malum opus. Et: Non posse hominem damnari, si modo credat, etiam si sit nequissimus & nocentissimus. Eiusmodi aũt verbis & indulgentia rerum earũ, quę vulgo placent, libertatis (inquam) siue licentiæ, nouarũ tabularũ, & vsurpatiõis alienarũ facultatũ ac dominationis, atq; pollicitatione scientiæ multis seculis toti orbi terrarum incog-

Sacramentorum contemptus.

Melanchtõ in. annot. in Ioan. Luth. de capt. Bab.

incognitæ, sicut serpens Euam seduxit, ipsi quoq; pelliciunt ad se animas instabiles, & homines leues, decoctores, superbos, ambitiososq;, quasi inserto in nares eorum circulo seducunt, & huc atque illuc arbitratu suo circumducunt: Et quamuis confiteanturvtilem & necessariam esse in ecclesia disciplinã, eliminarunt eam tamen penitus, in ieiunio, confessione sacramentali, satisfactione, excommunicatione, & omni iurisdictione & authoritate ecclesiastica, quo facilius plebes & improbos ad se pelliciant, pellectosq; retineant. Proinde id assequuntur, quod scribit Ochinus, vt euerso vnius dæmonij regno, aliud septem dæmoniorum, & longe magis impium, quàm prius, extruant, ita vt deteriore loco sint ciuitates eiusmodi & ecclesiæ, si deo placet, reformatę, quàm prius fuere. Nam cum antea, inquit, votis obstricti ab aliquibus flagitijs abstinerent, deinceps idẽ soluti, & spiritus expertes, laxabũt omnibus vitijs habenas. Ita fiet, vt cum antea purgatoriũ esse existimantes, nõnullis prẹcationibus & beneficentia pro mortuis vterentur, deinceps neutrum vel pro viuis vel pro mortuis faciant. Antea sese à quibusdam delictis continebant, ne ea essent confitenda, & confessi ablata reddebant: at nunc relicta confessio-

Pellicitẽtes animas instabiles.

Disciplina eneruata. Ochin. dialog. 27. Bulling. cõtra Anab. Ochi. dial. 26.

fessione, neutrum faciunt. Antea cupiditatibus suis nonnihil imperabant, at nũc genio indulgent: omnẽ diem profanũ habẽt: nec simulacra, nec deũ colũt: nec diuos nec Christũ inuocãt, neq; itẽ suis operibus, neq; dei misericordiæ confidunt. Ita Ochinus. Tales igitur sunt istorum reformatæ, seu verius deformatæ ecclesiæ, vel ipsorũmet deformatorũ testimonio. Sed ipsi interim nauiter rem suam agunt. Freti enim gratia populari, formidabiles fiunt magistratibus ciuitatum & principibus, & ipsis adeò symmistis suis: Proferrem exempla & querelas, si opus esset. Non valde quidem dissimulant dolorem Ochinus & Hesshusius. Sed prosequamur verba D. Petri. An verò non habent isti cor exercitatum auaritia? Qui repudiata ea, quam vltro nonnulli voto solenni susceperant, paupertate, & in auaritiam sacerdotum detonantes, direptis templis, monasterijs, & alijs Deo dicatis locis atque bonis, è sacris quidem vasis pocula vel cultrorum manubria, è vestibus verò culcitras aut vestium profanarum fimbrias sibi, vxoribus, filiabusq; suis fecerunt: & non vnum aut alterũ anserẽ, sicut Stancicus noster, ad iugum sellæ sibi porrigi iubent, sed satiari nunquam possunt, & vel am-

Och. in dialog. Hesshus. in defen. aduer. Magdeb.

Cor exercitatum auaritia habentes.

ampliores subinde mercedes à conductoribus suis poscunt, minisque & conuitijs extorquent, vel si vberioris lucri spes aliunde affulserit, non difficulter se in aliud ab eo, quod prius prædicarunt, euangelium transferunt. Non suntne autem filij maledictionis? Et quidem duplici nomine, vel quòd sint maledicentissimi, sicuti prius dixi, & vel hac vna nota internosci studeant, ita vt si maledicta è scriptis & concionibus eorum detrahas, inanes ferè chartas & mutas personas aspicias. Vel igitur hoc nomine sunt maledictionis filij, vel quod peruertendo sensum scripturarum sanctarum, & euangelizando nobis præter id, quod accepimus, & exasperando communem matrem ecclesiam, & cum improbo Cham turpitudinem eius, quantum in ipsis est, reuelantes, dilexerunt maledictionem, & veniet eis, vt ait Dauid, quasi paterna hæreditas, diuino promisso talibus destinata. An non derelinquunt autem viam rectam? Qui ex nobis prodeuntes, non manent nobiscum, & non modo nõ stant super vias, secundũ præceptum Dei, & interrogant de semitis antiquis, verum etiam præfractè transgrediuntur terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri,

Maledictionis filij.

Nota pseudeuangelicorum cõcionatorũ.

Gal. 1.
Pro. 22.
Eccl. 3.
Gen. 9.
Psal. 108.

Derelinquentes rectã uiã.

1 Ioan. 2.
Hier. 6.
Pro. 22.
Eccl. 3.

Apo-

Apostoli, inquam; & apostolici viri, Episcopi, doctoresq; sancti, & Concilia: deniq; à Catholica ecclesia, quæ perpetuo sancti spiritus magisterio regitur, & extra quam, perinde atq; extra arcam Noe regnante diluuio, nemo saluus esse potest, sicut scribit S. martyr Cyprianus, & post eum Hieronymus, segregarũt semetipsos, & segregant quos possunt, cum quibusuis, etiam quos ipsi pro hæreticis & impijs habent, sese coniungentes, & contra eos, apud quos omne bonum, verumq; Christianismum, imò nucleum Christianismi esse, & inde ad se venisse non diffitentur, scelesta consilia consociantes. Quæ licet nec prius latuerint, è Marpurgensi conciliabulo præsertim, nuper tamen in Francofordiensi conuenticulo, & mox in colloquio Vormaciæ iterum instituto, planius à male concordibus eorum socijs prodita sunt. Et errarũt autem secuti viam Balaam ex Bosor, qui dum Viclefi, Berengarij, Vigilantij, Iouiniani, Aërij, Donati, Pelagij, Massalianorum, Eutychetis, Arrij, Sabellij, Catharorũ, Marcionis, Simonis Samaritani, & aliorum priscorum hæreticorũ inueterata, & ab ecclesia Dei iam pridem damnata dogmata studiosè consectantur, & sopitos olim ignes è cineribus eorum exuscitant, quasi de inueteratis eorum

Cyp. de simpl. prælat.

Hier. ad Damas.

Luth. ad duos pleb. de anabap.

Marpurg conuentus Francofordien.

Vorm. col. An. 1557.

Errauerũt secuti uiam Balaam ex Bosor.

eorum vindemijs reſiduos racemos colligũt, vetuſtamq; turris Babylonicæ munitionem contra eccleſiam Dei noua ambitione reſuſcitant. Balaam enim Hebræis inueteratum, Boſor autem vindemiam ſiue munitionem ſignificat. Amarunt autem & ipſi, vt Balaam, mercedem iniquitatis, propter cõmoda ſua vel ſperata, vel amiſſa Eccleſiæ aduerſari, eãque cum præſidibus ſuis execrari, & nouas res moliri orſi. An neſcis, vnde nam Lutherus iſtam ſuam doctrinã tragœdiamq; orſus eſt? AVL. Dic amabo. MON. Nempè quod alij cuidam, ac non ipſi, pontificiarum veniarum ſiue indulgentiarum promulgatio (vnde ipſe permagnum quæſtũ ſperabat) delegata fuit. Quem bolum cùm ſibi præreptum doleret, cœpit homo vehemens pro concionibus exagitare primum negociationem, deinde negocium omne indulgentiarum. In eo cùm ſe ei nonnulli opponerent, contentione prouectus eſt longius, poëtaſtris, atque rhetorculis adoleſcentulis oleum, quod dicitur, camino affundẽtibus. Cumq; aduerſari ſibi præſides & inſtituta eccleſiæ, & pontificis max. authoritate in primis premi ſe animaduerteret, in eum furorem atq; amẽtiam erupit incircũciſus Philiſtæus, vt omnem Dei viuentis exercitum maledictis proſcinderet, decretales ſu-

Balaam. *Boſor.* *Mercedem iniquitatis amant.* *Lutheran. doctrinæ exortus.* *Decretales*

epistolæ exustæ à Lutherò.

periorum pontificum epistolas, & Canones Ecclesiasticos publicè homo priuatus & mendicus fraterculus furibundus damnaret, ac exureret, nec sit veritus postea, scripto edito affirmare, quòd maximo se beneficio affecturus fuerit Carolostadius, aut quisquis alius persuadere sibi potuisset, in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem non esse.

Luth. ad Argentin.

Nulla enim re Papatui, hoc est, vt ipsum alibi interpretari paulò ante audisti, vero Christianismo magis incommodari posse. Et sanè falsus is est, nó propter deum eam rem cœptam esse, nec propter deum finitum iri. Viden?

In disput. Lipf.

Eliç istius, vel, vt ipse mauult, Euangelistæ zelum atq; propositum? Vnde perspicuè cernere licet, cuius nã ille siue propheta siue Euangelista sit: Nempe illius, qui expetiuit, vt cribraret apostolos Christi sicut triticum, & quo

Luc, 22.

authore Balaam mercedem iniquitatis adamauit, vt ei populo malediceret, cui deus benedicebat. Proinde & ipse eodem consilio

Vxores cur datæ sacerdotibus & monachis.

sacerdotum, monachorum, & monacharum libidini frena, votis nuncupatis adstricta, laxasse videtur, quo ille Madianitidas mulieres Hebræis obiecit: Nempe vt deum populo suo iratum redderet, pluresque tam suauis iugi illecebris in suas partes pelliceret. Nec multũ à Luthero diuersam secessionis causam

sam Caluinus habuisse fertur, nec formã doctrinæ, vitæque institutum. Exitum verò multo miserabiliorem etiam, & Ariano ac Nestoriano fœdiorem. An autem dissimulat curta Vergerius, quibus rebus adductus ipse, iurisiurandi religione violata (de quo etiam gloriari eum non pudet) ad Lutheri, vel nescio cuius istorum castra transierit? An item nescis, vnde alius quidam, si deo placet, Euangelista & superintendens verè peregrinarum ecclesiarum, primùm in Anglia, deinde in Polonia nobis exortus est? Nimirum quod apostolicum locũ, ad quem adspirauerat, neque in patria, neque in Vngaria assequi potuit: Cumque pro Episcopo iam se gereret, spe sua, quæ arridere ipsi cæperet, frustratus est. Itaq; inops consilij, cum egeret, seque prægrauante suspicione purgare instituisset, ac nõ obscuro periurio obstrinxisset, negotiatoris Euangelici exemplum secutus, venditis omnibus, quæ habuit (etiam sacerdotijs, quæ ad eam diem cõscientia repugnante retinuerat) emit sibi preciosam Margaritam: & cum domi non sibi nasci liberos sciret, foris in textrina quæsiuit. AVL. Intelligo, quem denotas. MON. Credo. Sed quid ego istorum cubilia perueſtigo? Quasi nõ pleriq; omnes vestri Euangelistæ & ministri viam Balaam

Caluin. secessio.

Vergerij apostasia.

Io. Lasci defectio.

Euangeliorum defectionis ab ecclesia & causæ.

& ipsi secuti à vero Christi euangelio ad aliud transeant, partim mercede redempti, egestatisque releuandæ causa, partim dolore præreptorum, negatorúmue commodorum aut honorum iritati, partim cœca ambitione & eminendi, vulgoque innotescendi libidine incensi, partim arrogantia ac dedignatione parendi uel cedendi alijs opinione sua indignioribus incitati, partim pertinacia & cõtentione prauæ alicuius opinionis defendendæ stimulati, partim iniuria contumeliaue exacerbati. Mitto eos, quorum maxima pars est, qui flagitijs sceleribusque cooperti, disciplinæ pœnæque formidine non solum ex episcoporum, abbatum, & aliorum præsidum suorum, verumetiam è sua ipsorũ potestate exeunt, & ad vos, tanquam ad asylum perfugiunt, & vxorem cum cathedra præmij loco à vobis, spiritum autem, euangelicum scilicet, ab odio perfidiaque accipiunt, non tam errantes, quàm, vt Pauli verbis vtar, in errorem mittentes. Tales vos habetis passim diuinos scilicet, diuini verbi precones: quorum non pauci vix in ciuitatibus & oppidis vulgo preconium facere digni sint, aut ab eiusmodi certè preconio, ne dicam canicidio & carnificina nonnunquam ad istud nouum preconium repentina & mira ac mirifica metamorphosi

phosi transformati prorumpunt. AVL. Redeamus ad verba Petri. MON. Benè mones. Redarguunt autem & istorum itidem, ac Balaami illius, væsaniam & insipientiam subiugalia muta animalia, equi & asini, non humana quidem voce, sed rebus ipsis & naturis, dum à sessoribus & rectoribus, non modo flagris, verberibus, & calcaribus, verùm clamore & minis in officio continẽtur, & à ferocitate, lasciuia, ac re venerea cohibẽtur, quãuis inflammati libidine: Istis negantibus, in potestate hominis esse, vt rectè vel perperàm viuat, & contineat se à concubitu. An nõ sunt autem isti fontes sine aqua, siue, vt Hieremias ait, cisternæ dissipatæ, quæ non possunt continere aquam illam viuam, de qua Christus locutus est, hoc est, spiritum sanctum? (Sic enim Iohannes interpretatur.) Qui vel tales sunt, quales depinxi modo, & à talibus orti initijs, vel vt non sint, verba quidem scripturarum tenent, sensum verò earum à spiritu sancto per ora sanctorum patrum atq; conciliorum proditum, & in ecclesia catholica, quę est calumna & firmamentum veritatis, per multa secula conseruatũ, reijciunt, &, vt prophetę dicunt, spiritum suum sequuntur, & seductionem cordis sui prophetant: Quod paulo pòst magis planum fiet. Itaq; ergo verè &

Correptio nem ueſa niæ ſuæ &c.

Fontes ſine aqua.

Hier. 2.

Ioan. 7.

id, quod deinceps addit Petrus, in eos quadrat, quòd sint nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum sine gehennæ, siue etiam illarum, quibus obscuratum est insipiens cor eorum, & traditi sunt in sensum reprobum, reseruatur. Etenim perinde ac nebulæ circumferuntur omni vento doctrinæ, & quod cuiq; in mentem venit, & quamdiu venit, iam sic, iam aliter docent: non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ad extremum autem ij, cum partim expressis scripturæ verbis, partim suis ipsorum scriptis, partim denique ipsa rerum euidentia (quamuis sint præfracti & impudentes) vrgentur & redarguuntur siue à nostris, siue à suis diuersum sentientibus, spretis omnibus legitimis hominum iudicijs, ad tribunal Dei prouocant, vt interim sine vlla cuiusquam censura atque coërcione pro libidine sua quisque quod libet sentiat, ac faciat, suoque ipsorum iudicio condemnati, quid aliud, quàm caliginē sempiternarū tenebrarum expectant? An non loquuntur autem superba vanitatis, cum ita scribunt? Si voluissem cum impetu procedere, induxissem in Germaniam magnam sanguinis effusionem: Imò orsus fuissem ludum Vormatiæ, ita vt imperator non fuisset tutus.

Nebulæ turbinibus exagitatæ. *Rom. 1.* *Ephes. 4.* *Brent. in Prolegomenis.* *Superba vanitatis loquentes.* *Luth. ser. fer. 2. post Inuoc.* *Ludus Lutheri.*

Orsus

Orſus tu quidem es belua, ſiue Smalcaldiæ, ſiue Francofordiæ ad Mœnum: Sed tamen in eo ludo, iſti tuæ doctrinæ conſentaneo, tua mancipia minus tuta fuerunt, quàm pius Imperator: Iuſtiorem cauſam Deo non obſcuris documentis & ſucceſsibus comprobante. Quod tamen tibi uiuenti ſpectare non licuit. Sanguinis autem effuſionem & ipſe trucibus oculis tuis adſpexiſti, & poſteris ſpectandam reliquiſti. Alibi autem audi quid idem dicat. Dico igitur ego Martinus Luther domini noſtri Ieſu Chriſti indignus Euangeliſta, quòd hunc articulum (ſola fides abſq; omni opere iuſtificat coram Deo) debent ſtãtem ac manentem dimittere (ſic vertit quidam Germanica) Romanorum Imperator (audi ſeſquepedalia verba) Turcarum imperator, Tartarorum imperator, Perſarum imperator, papa, omnes cardinales, epiſcopi, presbyteri, monachi, monachæ, reges, principes, domini, omnis mundus, omneſque pariter dæmones. Et debent prætereæ infernalem ignem habere ſuper capita ſua, & nullam ad hęc gratiam. Hic ſit meus doctoris Lutheri inſtinctus à ſpiritu ſancto, & verum Euangelium. Satis pro imperio. Quid verò, ſi huius beſtiæ tam magna & blaſ-

Idẽ in gloſ. Germ. edicti imperatorij.

blasphemia loquẽtis cornua, nempe Melãchtonem, Brentium, Lascum, & cæteros eiusdẽ farinæ delicatiores, non semper tamen bene simulantes humanitatem & modestiam, legas vel audias? Quid si Caluinum, Bezam, Illyricum, Vergerium, & alios, qui pleniore & verè Lutherano afflatu, aut si mauis rabie incitati, minus sibi simulandum ac dissimulandum esse putant? Agnoscas in eis procul dubio si non voces, certè spiritus paternos, cum dicit apud Esaiam, In cœlum ascendam: super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium: similis ero altissimo. Quo quidem nomine Caluinum discipuli eius perstringunt, quẽadmodum dixi prius. Ipse certè alicubi, quasi iamiã cœlitus, & è concilio deorũ, vt est in veteri prouerbio, delapsus, ita scribit: Hoc nõ à me, sed à domino audacter pnũcio. Recte illud audacter addidit. Stancarus quoq; aduersarius eius, deum per se nobis Polonis loqui asseuerat. Sed nulla ij proferunt fidei seu fiduciæ diplomata. Istis autem vanis & superbis sermonibus ac scriptis suis, varijsq; & peregrinis doctrinis pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ, eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, hoc est, qui specie qua-

Esa. 14.

Cal. in inst.

Stanc. de Trin. & mediat.

Pelliciunt in desiderijs carnis &c.

2. Tim. 2.

quadam pietatis ducti, & abusibus, vt putant, vel etiam duriore disciplina ecclesiastica offensi, deflectere de via, terminosque patrum suorum transgredi paulisper sibi permittunt, & erroris se piosque maiores suos temerè cõdemnant: & initio modica spernentes, vt ait Sapiens, paulatimq; à recto tramite sese demittentes, ad extremum in imum impietatis barathrum decidunt. Quomodo autem eos pelliciunt? An non libertatem ipsis promittẽtes? At luce meridiana clarius est: Nec ipsi diffitentur, nihil se aliud agere ac docere. Et hac ratione, plurimos ad se pellexerunt, & regna ac respub. perturbarunt & perculerunt. Sed nec illud minus clarum est, quod ipsi sunt serui corruptionis, dãtes libertatem in occasionem carnis, vt ait Paulus, & velamen habẽtes malitiæ libertatem, vt alibi Petrus scribit. Quod etiam superius demonstraui. Vides igitur, quàm pulchrè Petrus duos istos Prophetas & magistros pseudeuangelicos quasi suis coloribus depinxerit. Quod & Iudas apostolus fecit in eandem ferè sententiam, & cùm alijs, tum duabus illis maximè illustribus notis eos delineauit, imò quasi digito ostendit, dicens. Hos esse, qui segregant semetipsos: Animales spiritum nõ habentes, vt ne quis speciosis eorum prętextibus fallatur,

Libertatẽ ipsis promittentes. *Eccl. 19.*

Serui corruptionis. *Gal. 5.* *1. Pet. 2.*

Iudas apostolus.

& aliquid spiritu dei dignum, vel doctrinæ Christi consentaneum ab eis expectet, habeatque vllam erroris sui excusationem. Nam cum prophetæ Christum principem pacis forè prædixerint, Et Iohannes Euangelista veniſſe eum aiat, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, & ipse autem rogarit patrem pro suis, vt seruet eos, vt sint vnum, ficut & ipse est cum patre, certe alieni sunt isti, qui scindunt vnitatem, & segregant semetipsos: lupi sunt rapaces non parcentes gregi, vt Pauli verbis vtar, loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se: antichristi sunt, qui dispergunt ea, quæ Christus per se suosq; collegit, & cum è nobis prodierint, non permanserunt nobiscum: pseudoprophetę sunt, qui exurgentes in ecclesia Christi, in qua obscuri, vel minus clari certè, quàm vellent, prius latuerant, vt facerent sibi nomen in terra, seduxerunt multos, & protestantium nomen, quo secessio coarguitur, sibi sumpserunt. An non animales autem sunt? Qui doctrinam suam omnem ad libertatem carnis & pecudum vitam instituunt, & zelum amarum habent, & contentiones non solum in cordibus suis, vt ait Iacobus, verumetiam in omni vitâ atque doctrina, sicuti

Pseudeuangelici segregant semetipsos.

Esa.9.

Ioan.11.

Ioan.17.

Actor.20.

1.Ioan.3.

Matt. 24.

Animales.

Iac.3.

sicuti iam ostendi; neque negare possunt, sapientiam suam ex his fontibus manantem, & quales ostendi fructus edentem, terrenam esse, animalem ac diabolicam? Animalis autem homo, inquit Paulus, non percipit ea, quæ sunt spiritus dei: nec vlla est conuentio Christi ac spiritus eius ad Belial. AVL. At Christus idem ait se venisse, vt gladium mittat inter homines, non pacem, & separet hominem aduersus patrem suum, &cet. MON. Scilicet. In hoc isti pulchrè Christum imitati sunt & imitantur, seditionibus & bellis ciuilibus & parricidialibus orbem terrarum exagitantes. At ille non exerendum, sed sufferendum suis gladium immisit. In mundo, inquit, pressuram habebitis. Et: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Itaque magnum ij certamen passionum iam inde ab initio, non inferebant, sed sustinebant, sicuti prius è Paulo recitaui: Inter se autem & in Christo pacem habebant, & in omni humilitate & mansuetudine ambulabant cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quibus contraria prorsus noui isti euangelistæ faciunt, & facere se ipsi non negant, neque negare possunt, refel-

1. Cor. 2.
1. Cor. 6.
Matth. 10.
Christus gladium misit in terram.
Ioan. 16.
Ioan. 15.
Heb. 10.
Eph. 4.

1.Ioan 3. Ioan.13. 1.Ioan.2. 1.Cor.13. Heb.3. *Pseudeuangelici quales.* Eph.4. 1.Cor.14. *Lutherus quo spiritu incitatus fuerit.* *Luth. ser. dom.Reminis. Et de abrog. missa.* 2.Cor.6. *Melanchtonis spiritus.* *Stanc. de Trinit. & mediat. ad Caluinum.*

refellente eos ipsa rei euidentia. Vnde manifestè apparet, eos neq; ex nobis esse, neque Christi discipulos, neque in luce ambulare, multòminus alijs lucem afferre, neque deum pacis & dilectionis secum habere, aut videre, aut alijs ostendere: neq; ad eandem nobiscum & cũ populo dei spem vocationis pertinere: neq; deniq; spiritum dei, qui non est dissensionis deus, sed pacis, habere: Sed esse falsos prophetas, pseudeuangelistas & seductores. Expectásne aũt, vt ipsi etiã de se, quod res ipsa & species doctrinæ non obscurè loquitur, desertis verbis confiteantur, cuiúsnã prophetæ sint, & quo spiritu incitati scribant ac doceant? Nusquam illi quidem spiritũ Dei & Christi non iactant, ita vt difficile sit diuersam confessionẽ ab ejs exprimere: Sed tamẽ cũ princeps eorũ & architectus gloriatur, se cũ satana vnũ & alterũ & fructũ salis comedisse, ac de missa cũ eo disputantẽ firmis & inuincibilibus argumẽtis ab eo victũ se esse fatetur, an nõverissimè & rectissimè nos ipsi oc cinemus Paulinũ illud? Quæ enim participatio iustitię cũ iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ aũt conuentio Christo ad Belial? De Melãchtonis aũt spiritu audi quid scribat Frãciscus Stãcarus: Sanctus hypocrita gloriã suã magis quàm gloriã dei, & vtilitatẽ ecclę-

ecclesiæ quæsijt. Idemq; Septentrionis antichristum eum vocat. Iam Caluini spiritũ mirificè depingit Frãciscus Balduinus, qui propter summã familiaritatem, intus, quod aiũt, & in cute cognitum habere debet hominem. Perstringit eũ etiã, suppresso nomine Ochinus. Nec ipse Caluinus id magnopere dissimulauit. Admonitus enim à Bucero, Ne scripta sua tot contumelijs & probris, petulante scurra potius, quàm modesto sacrarum literarum professore dignis inquinaret, rescripsit, Morbum eum non ingenij, sed genij sui esse. Cuiúsnam genij censes, nisi eius, qui in sacra scriptura accusator hominum appellatur? Paulus certè malignos, susurrones, detractores, & contumeliosos in ijs numerat, quos tradidit deus in sensum reprobum. Citatur etiam à nonnullis Zuinglij testimonium de se ipso, quòd cum de sacramento Eucharistiæ à Luthero & Carolostadio diuersam opinionẽ excogitasset, & in ea adstruenda çstuaret, in somnis monitorem sibi adstantem viderit & audierit, nec meminerit tamen, albus is, an ater fuerit. De Carolostadij & Ioãnis Campani, & Osiãdri spiritu, nihil attinet dicere. Prodidere nonnulli etiam è Lutheranis siue protestantibus. Penes eos fides esto. Anabaptistarum autem spiritus non obscurè sese exerit,

Caluini spiritus.
Franciscus Bald. in responsa. 2. ad Caluinum, & in præfatione in Optatum Mileuitanum.
Ochin. in dial.
Caluin. epistola ad Bucerum.
Apoc. 12.
Rom. 1.
Zuinglij spiritus.
Carolstadij Campani & Osiandri spiritus.
Anabaptistarum spiritus.

rit, quando carnem & vxorẽ proximi concupiscit: Quem ipsi partim Gabrielẽ, partim ignotũ patrẽ cum priscis hæreticis appellant. Is est aũt proculdubio ille, quẽ Paulus in angelum lucis se transfigurare, Esaias altissimo similem esse velle scribit. Eius igitur prophetæ sunt isti, cuius spiritu aguntur, & qui segregant semetipsos, quod ipsi non diffitentur, & luce meridiana clarius est: quãuis ijdẽ negẽt vllã omnino iustã esse posse causã & excusationẽ separationis. Qua de re alibi, spero, plura dicã. Nunc satis est, ostendisse, eos, quasi sorices (quod tu dudum de nobis dicebas) suo ipsorũ iudicio perire, neque negare posse, se esse illusores, vt ait Iudas, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, seductores, magistros mendaces, falsos prophetas, & hæreticos proprio iudicio condemnatos, abducentes post se discipulos, & persuadentes eis, vt eant segregantes semetipsi, & ab ecclesiæ catholicæ consensu discedentes, & seruiant dijs alienis, quemadmodum scribit Moses. AVL. Qui sunt autem dij alieni, ad quos isti à vero deo nos auocant? MON. Noua & peregrina dogmata: Ad quæ cũ isti vana quadam religione animos hominum adstringũt, ac pro ipsissimo Dei verbo ea venditant, pro dijs ea volunt haberi. Sed quoniã ea cũ ipsius ma-

2. Cor. 11. Esa. 14. Col. Vorm. 1557. Confess. Aug. & Apolog. Luth. in declar. quorundam art. & in disput. Lipsi. Deut. 13. Dij alieni.

magistri nostri Christi domini salutari, ab initio nobis per apostolos & apostolicos viros tradita, & per tot seculorũ successiones in ecclesia eius ad hoc vsq; tẽpus fideliter cõseruata, doctrina nõ congruunt, & à prisca patriarcharũ ac prophetarũ vniuersiq; populi Christiani pietate aliena sunt, alieni sunt dij. Quorumnã aũt? Cunctarũ in circuitu gentium, inquit Moses: hoc est, impiorũ hæreticorũ, qui, vt ait Psaltes, in circuitu (populi dei nimirũ, ecclesiæq; ex qua egressi sunt) ambulant. Et quidẽ earũ gentiũ, quę iuxtà, vel procul sunt: hoc est, recentiorũ iuxta, ac vetustiorũ hęreticorũ, quemadmodũ ostendam statim. Quos deos ignoramus nos, qui intra ecclesiæ sinũ nos continemus, & patres nostri, sancti & orthodoxi doctores, atq; adeò apostoli & prophetę, qui verũ nobis euangeliũ & verbũ dei iãinde ab initio bona fide, multi quidẽ etiam sanguine suo obsignatum, tradiderunt. Quin paulò ante ignorarunt eos deos etiam ipsi, priusquàm à nobis exirent: Ac tunc etiã, cũ superbia & odio incitati exirent. Itaq; permulta aliter initio, quàm postea docuere. AVL. Horrenda dicis, si vera sunt. Sed mihi aliter videtur. MON. Imò sunt verisima. AV. Sunt fortasse in ijs doctrinaq; eorũ nõnulla digna reprehensione, quemadmodũ tu ostẽdisti. Psal 11.

distí. Certè homines sunt & illi. Est autẽ humanũ falli, labi, decipi. MON. At id tu prius de Luthero negabas. AVL. Lapsi sunt nonnunquam & veteres doctores, quorum tamẽ authoritas apud vos penè sacrosancta est.

Doctorum ucterum lapsus.

MON. Ficulnum præsidium. Lapsi quidem sunt illi nonnunquam permittente Deo, verùm non tam crassis ac diabolicis, sed humanis lapsibus, hoc est, in rebus leuioribus: Nec pertinaciter & per secessionem errores suos contra superiorum suorumq́; temporum ecclesiæ sententiam tutati sunt: Et lapsi sunt autem, non vt lapsus eorum temeritati hominũ quiduis audentium patrocinẽtur, sed vt cautiores nos reddant, ne quis confidentia proprij ingenij doctrinæq́ue, ab vniuersi populi Christiani sensu consensuq́; facilè discedat. Verùm de hoc alius erit, spero, dicẽdi locus.

AVL. Bene mones. Illa igitur spectemus potius, in quibus hi, euangelici inquam, doctrinam euangelicã instaurarunt, quam vos monachi & sacrificuli nouis dogmatibus & superstitionibus vestris obscuraueratis, & luminibus nostris officiebatis. MON. Quid istuc dicis contra publicam pseudeuangelicorum istorum tuorum & protestantium confessionem? Concesserunt enim hoc illi nobis in cõmitijs Imperialibus, Nos esse veteris religionis.

Nouitas Euangelicorum.

1547.

nis. Cumq; aduersari se nobis in ea profitean
tur, simul nouitatem suã videntur aguouisse.
Imò iactant ij nouã lucem à se ecclesiæ Chri-
sti, tetris errorum & idololatriæ tenebris im-
plicatæ, illatam: ac tu quoq; dictitas. Sed vide
quid de ista luce & vestris istis luciferis scri- *Bulling. in*
bat Bullingerus, vnus & ipse de vestris Euan- *assert utri-*
gelistis. Sunt, inquit, qui nouitatibus delectã *usq; natu-*
tur: Sunt qui vana gloria capiuntur, qui volũt *ræ in Chri-*
videri nouam quandam lucem mundo infer *sto.*
re, aut aliquid singulare animaduertisse, ꝙ *Lux Euan-*
nemo priorũ animaduerterit. Hęc ille. Quasi *gelicorum.*
non ipse quoq; idem faciat, cum in alijs ple-
risq;, tũ in sacramentario dogmate. Mihi qui-
dẽ talis esse videtur lux ista, quali post esum *Gen. 3.*
pomi vetiti in paradiso, illuminati sunt oculi *Luc. 10.*
Adami & Euæ: nimirum à Satana, quem fili-
us dei vidit sicut fulgur de cœlo cadentẽ, pro
fecta, veræ luci, quam nos ex ipsius filij dei
euangelio hausimus, aduersa, vestraq; ipsorũ
confessione noua. Sed age, quãdoquidẽ isti
vestri magistri nolũt se alligatos esse scriptis
ac dictis suis: Quorũ nam quæso luminibus *Verbum*
nos offecimus? AV. Nostris idiotarũ siue Lai *dei a nobscu*
corũ. Sic enim à vobis appellamur. MON. *ratum sit à*
Igitur aliter nos ipsi intelligebamus, q̃ vos *papistis.*
docebamus? AV. Negas? MON. Nõ videtur.
Nisi fortè alios libros habebamus, & priuata

conuenticula, à quibus vos arcebamus. Verũ hoc neq; Lutherus nobis impingit, neq; quisquam probare potest. Semper vobis patuerunt nostræ scholæ atq; libri. A VL. Ergo ipsi quoque errabatis. MON. Vbi nam? In Polonia tantum? an etiam vsquam alibi. A V. Imò ex Italia & Roma in Germaniam, Boëmiam, Vngariam, & Poloniam omnia praua dogmata inuecta sunt. M ON. Galli igitur, Hispani, Lusitani, Scoti, Siculi, aliæque nationes Christianæ aliter sentiunt? AVL. Sentiebant olim: Sed illas quoque Roma infecit, cum principatum ecclesiasticum in jis vsurpasset. MON. Quid hoc est, nisi nugari? Quasi non iam inde ab initio, multoq; prius, quàm nos ad Septentrionem remoti, pleræq; illæ gentes Romanam ecclesiam religionis magistrã habuerint & agnouerint. Ita ne temporum & historiarum rationem nullam tenetis, vt ausitis contendere, nuper has, quas modo enumerauí gentes, Christianam religionem suscepisse, aut aliũde, quàm à Romana ecclesia, aut aliter, quàm nunc retinent, suscepisse? Quin nos Poloni & Boëmi ante quingentos & sexcentos annos, Gallis ferè magistris Roma missis in religione vsi sumus. Argumento sunt nõ solũ primi episcopi, qui fuere pleriq; Galli, sed etiam ritus & cantus ecclesiastici cum

Galli magistri religionis in Polonia.

cũ Gallicis magis, quàm cũ Romanis cõuenientes. AV. Sit ita sanè vt dicis. Verũ in Græca & orientali ecclesia, in Africa, Asia, India, & in alijs regionibus, quæ nõ sunt, neq; fuerũt sub iurisdictione paparũ, syncerius fortassis, & incorruptius conseruatum est euangeliũ ac doctrina Christi. MON. Omnes certè Christiani debent esse, ac fuerunt sub vno præside & pastore. AVL. Verùm sub Christo, non sub papa. MON. Imò & sub papa, veluti sub Christi vicario, & successore Petri, cui Christus claues regni cœlorum tradidit, & oues agnoscẽdas suos pascendos & regendos commendauit. Animaduertis ne autem, vos σύσατα, vt græci dicunt, & minime conuenientia inter se blaterare? AVL. Quænam? MON. Aut enim non sunt Romanorũ pontificũ seu paparum instituta ea, ob quæ nos papistas siue papanos (Sic enim nos appellare Ochino libet) superstitionis, hæreseos, & impietatis reos agitis, & uobis ipsis iudicib. peragitis: vt sane nõ sunt: aut nõ tã noua & nupera est in ecclesia Christi eorũ authoritas, vel vt vos dicitis, potentia ac tyrãnis, q̃ vos vultis, & imperitæ multitudini persuadere conamini. Sed reijciamus hæc in aliud tẽpus, agamusq; id q̃ cœpimus. Ais syncerius & incorruptius conseruatã esse doctrinã Christi in illis ecclesijs aut regiõib. quę nõ sub-

Matth. 20. Ioan. 21.

In Romana ecclesia conseruatã esse Doctrinã Christi.

subsunt iurisdictioni papæ. At res ipsa contrarium loquitur. Atq; id tu quoq; intelligere mihi visus es, quando timidè ac dubitanter locutus es. Illud quidem luculentè probari potest, in plerisq; omnibus, in quibus Lutherus ac discipuli & æmuli eius nobis aduersantur, Græcos, Indos, Asiaticos, atq; Africanos populos magis nobiscum, & cum Romana ecclesia, quàm cum Euangelicis istis Lutheranis, Sacramentarijs, Anabaptistis, Picardis, & cæteris huius temporis pestibus antiquitus cõsentire, quãuis & ipsi ferè sese per superbiam ab ea segregarint. Quod apud cõsanguineos & vicinos nostros Russos, Rascios, Moschos atq; Bulgaros, apertè videre licet: Qui omnes populi Græcos se sequi profitentur, & ab ecclesiarum suarũ moderatores & ministri petunt. Est apud eos in summa veneratione eucharistia, asseruaturq; etiã in templis sub specie panis, quamuis fermentati, infuso sanguinis poculo: atque ita indurata, cum opus est, frangitur, & ægrotis vino vel aqua infusa præbetur: Est sacerdotium; ac cæteri sacri ordines: Sunt legitimæ, nostrisq; similes initiationes: Est iurisdictio ac disciplina ecclesiastica: Est sacrosancta patrum, conciliorum & canonum ecclesiasticorum authoritas: Est sacrificiũ, & in eo eius, qua initio eis sacra tradi-

Seismatici magis consentiunt cũ Ecclesia Rom. quã cum hæreticis nostri temporis.

Russorum & Græcorum cum Rom. ecclesia consensio & cum Pseudeuangelicis dissensio.

dita sunt, linguæ vsus retinetur, licet ea vulgo nonvsquequaq; intelligatur: Est cęlibatus votum, in viris & fœminis, cum ipsum per se, tũ sacris ordinibus annexum, ita vt presbyteris ac diaconis matrimonium contrahere non liceat, si ministerio sacro fungi velint. Ante initiationem tamen ductas vxores ij deinceps quoq; retinent: Episcopis verò & monachis ne ante initiationẽ quidem ductis vti fas est: Est & Chrisma apud eos, & religiosi sacramẽtorum ritus & cæremoniæ, deq; eorum efficacia certa persuasio: Est inuocatio sanctorũ, & summa imaginũ, memoriarũ, & reliquiarũ eorũ, & crucis Christi veneratio, maximusq; & religiosissimus ea signãdi vsus: Sũt festi dies: Sũt stata ieiunia cũ delectu ciborũ, & pro dei cultibus habẽtur: Fiũt preces & eleemosynæ pro defunctis, & anniuersarię oblationes: Creduntq; & ipsi, his animas defunctorum adiuuari, & è purgatorio eximi: Nisi quod nõ ignem, sed caliginem quandam aspectu diuino animas arcentem, illi purgatorium esse volunt: Sunt apud eos & satisfactiones pro peccatis: Sunt merita bonorũ operũ: Magna est dignitas vitæ monasticæ: Magna vis votorum: Sũt benedictiones rerũ ad vsum humanum & sacrum accommodatarũ: Sunt cerei, vestes sacræ, & quę præterea ad cultum ornatumq;

tumq; templorum pertinent. Verùm dies me
defecerit prius, quàm omnia enumerem, in
quibus illi nobiscum, & cum Romana eccle-
sia consentiunt, ab istis verò pseudeuangeli-
cis nouatoribus longè dissentiunt, ita quidē
vt eorū nouationes oderint cane peius & an-
gue, vt ait poeta quidā. Nec diuersum cerne-
re est apud ipsos Græcos, licet ij tredecies so-
tasse superioribus seculis à Romana & occid-
tali ecclesia sese fastuosè abruperint, & nun-
perdurēt in schismate. Habēt ij Venetijs, & i
alijs Italiæ locis sua tēpla, sacerdotes, ritus
sacrorū. Mitto Boëmos Hussitas siue Calis
tinos, & Armenos, qui propius etiā ad insti-
ta & consensum eiusdem ecclesiæ accedun
Mitto Aethiopas, qui Romæ etiā suū fanū h
bent, & in eo sacris operantur, vtentes ling
Chaldaica. AVL. Fortassis & isti populi ab
errarunt à recta via Euangelij, partim Rom
næ ecclesię commercio & consuetudine s
ducti, partim quòd neq; libros, neq; doct
viros, neq; scholas inter se habēt, ij prę sertim
qui à barbaris veri Dei ignaris subacti, in ser
uitute sunt. Olim autem alius eorum sui
sensus, cum ij libertate, doctrina, opibus qu
florerent. M O N. Erras. Nam Russi quidem
& Bulgari iam inde ab initio à Græcis religio
nem Christianam edocti, per sexcentos fer
an-

Horatius.

Græcorum defectiones.

Hussitæ.

Aethiopes.

Russorum schisma.

annos Christianis vsi principibus, alieni fuerunt à Romana ecclesia. Armeni verò, & Boemi, & Græci cũ florerent maximè rebus omnibus, tunc magis, quàm nunc, idẽ cum ea sentire studebãt, nõ ignari, quam haberet sedes D. Petri prærogatiuã: Cui etiã cõpositis dissidijs cesserunt ante centũ triginta annos, Boemi quidẽ in Basileẽsi, Græci verò cũ Russis, & Armeni in Florẽtino cõcilio. Quanquã quod ad Boemos attinet, nobilissimi quiq; cũ subiectis sibi plebibus, & ciuitates ferè primariæ te recesserunt, aut Hussitarum & Picardorum armis & impotentiæ cesserunt, retinentque nobiscum in hunc vsque diem religionem catholicam. Armeni verò perstant & ipsi, ni fallor, in eo, quod in Florentino cõcilio publicè professi sunt, & maiestatem ecclesiæ Romanæ eiusque præsulis libẽter agnoscunt. Cæterum Græci cum mox rursus male conciliatum schisma resumpsissent, quemadmodum prioribus secessionibus fecerant, ita tũc etiam plura sibi, quò authoritatem labefactarent, secessionemq; suam vulgo approbarẽt, mutare & nouare permiserunt: quemadmodum & vos facitis. Nec multò pòst iusta dei vindicta diris calamitatibus afflicti sunt, & in barbaricam seruitutem redacti. Et tamen

Græcorum reconciliatio.

Boemi priores & ciuitates catholicæ.

Armeni.

etiamnum in plurimos ij, sicut & assecle ipsorum Rusi, nobiscum & cum Romana ecclesia consentiunt, quemadmodum ostendi dudum: A vobis verò prorsus dissentiunt. Audistin, quomodo nuper legati Moschorũ principis in Lithuania tonsorem Vilnensem noui istius euangelij venena sibi instillantem acceperint? AVL. Audiui. Audax facinus. MON. De facto non disputo. Sed ostenderunt ij, quantopere à vestra ista doctrina & nouationibus religionis abhorreãt. AVL. Atqui Romæ quoq; & per vniuersum orbem Christianum, sicut ego audio, multa secus recepta fuerũt ab initio nascẽtis fidei, & in primitiua, vt vocant, ecclesia, quàm nunc seruantur ac docentur. MON. Quampridem igitur facta est mutatio? AVL. A`quadringẽtis, aut quingentis, aut ad summum sexcentis annis. Quãquam alij memorant à mille fermè annis errores in ecclesia pullulasse. MON. Caluinus quidem ad eam ecclesiam, quæ ante 1200. annos fuit, tanquam purã suos remittit his verbis: Statue tibi quæso ob oculos veterẽ illam ecclesiæ faciẽ, qualẽ Chrysostomi & Basilij ætate apud Græcos, Cypriani, Ambrosij, Augustini seculo apud latinos extitisse, ipsorum monumenta fidem faciunt. Vel ipsa ista igitur varietas & inconstantia dictorũ, mendacium

Moschorũ in pseudeuangelicorum concionatorem animaduersio.

Ecclesia quando errare cœperit secundũ Euangelicos.

Calui. epistol. quadã. Franc. Balduinus in præfat. in Optat.

cium istorũ arguit. Audent ij quidem, qua sunt impudentia, ista asseuerare, abutẽtes vulgi imperitia. Quin audet impurus manipulus, qui prætextu historiæ ecclesiasticæ visiones & seductiones cordis sui, siue adeò prophetę sui Lutheri, & corruptelas doctrinæ orthodoxæ in animos incautorũ instillare nuper adortus est, iã inde ab apostolorũ tẽporibus ecclesiæ Christi errores & corruptelas impingere: Corruptelas vocitãs, quicquid doctrinę suæ aduersatur, quãlibet antiquũ, patrũ atq; cõciliorũ authoritate sanctũ, & publico perpetuoq; Christiani populi vsu receptũ. Idẽq; faciunt Caluinus, & Caluiniani, ac Trinitarij siue Trideitæ nostrates, Et Ochin. Imò & Lutherus, & Brẽtius & Melanchtõ. Caluinus qui dẽ immemor eorũ, quę scripsit alibi, vt iã audiuisti, ait, statim ab ecclesiæ exordio plus valuisse stultã Iudaismi affectationẽ, quàm decebat, quemadmodũ idẽ Balduinus memorat. Nimirũ intelligunt homines nasuti, frustra se & alios quosdã gregales suos ad illud præsidiũ confugere, vt euincant. Quædã dogmata à se oppugnata ac damnata, noua esse, & sanctis patribus, ac veteri ecclesiæ ignota. Vt cũ Melanchton, Sanctorũ inuocationẽ ante D. Gregorij papæ tempora in ecclesia vsitatam fuisse, negat: Vitembergensis confessio, Propicia-

Coruptelæ Illyrici & aliorum hæret.

Fr. Bald. in respons. 2. ad Calu.

Dogmata quæ pro nouis habentur ab Euã. Melancht. de Eccl. & in apolog. Confess.

Confeß. Virtember gen. Tridenti exhibita.

piciatorium eucharistiæ sacrificium, & panis ac vini in ea transmutationem siue transsubstantiationem patribus & veteri ecclesiæ ignotã fuisse contendit: Caluinus non nisi duo sacramenta veteres agnouisse, & nouitiũ esse commentũ de sacramento & virtute cõfirmationis, itẽq; de necessitate confessionis vocalis dictitat. Et ad eundẽ modũ multi de multis alijs dogmatibus impudenter asseuerant. In quibus ipsa rei euidentia, & cũ probatis historijs, tũ antiquorũ patrũ, qui fuerunt ecclesiæ lumina, scriptis atq; cõciliorũ decretis coarguuntur. Ac inuocationis quidẽ sanctorũ ante Gregoriũ aperta sunt testimonia apud Origenem in Iob: Nazianzenum in orationibus in Cypr. & in Basil. Apud Chrysostomum in 1. cap. ad Philip. Ambrosium de viduis: Hieronymũ in epitaphio Paulæ: Augustinũ de cura pro mortuis. Sacrificij propiciatorij, apud Cyprianũ lib. 1. ep. 9. Ambrosium in Oratione funebri: Augustinũ in Enchiridio ca. 110. & serm. de verbis apostoli, & in quæst. ad Dulcitiũ: Quorũ hi duo etiã pro mortuis id offerri solere ostendũt. Transsubstãtiationis apud Iustinũ apol. 2. Cyprianũ in serm. de cœna domini, Cyrillũ Hierosolymitanũ catechesi mystagogica 1. 3. & 4. Basiliũ & Chrysost. in Liturgia, & Chrysostomũ de En-

Cal. in inst.

Sanctorum inuocatio ante Gregorij tempora.

Transsubstantiatio.

cœ-

genijs. Ambrosium ad Neoph. ca. 9. Augustinum de verbis domini ser. 28. Ioannē Damascenū lib. 4. de fide orthodoxa ca. 14. Theophylactū in 6. ca. Ioan. & in 14. Marci. Quòd plura duobus sint sacramenta, apud Cyprianum serm. de ablutione pedum, & li. 1. ep. 12. Tertullianum de pœnitentia, Hieronymum contra Lucif. Augustinū cōtra ep. Parmeniani li. 2. ca. 13. & cōtra Donatistas li. 5. c. 20. Leo nē papā ser. 90. De sacramēto cōfirmationis & virtute eius apud Augustinum, Cyprianum, Tertullianum, Fabianum papā, qui eam in Romanæ, Antiochenæ, Ierosolymitanæ, & Ephesinæ ecclesijs, iam inde ab apostolorū temporibus in vsu fuisse memorat. De necessitate confessionis apud Origenem, Tertullianum, Basilium, Hieronymum. Sed hæc alterius magis, quàm huius loci sunt. Nunc satis sit, obiter his aliquot exemplis istorum impudentem mentiendi libidinem, à patre diabolo proculdubio profectam, teneri, vt intelligas, ac certo tibi persuadeas, non modo in his, sed in alijs item omnibus à quadringentis, sexcentis, nongentis, & mille annis nō aliter sentire Romanam ecclesiam, quàm ante mille ducentos, trecentos, & quingētos nō modò ea ipsa, verumetiam Africana, Græca, Armena, Asiatica, Indica, hoc est, quę sub Cōstan-

Sacramēta plura duobus.

Sacr. Conn. firmationis

Aug. de bapt. contra Donat. lib. 3.

Cyp. lib. 1. ep. 12.

Tertul. de bapt.

Fab. ep. 2.

Orig. in Leuit. hom. 2. & peri archon. lib. 3.

Tertul. de pœni. Bas. quæst. 26.

Hier. in c. 10. Eccl.

ſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Ieroſolymitano Patriarchis erant, ſenſerũt. Neq; quicquam immutatũ eſſe, aut pauxillũ ſanè, & in leuioribus rebus, quę vel iſtorum magiſtrorum veſtrorũ confeſsione per ſe ſunt libera & adiaphora, ita vt nihil referat, ſic ea ſeruentur, an aliter. Atq; ea mutatio pro ratione temporũ, & vtilitate Chriſtiani populi facta eſt voluntate & authoritate eorũ, qui præerant eccleſiæ, quos conſtituit dominus ſuper familiam ſuã, vt dent illi in tempore tritici menſurã, quoſq́; ſpiritus ſanctus conſtituit regere eccleſiam Dei. Cum igitur tantus ſit populorũ ac ſeculorũ in ea religione, quã nos in eccleſia per dei gratiã retinemus, conſenſus, & ab eo veſtri iſti pſeudeuangelici diſſentiant, non eſt dubiũ, doctrinã eorũ nouã & peregrinã, eoq́; falſam eſſe (verũ enim vero non eſt contrarium, ſed falſum vero) Atq; ita ipſos etiã authores & aſſertores eius, eſſe falſos prophetas, magiſtros mẽdaces, ſeductores, & in quos iure optimo quadret illud Paulinũ: Si quis aliter vobis euangelizauerit, pręter quod accepiſtis; anathema ſit. A V L. At vtuntur ij quoq; teſtimonijs & interpretationibus patrum ad ſtabiliendũ ea, quæ ſentiunt ac docent. M O N. Ita ſanè. Turcæ quoq; & Tatari pacta ſeruãt: Scilicet, quo-

Mutatio quorundã inſtitutorũ in eccleſia.

Luc. 12.

Act. 20.

Gal. 1.

Euangelici quomodo utãtur teſtimonijs patrum.

ad

ad ipsis expedit. Nec à patribus autē isti sensum scripturarū petunt (nisi forte, cum illorū quispiam proprium suum sensum, quàm ecclesiæ totius consensū sequi maluit) Sed suum ad illos afferunt, eadem videlicet religione in eis, qua in sacris scripturis, versantes, vt quamuis reluctantes obtorto collo trahant eos in suam sententiam, & pro se facere asseuerent, non pili facientes, etiam si ipsa rei euidentia vel falsi, vel calumniæ coarguātur. Ita Oecolampadius, Caluinus & sacramētarij Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, de Eucharistia & sacrificio missæ idem secū sentire asseuerāt: Cum eorū scriptis non modo alijs, verum etiam ijs ipsis, quæ isti pro se allegant, euidenter impia illa dogmata refellantur. Quod quidē fecit nostri temporis S. martyr Ioannes Roffen. episcopus. Ita Caluinus idem Augustinum duo sola noui testamenti sacramenta agnoscere, nullamq; ijs vim & efficientiā tribuere, contendit. Cūq; apertissimis eius verbis vrgetur, ad figuras nescio quas refugit, & ad extremum impudentiæ suæ sibi conscius, se melius ac certius rem explicare homo arrogantissimus & petulantissimus iactat. Sed à Vilelmo Lindano viro docto & pio luculente redarguitur. Redarguitur idem

Io. Roffen. contra Oecol.

Io. Roffen. de uerit corp. Christi contra Oecolam. Caluini mēdacia & arrogantia. Lind. panopl. euan. l. 4. c. 6. & 7.

vnà

vnà cum Tigurinis & Melanthone à Stancaro, quòd subdole & improbe SS. Patrum, conciliorum, & scripturarum testimonijs adstruãt, Christum secundum diuinam naturam esse mediatorem dei & hominum: quibus quasi suismet gladijs iugulentur. Ita Melanchton Origenem, Eusebium Cæsarienſem, Hieronymum, & veterem ecclesiam post diuortiũ nouas nuptias permittere ait ei coniugi, qui non præbuerit causam diuortio, altero superstite: quamuis longe diuersa sit eorũ doctorum sententia. Ita confessio Virtembergensis negat Augustinum certi quicquam definiuisse de purgatorio. Ita Bucerus in lib. de doctrina & vocatione sua ad Bonnam, falso pro se citat Chrysostomum de episcoporum coniugijs, Augustinum de inuocatione sanctorum, Ambrosium de disputatione cum hęreticis, quemadmodum annotauit & redarguit eum Academia Colonienſis in iudicio deputatorum. Ita Saxonica confessio & Apologia Augustanæ cauillãtur nomina oblationis & sacrificij in SS. patribus, quãuis aperte ij loquantur de vero & propriè dicto sacrificio. Ita Matthias Flaccius in eo libro, quẽ inscripsit, Testes veritatis, plurimos antiquos ecclesię doctores renitentes & reclamantes cũ singulos, tum in concilijs congregatos per vim

Stanc. de Trin. & Mediat.
Melancht. mẽdacium.
Melancht. in examine ordin. & in append. loc. com.
Virtemberg. confessionis mendaciũ.
Buceri mẽdacium.
Iudic. de put. Colo. Acad..
Sax. conf.
Illyrici impudentia,
Illyricus in lib. Testes veritatis &c.

&

& fraudem cogit testimonium dare falsitati suæ præiudicatæ contra authoritatem Rom. pontificis, homo ipsa impudentior impudentia. Nihil nunc dico, qua fide idem cum sociennis suis (vt Plautino verbo vtar) historiam ecclesiasticam consarcinauit. Existet spero breui aliquis, qui è centurijs illis myriadas mendaciorum proferet, falsariosque redarguet. Quod facere orsus, vir sempiterna memoria dignus Conradus Brunus, immatura morte præuentus est. Persecutus est nuper, etiam nonnulla vir doctus ac diligens Alanus Copus Anglus. Sed nequeo tamen vel vnum illud præteruehi, quod citant ij Eusebium Cæsariensem, quasi affirmet is, Iacobi & Iudæ epistolas adulterinas esse. At Eusebij verba loco ab ipsis citato hæc sunt. Τοιαῦτα δὴ τὰ κατὰ τὸν Ἰάκωβον, οὗ ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται ἐστέον, ὡς νοθεύεται μὲν οὐ πολλοὶ γοῦν τῶν παλαιῶν αὐτῆ ἐμνημονεύσαν, ὡς οὐδὲ ἡ λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς δὲ αὐτ' οὔσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν. ὁμῶς δὲ ἴσμεν, δὴ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν οἶδ πλείστας δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις. Quæ sic vertit Ruffinus, Hactenus etiam de Iacobo: Cuius illa habetur epistola, quæ prima scribitur inter eas, quæ Catholicæ appellantur. Sciendũ tamen est, quod à nonnulls non recipiatur, nec facile quis antiquo-

Magdeburgensis hist. eccl.

fides.

Conradus Brunus.

Alanus Copus in dial. Cent. 1. li. 2. ca. 4. & 10.

Euſ. hist. eccl. lib. 2. ca. 13.

tiquorũ meminerit eius: Sicut ne illius quidem, quæ dicitur Iudæ, quæ & ipsa est vna de septem. Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè Ecclesijs recipi. Sic Eusebius. Scribit is quidem, Eas epistolas pro suppositijs vel adulterinis haberi à nõnullis: Sed addit: Se scire eas quoque cum cæteris, quæ vocentur catholicæ ab omnibus penè ecclesijs recipi. Alibi verò collocat eas inter illa, de quibus à nonnullis dubitatum sit. Tantũ abest, vt affirmet, eas notas esse: quod isti religiosi historici simul & theologi ipsi impingunt. Hoc nimirum est verã Ecclesiæ Historiam, & quasi regulam rectè fidei prodere. Ne illud quidem prætereundũ nobis hic est, istorum in citandis authoribus fidei documentum. Illyricus idem, & Nicolaus Gallus, & vniuersa illa contra concilium Tridentinum protestantiũ cohors, magna ex parte ni fallor, commentitia, viri præstantissimi & nõ sine honoris præfatione nominãdi Stanislai Hosij Cardinalis, & in eo ipso cõcilio legati apostolici scripta impudentissimè calũniatur, impium Suencfeldij & cœlestium, seu verius fanaticorum prophetarum dogma ipsi impingens: Quod is ex professo magna contentione oppugnat. Quod siue per errorem ij fecerunt, siue de industria, vtrunq; certe nõ tam

Euſ. libr. 3. cap. 25.

Protestatio contra concil. Trident. mendax.

Stanisl. Hosius calumniæ impetitus.

tam argumentis refellendum, quàm sceptro magistratus, vt quidã eiusdem farinæ scripsit, *Vestphal.* coercendum est. In altero temeritas est, valdè familiaris nouis istis euangelistis, in altero insignis improbitas & malitia. Nimirum probè ij tenent præceptum nebulonis cuiusdam nequissimi, qui docuit: Confidenter morsus & calumnias intendendas esse in quemuis. Vt enim curet vulnus is, qui appetitus est, mã suram tamen esse cicatricem. Mitto fabulas flagitiosas & sceleratas, quibus ijdem protestantes concilij eius authoritatem eleuare ni tuntur. Mirum ni testes etiam & accusatores apponant, vt Ariani olim D. Athanasio. Ita istos nihil pudet: Nihil est igitur, quòd ij de Melanthone & sectatoribus eius querãtur, falsum aliquid ab eis sibi impingi, quando ipsi tam perfrictis frõtibus idem in alios designant. Quin eò prouehuntur audaciæ nonnulli è vestris istis euangelistis, vt non verecãtur in patribus & vetustis scriptoribus Ecclesiasticis, rectè scripta, & quæ cauillari, ac in suum sensum detorquere facilè nequeunt, mutando aut expungendo, itidem ac in sacris literis, corrumpere. Quod faciunt maximè in ijs libris, quos ex alia lingua in aliam transferunt, aut è tenebris erutos opera Typographorum in lucem edunt. AVL. Quid

Lucian. in lib. Quomodo adulatorẽ & amicũ dignoscat.

Euangelici deprauant aliena scripta.

ais? MON. Vera loquor. AV. Profer aliquid eiusmodi. MO. Faciam. Historiæ ecclesiasticæ scriptor Græcus Socrates citat aliquoties canonem ecclesiasticum, quo sancitur: Non oportere præter sententiam siue authoritatem Romani Episcopi ecclesijs canones siue regulas vllas statui, vel (quod perinde est) cõcilia celebrari, vt olim vertit consarcinator historiæ tripartitæ. At fidus, si deo placet, interpres, Volfgangus Musculus vertit & edidit: Non debere canonice dedicari ecclesias sine consensu Romani Episcopi. Quod quàm longe diuersum sit à sententia Socratis, nemo nõ videt, qui vel primoribus labris Græcas literas degustauit. Verba Socratis siue canonis hæc sunt: μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Ac nimiu sane Musculus hic tribuit Romano Episcopo, quippe, qui ne in vltimo quidem orien patiatur ecclesias sine eius authoritate consecrari: Sed interim rẽ suã agẽs egregiè fall Non errore aũt & ignorantia eũ lapsũ esse, a guunt ea, quæ in eo ipso capite octauo pr cedunt & sequuntur: quibus ex professo d synodo agitur. Fit quidẽ etiã dedicatiõis me tio, sed eo proposito, ꝙ eius prætextu synodus Antiochiæ coacta fuit, quæ ibi, velut cõtra canonẽ ecclesiasticũ instituta reꝓbatur.

Socrat. lib. 2 ca. 8. & 17. hist. eccles.

Hist. tripartit. lib. 4. cap. 3.

Volfgangi Musculi mala fides in interpretando Socrate.

Eui-

Euidẽtius aũt Musculũ arguunt, quæ cap. 17. scribũtur. Vbi sic Socrates idẽ de Iulio põtifice memorat, nulla facta dedicationis mentione. Vtar aũt ipsis Musculi verbis latinis. Literarũ istarũ inter se contrariarũ exẽplaria Iulius episcopus Antiochiæ congregatis misit: scripsitq; primùm, q̃ molesta fuerit ipsorũ epistola, deinde quòd prẽter canones egerint, q̃ ipsum ad synodũ nõ vocassent, cũ canõ ecclesiasticus vetet ecclesias consecrari sine sententia Romani episcopi. Vides ne, quàm non respondeant vltima primis? Expostulat Iulius, se non vocatum esse ad synodum. Quid autem in eo peccatum est Iuli? Maximè, inquit, contra canonem ecclesiasticum: qui vetat ecclesias consecrari sine sententia Romani episcopi. Præclare ad rem, de tribus capellis, vt ludit festiuus poeta. Quis est tam stupidus, qui hîc fraudem interpretis non deprehendat? Vis etiam euidentiorem demonstrationem, quam vel cæcus palpare queat? Citat etiam Sozomenus eundem canonem. Atque eum locum ita vertit idem Musculus: Iulius vbi cognouisset, Athanasius tutum non esse, vt in Aegypto maneret, accersiuit eum ad se. Illis autem, qui Antiochiæ conuenerant (Nam tum temporis epistolam illorum acceperat) scripsit, repre-

Martial.

Sozo. l. 3. c. 10. hist. eccles.

hendens eos, quòd clanculum Niceni concilij dogma alteraſſent, & præter eccleſiæ leges ipſum ad ſynodum nõ vocaſſent: cum ſacerdotali lege conſtitutum ſit, pro irritis haberi debere, quæ præter ſententiam epiſcopi Romani geruntur. Quid apertius, quàm non de conſecrandis eccleſijs, verum de ſynodis decretisque ſynodorum canonem illum etiam apud Socratem loqui? Et obſerua hic obiter antiquitatem authoritatis pontificiæ: quam veſtri iſti Euangeliſtæ vnà cum hiſtoricis nuperam eſſe contendunt. AVL. Cur igitur hic Muſculus non deprauauit itidem, atque ibi? MON. Dicam. Quoniam aperta ſunt verba Sozomeni, quàm vt fraus interpretis latere poſsit: Aut ſi mauis, quia minus valuit is memoria, quàm valere mendacem oportet. Quid illud, quòd nuper in colloquio Vormac. ipſæ colũnæ eccleſiæ Lutheranæ negarunt reperiri apud Theophylactum verba illa, quibus in Euchariſtia oſtenditur fieri μεταβολὴν οὐσίας, hoc eſt, tranſelementatio ſiue tranſſubſtãtiatio panis & vini? An nõ extant ea verba in Græcis exẽplaribus, quæ vulgo circũferuntur? An non in Latinis quoq; ab ipſorum compari Oecolampadio verſis, licet is alioqui magnopere authorem illum vertẽdo deprauarit ac mutilarit. Sed quid ego hęc fin-

Authoritatis pont. Rom. antiquitas.

Mendacem oporttet eſse memorem.

Vormacienſis collocutorum Euang. mẽdacium.

Theoph. in Marc. cap. 14.

singulatim persequor. Quasi non pleni sint patrum vetustiorũ iuxta ac recẽtiorum libri, qui ab istis vel è tenebris prolati, vel ex alia in aliã linguam translati in lucẽ eduntur, eiusmodi sacrilegis & seueriore legum animaduersione dignis ausis. Multa eiusmodi falsa in multis annotarunt multi de nostris: Infinita propemodum pius vir Nicolaus Mameranus ab Iobo Gasto in exiguo Paschasij de corpore & sanguine domini libello edendo cõmissa. Quem authorem ita nequiter ab eo dilaniatum esse scribit, vt nihil fermè salui, nihil integri & incorrupti in eo reliquerit; adeò vt etiam ipsum verborum contextum passim inuerterit: multa verba omiserit: quædam mutauerit: multa nouiter intertexuerit: totas periodos sustulerit ac variauerit: alicubi medias, alicubi integras paginas, integra capita desecta abiecerit, & de suo aliquid in abiectorum locum infarserit. Atq; id eum feciſſe potisimũ, vbicunq; vel sacerdotis, vel altaris, vel immolationis, vel consecrationis, vel pœnitentiæ nomẽ inuenit. Nec religiosiores ij sunt in recentiorũ & adhuc viuẽtiũ scriptis vertẽdis ed ẽdisq;. Questi sunt olim Lutherus & Ioãnes Pomeranus de corruptis à Bucero scriptis suis, dũ ea latina facit, & sacramentario suo dogmati seruire cogit. *Nic. Mam. in præfat. in Paschas.* *Luth. ad Ioan. N. typogr.*

Quid si reuiuisceret Lutherus, & opera sua Vitembergæ post mortem suam edita inspiceret? Vix ea pro suis agnosceret. Ita sunt nonnulla lancirata & mutilata. Queritur & Illyricus de historia sua ecclesiastica à sacramentarijs, dum in Gallicã linguam vertitur, corrupta. Verùm his obijci potest illud: Ab alio expectes, quod alij feceris. Sic igitur isti patrũ scriptis vtuntur, ac noua dogmata sua confirmant, & pro antiqua patrum & ecclesiæ doctrina venditant. Illud verum est, nostra memoria primum extitisse Martinum Lutherum, qui cum idem nobiscum prius sensisset, & in eadem regula mansisset, paradoxa quædam dogmata, & maioribus nostris, totiq; ecclesiæ Christi partim incognita prorsus, partim antea damnata & eliminata, protulerit & exuscitarit. Ac illa quidẽ ipse primus de suo commentus est, vel timide exagitata dũtaxat ac dubitata aliquando, pro verbo dei peruicaciter asseruit, Solam incredulitatem esse mortale peccatum: Bona opera, quantumuis recte facta, esse peccata; vel in omni opere bono iustum peccare: Nullũ esse posse hominis Christiani meritum ad gloriam: Iustitiam à Christo nobis non infundi, sed imputari tantum: Infantes ante vsum rationis credere:

Ioan. Brẽt. & ad Ioan. Agricolã.

Lutheri dogmata noua.

Luth. de capt. Bab. In aßert. art. 31.

Ma-

Manere in baptizatis concupiscentiam, quæ verè peccatum sit: Christum nihil præcepisse, nec vllum esse in Euangelio præceptum: Hominem Christianum liberum esse ab omni obseruatione legis & bonis operibus. Cultus Dei sine præcepto ipsius institutos, non esse recipiendos: Nullo sacramento imprimi characterem: Pœnitentiam à timore gehennæ ortam, noxiam esse: Contritione fieri hominem hypocritam & peccatorem: Satisfactionem pro peccatis & pœnis nullam ab homine, quamuis Christo sit insitus, fieri posse: & impium esse dogma satisfactionis: Eum qui credat se absolutum esse, etiamsi non à quo oportet, nec quomodo oportet, atq; adeò ioco id factum sit, nec eum admissorum pœniteat, certò esse absolutum: Habere autem potestatem absoluendi etiam puerum & fœminam: Ad Eucharistiam suscipiendam nulla esse opus præparatione aut pœnitentia, imò quò magis quisque peccator est, eo maiore confidentia vt accedat: Impium esse, applicari missam pro viuis aut pro mortuis: Christianos omnes ex æquo sacerdotes esse, administrationem autem conferri cuipiam à multitudine: Matrimoniũ non esse sacramẽtum (Tametsi hoc fortasis à Græcis & Armenis mutuatus est)

De libert. Christia.
De abrog. missa.
In assert. arti. 6.
In art. d Leone comdemn.
De capt. Babyl.

De capt. Babyl.

Atque adeò vnicum esse sacramentum, Baptismum videlicet: Cœlibatum sacerdotũ, quãuis castum, esse damnabilem: Ad Hebræos, & Iacobi epistolam esse nothas & apocryphas, itemque Apocalypsim Ioannis, & libros Machabæorum: Bellum gerere, atque adeò illatum metiã à barbaris depellere, nefas esse Christianis: Quin & apud iudicẽ agere de iniuria: Nullũ esse apud Christianos magistratũ, siue superioritatẽ. Hæc ferè ille de suo protulit: licet nõnulla ex ijs in lõge aliũ, quàm Lutherus nũquã somniauit, sensũ detorqueat verecũdus, & magistri vicem erubescẽs Iacobus Andreæ Smidelinus. Ac eò magis absurditatem dogmatum eius, imprudẽs opinor, damnat. Apertius enim ea scripsit, docuit, ac defendit Lutherus, quàm vt illiusmodi interpretationes admittant. Hæc igitur, & si qua sunt alia, Lutherus de suo. Discipuli autem eius, quasi nõ satis profanarum nouitatum magister effudisset, adiecere postea: Nullum esse discrimẽ inter præceptum & consilium: Nihil vouendum esse Deo, quod verbo ipsius præceptum non sit, imò nihil omnino: Nihil referre, siue quis seruet, siue spernat constitutiones cõciliorũ & ecclesiæ. Infãtes baptizatos rebaptizãdos esse cũ adoleuerint, eò quòd credere nõ potuerint cum baptizarentur: Dæmones & in-

In præfat. in nouum testament.

In art. à Sorbona damn.

Pseudeuangelicorum recentiorũ dogma.

Iac. Andr. in respons. ad Staph.

Melanchtõ & Confessionistæ.

Ochin. dialog. 27.

Interimistæ Lipsi.

Anabapt.

Georg. Dauid. Smide.

inferos nõ esse: imò ne cœlũ quidẽ. Baptismi formã nõ esse ad certa verba certosque ritus à Christo alligatam: Id enim magicum futurum fuisse: Abrenuuciationem, quæ fit in baptismo, stultam esse: Ac ita demũ posse Christian hominem promittere, se legi dei obtemperaturum esse, si Deus exequi fecerit: Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia non verbo Dei fieri, sed vsu & sumptione. Quanquam hoc præceptor quoque ipsorum asseruisse in gratiã Buceri videtur. Illud quidem ei concessit: Extra vsum corpus & sanguinem Christi in Eucharistia nõ esse. Quod tamen à Nestorio sumptum videri potest. Cæterum ore ea sumi non negauit, neque ægrotis & migraturis è vita vsum eorum ademit. In quo vtroque Caluinus ab eo dissentit. Iam illa quoque non Lutheri, sed discipulorum eius sunt: Cum pane corpus tãtum, cum vino tantum sanguinem sumi. Nisi fortè ab Husitis siue Calixtinis hoc sumpserunt, vel à Massalianis etiam: Impios non sumere in Eucharistia corpus & sanguinem Christi: Confessionem vocalem seu sacramentalem impium & stultum esse inuentum hominum: Hominẽ ea iustitia, quæ Deus ipse sit, iustificari: Quod tamen Lutherus quoque initio asseruit. Nec scio an id Manichæum sit etiam. Externum

Brent. in catech. maiori.
Idem in proleg.
Ochin. dial. 27.
Smid. in apolog. thes.
Protestãtes.
Caluinus.
Sacramentarij.
Och. in dialog.
Suenefeld. et Anabap.

verbi Dei ministerium superuacaneum esse:
1. Flac. cõtra Suenef. Stancarus. 2. Caluin. Geneuens. in confess. Ital. eccles. Stancarus. 3. Smidel. in apolog. thesium. Tride itæ. Caluinus. Melanchton & Andreas Musculus. Cal. in inst. Smidel. in apolog. 4. Nic. Gallus in catech. 5. Tigurini.
Reuelationibus enim Dei Christianum hominem sine scriptura sacra atque doctrina instrui, quid eum facere oporteat. Nisi fortè Cathaphrygum hoc est. 1. Alij contrà proram, quod dicitur, & puppim Christianæ religionis in vocali prædicatione ponũt. 2. Diuortiũ inter Christianos coniuges ob quoduis dissidium, imò quauis de causa fieri, diremptisque prioribus noua matrimonia contrahi posse: Tametsi Russi quoque idem sentire videntur: Christum secundum humanam naturam esse verum, proprium & naturalem filium Dei: 3. & diuersam esse diuinitatem eius à paterna. Christum in cruce iram dei expertum esse ac desperasse, & pœnas gehennæ mortemque æternam gustasse. 5. Imaginẽ Dei fieri quẽlibet hominẽ Christo indutum, perinde ac ipsum filium Dei: 5. Christũ secundum vtranq; naturã esse mediatorem dei & hominũ. 6. Eiusdem corpus esse vbiq;, & omnipotens itidem atq; diuinitatẽ: 7. Sacramẽta tria, vel quatuor tantũ esse: 8. Cæremonias oẽs à cultu diuino esse excludẽdas: Alij porrò nihil referre putãt, siue quis vta-

Caluinus, Melãchton. 6. Brẽtius & Smidelinus. 7. Lipsenſis & Virtembergenſis eccleſiæ. 8. Lutherani & Caluiniani. Adiaphoriſtæ.

vtatur cæremonijs, siue non. Bona opera pernitiosa esse ad salutẽ: Alij contrà, Sine bonis operibus neminẽ prorsus posse saluari: Licere Christiano plures simul vxores habere: Nihil Deo magis placere, quàm si homo semper fleat: Nefas esse Christiano peram & gladium gestare, & vim vi repellere, aut iudicio suum persequi. Quanquã hoc Lutherus etiam asseruisse visus est. Mitto multa alia, quæ ab ijs excogitata sunt, & indies adhuc excogitantur noua & peregrina, ecclesiæque superiorum temporum incognita, his etiam absurdiora. Quę cum ab illis pro euangelio ac verbo dei vulgo venditentur, recte nos ex ijs quærere possumus Paulinis illis verbis: An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? An te trecentos autem, vel prope quadringentos annos extiterunt in Gallia Valdenses siue Picardi terræ filij, incerto authore progerminati, qui primi mores, leges, & institutа ecclesiæ conuellere ausi, idq; tamen timidè & variè, arbitrarium sibi esse voluerũt, quid ex ijs reciperent, quid reijcerẽt, damnantes nonnulla, quasi cum fide & pietate pugnãtia: Pontificem max. episcopos, ac cæteros magistratus ecclesiasticos in ordinem coẽgerunt, & omnem eis potestatẽ & authoritatem abrogarunt, præsertim si ij pec-

Nic. Amstorff. Flacius. Georg. Maior. Anabapt. Monast. Ochin. Eiulantes. Stebleri anabapt.

1. Cor. 14.

Picardorũ seu Valdensium dogmata.

peccato mortali essent obnoxij: Ecclesias in terris duas prouna condiderunt, alteram electorum, vocatorum alteram: Sacramenta nõ nunquam septenario numero cum ecclesia catholica complexi sunt, nonnunquam extremam vnctionem & confirmationem, & ordinem reiecerunt: Prædicationẽ verbi Dei cuiuis de vulgo permiserunt: Pœnitentiæ verò partem confessionem arbitrariam reliquerunt: Baptizatos extra cætus suos initio rebaptizarunt: Postea verò dogma hoc repudiarunt: In Eucharistia secundum verba consecrationis panem esse corpus, vinum sanguinẽ Christi, & panẽ tamẽ ac vinũ remanere contẽderũt, Eucharistiãq; asseruandã & adorandã esse negauerunt: Communionem sub vtraq; specie ad salutem necessariam esse adstruxerunt: E scripturis canonicis Machabæorũ libros, & quidem solos eximerunt, propterea quòd ij multum facerent ad stabiliendũ purgatorium ignem, quem ipsi, verecundè tamẽ extinctum volebant: Inuocationem quoque sanctorum sustulerunt: Itemq; liberum hominis arbitrium. Hæc illi ferè diuersa à nobis & ab ecclesia Christi catholica sibi statuenda esse duxerunt, cunctanter quidem, vt dixi, & perplexè. Nec scio, an ijdem cum Valdẽsibus, an progenitores eorum fuerint ij, qui se tempore

poreBernardi vocabant Apostolicos, nõ minus specioso nomine, quàm isti nunc sevocãt Euangelicos: homines rusticani, nec ipsi certum authorem habentes. Qui neque agros, neque possessiones vllas habebant: Nos verò irridẽt (inquit Bernardus) quòd baptizamus infãtes: quòd oramus pro mortuis: quòd sanctorum suffragia postulamus. Non credunt autem ignem purgatoriũ restare post mortẽ. Iam verò qui ecclesiã non agnoscunt, non est mirum, si ordinibus ecclesiæ detrahunt, si instituta nõ recipiũt, si sacramẽta contẽnunt, si mandatis episcoporum non obediunt. Peccatores (inquiunt) sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dãdis, nec accipiendis idonei sacramentis. Hæc Bernardus de Apostolicis. Qui plus tamen modestiæ, quàm Picardi, retinuisse, nec tam acerbè, nec tam multa Ecclesię dogmata exagitasse videntur. Nec magnam ea labes Gallię partem occupauit. Audacior vtrisque Ioannes Vicleffus intra ducentesimum annũ successit in Anglia: Qui constitutiones omnes ecclesiasticas, quæ ortum è scripturis sacris non haberent, sustulit. Magistratus etiam ciuiles abrogauit: Sed vt quisque esset Christi amantior, ita præesset Ecclesiæ, & Reipub. eius. E ministris ecclesiæ solos sacerdotes ac dia-

Apostolici

Bernard. in Cant. hom. 66.

Vicleffus.

diaconos, sublatis cæteris, reliquit, eosq; non ordinatione aliqua humana, sed inspiratione diuina ad ea munere vocari voluit, possessionibus omnibus prorsus priuauit, ita vt neutiquam necessaria interminatione æternæ damnationis magistratus & principes ad occupanda bona Ecclesiastica impelleret: Confirmationem reliquit quidem inter sacramẽta, sed eius administrationem presbyteris cõcessit. Infantes sine baptismo vita defunctos damnationi addicere, temerarium ac stolidũ esse affirmauit. Hæc ferè Vicleffus Picardis adiecit. Huius scripta nactus non ita multo pòst Ioannes Hus, in Boëmiam eius iuxta ac Picardorum dogmata inuexit. Ac damnauit quidem Constantiense concilium ante 150 ferè annos. Magistratus etiã ciuilis deinceps professores eorũ iusta animaduersione persecutus est. Verùm extirpari tamen penitus malum & venenatũ germen non potuit, quin furtim in hanc vsque diem pullularet. Nam publicè Boëmi siue concilij Basilienſis, siue Rochiciani pseudarchiepiscopi sui authoritate adducti, pleraque omnia illa dogmata repudiarunt, communionem modo sub vtraque specie, baptismum paruulorum, & vernaculos sacrorum siue missarum cantus mordicus retinuerunt, ac retinent etiamnum, à moribus

Ioannes Hus.

Boëmorum religio.

ribus & institutis ecclesiæ catholicæ sese segregantes, Hussique patriarchæ seu pseudoprophetæ sui memoriam sacrosanctã retinentes, quamuis dogmata eius & Vicleffi respuant. Non omnes tamen, nec vniuersè, sicut prius dixi, hæc quoque amplectuntur. Verùm ij modo, qui Calixtini vocantur. Lutherus autem post centesimum ab Husso annum exortus, initio neque Picardorum & Vicleffi dogmata, neque Husitarum siue Calixtinorum Boëmorum cõtentionem atq; secessionem probauit. Posteà verò, cum cẽsura ecclesiastica irritatus, longius insana contentione & ambitione proueheretur, & quiduis facere & pati, quàm retractare, quæ asserere cęperat, mallet, illorum quoque dogmata vnà cũ Philippo, & alijs sectatoribus suis ambabus, quod dicitur, manibus amplexus est, vt eos in suas partes pertraheret, & Papatui, quemadmodum ipsemet non obscure præ se tulit, incommodaret. Sed cũ aliena, vt verbis S. scripturæ vtar, vitula araret, dissimulanter id fecit: nec indicauit fontes, vnde ea dogmata hausisset. Ne Philippus quidem, licet integras sententias & periodos nonnunquam ex eorũ confessionibus ad verbum transcriberet. Scilicet, vt parasiti comici doctrinã secuti, labore alieno magnam partam gloriam verbis in

Lutheri et Melanchtonis sensus de Picardis

se

se transmouerent. Quoque tectius id facerent, nonnulla ex ijs refutarunt, nonnulla magis etiã deprauarunt: Et sicut mulierculæ initio cum rubore virorum amplexus admittũt, & latebras quærunt, vbi verò quæstum corpore facere occeperunt, profligato omni pudore, cuiuis & vbiuis copiam sui faciunt: Sic isti pleraque ecclesiæ catholicę institutа, ab Husso, Vicleffo, Picardis, & Apostolicis, verecunde ac timide exagitata, confidenter conuellerunt, ea præsertim, quæ sunt minus popularia, effrenemque vulgi licentiam certa disciplina cohibent & coercent. Sed ea quoq; quæ tunc siue Husso, siue Vicleffo, siue Picardis, siue Apostolicis authoribus exorta sunt, noua sunt admodum & nupera, si ad rationem superiorum temporum, quæ inter illos & Christum Apostolosque interceserunt, referas. Et non in Picardia, aut Gallia, neque in Anglia, aut Boëmia Christus quæri se iussit: Imò præmonuit nos, dicẽs: Si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic: Nolite credere. Et: Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, id est, alibi quàm in ecclesia catholica, Nolite exire: Ecce in penetralibus, & ignoratis hactenus dogmatibus, nolite credere. Damnati sunt autem illi nouatores cum dogmatibus suis à Cõcilijs, & ab vniuersa Christi ecclesia

Christus in ecclesia cathol. quærendus. Math. 24

pro

pro hæreticis habiti sunt,& habentur. Et magna pars illorũ populorũ, quorum mentionẽ dudum feci, vel resipuit paulò pòst, vel initio peruersa illa dogmata non susceptit, vel non vniuersè susceptit. Calixtini quidem Boëmi, quemadmodum dixi dudum, licet ipsi quoq; in quibusdam à nobis dissentiant, pleraque tamen Vicleffi & Picardorum dogmata damnant, habentq; eos, atque etiam Lutheranos tuos & Euangelicos pro hæreticis, & seuiore legum animaduersione persequũtur. Iam in Eucharistia nõ esse verè, & vt vulgari verbo vtar, essentialiter corpus & sanguinem Christi, quod magna pars istorum Euangelicorũ Carolostadio, Zuinglio, & Oecolampadio, Lutheri vel discipulis, vel æmulis authoribus, nequicquam repugnante Luthero & Lutheranis rigidioribus, asseuerat, & pro verbo dei venditat, ante Picardos, & ante quingentos & quinquaginta annos docuit Berẽgarius in Gallijs. Sed damnatum est id dogma velut hæreticum, & impium à Vercellensi, Turonensi, & Romano Concilijs, nec radices tunc vsquam egit: Ipseque Berengarius id retractauit. Addunt autem isti ad Berengarij impietatem illud, quòd formam sacramenti ab ipso Christo proditam, & ab omni ecclesia perpetuò seruatam, nonnulli quidem mutãt

Berengarius Sacramentariorum dux.

Sacramentariorum improbitus

pro, Hoc est corpus meum, hic est panis meus, enunciantes. Nonnulli verò prorsus reijciunt, dicentes: Accipite, comedite, Hoc facite in mei commemorationē: quemadmodū memorant Ioachimus Vestphalus & Erhardus Sneppius. Vel, vt est apud Lascum: Accipite edite, & memineritis corpus domini nostri Iesu Christi pro nobis in mortem traditū esse in crucis patibulo. Et ad eundem modū in calice porrigendo. Sed minus manifesta fraus esset, si ij retinerent verba illa, & ad ea verbulū (non) adijcerent, ac dicerēt: Hoc non est corpus meum: Et, Hic nō est sanguis meus. Atque ita Christum enunciasse, & euāgelistas apostolūque scripsisse, Antichristū verò papam & monachos corrupisse scripturam magnis conuitijs, vt solent, contenderēt. Porrò ante mille annos docuit donatus in Africa, Ecclesiā Christi bonis tantum & electis constare, & esse eam inuisibilem: Et, Chrisma esse abominabile. Eius autem discipulus Petilianus, Idem fuisse Ioannis & Christi baptisma. Tametsi plus tamen, efficaciæ Christi baptismati tribuebat ille. Non item Lutherus, & Caluinus, & sequaces eorum, aperte reclamāte ipso Ioanne, & Paulo apostolo. Per idem tempus docuit Pelagius Britannus, Iustificatos per fidem suis viribus naturali-

Recta fides de cœna domini.
Vestphal. in lib.
Snep. in cōfess. de Eucharist.
Ioan. Lasci in forma, Eccles. minist.
Donatus.
Petilianus.
Cal. in inst.
Och. in dia.
Matth. 3.
Act. 19.
Pelagius.

bus

bus disponere sese ad gratiam Dei, & sine peccato esse posse in hac vita. Quod Melanchtoni impingunt Flacius & Amsdorffius: Infantes è Christianis parentibus ortos sine baptismo vitam æternam adipisci: Quod itidem contendunt Caluinus, Ochinus, & cęteri Sacramentarij. Item originale, quod dicimus peccatum, non esse verè peccatum, sed morbum. Quod secutus esse videtur Zuinglius, nec scio an Ochinus etiam Platonicus, siue Scepticus. Vigilantius autem in Gallia docuit, Sanctos, qui ex hac vita ad aliam commigrarunt, non esse venerandos, neque inuocandos, vt nos precibus suis adiuuent: Iouinianus in Italia, omnia peccata esse paria: Continentiæ votum stultum esse, nec seruandum: Ieiunium nullius esse meriti apud Deum, nec vllũ in eo seruandũ esse delectum ciborũ: Castitatem non esse maioris meriti apud Deum, quàm coniugiũ: Sanctorum reliquias non esse venerandas, (quod Vigilantius itidem sensit) neq; festos dies colendos. Aliquãto autẽ ante in Græcia Aëtius quidem & Eunomius, Fide sola saluari homines, neque damnari quenquam credentem, quamuis sceleratũ & peccatorẽ, Aërius verò, & ipse Arianus, Nullum esse discrimen inter presbyterum & Episcopum: Pro mortuis orã-

Flac. cont. Euang. corrupt.
Nic. Amsdorf. in cõfes.
Caluin. in instit.
Ochin. dialog. II.
Zuing. contra Vrb. Regium.
Vigilãtius.
Iouinianus.
Luth. in art. à Paris. damnatis.
Id. de vitâ coniug.
Aëtius & Eunomius.
Aërius.

dum & sacrificandum non esse: Ex præcepto non esse ieiunandum, neque quarta & sexta sabbati, neque quadraginta diebus ante pascha, neque vllum aliud ieiunium: sed quando cuiq; libet: Lugubres cæremonias, quæ in commemoratione passionis Christi domini nostri ante pascha peragi solent, aliaque instituta Ecclesiastica, ineptias esse. Verũ ea quoque omnia noua, & superiorum temporum ecclesiæ incognita & aduersa tunc erant dogmata, eoque nomine non modò à Papa aut Italis, aut ijs tantum populis, qui Romanæ ecclesiæ authoritatem agnoscebant, sed ab vniuerso populo Christiano repudiata, testibus Epiphanio, Hieronymo, Augustino, Prospero Aquitanico, & alijs temporum illorum scriptoribus, paulò post extincta sunt. Qui non erãt ex Deo. Et tamẽ ea vestri istri pseudeuangelici tanto quasi postliminio reuocarunt, & resuscitarunt, & pro doctrina Christi & Apostolorum iam inde ab initio in ecclesi Dei perpetuò conseruata imperitis inculcãt Sicut & illa: Hominem non esse liberi arbitrij: Deum hominibus impossibilia præcepisse: Præscientiam Dei necessitatem afferre voluntatibus & actionibus hominum, atq; ita Deum causam esse peccati propriè & efficiẽter: Christianorũ infantes sine baptismo im-

Hæreticorum uetustiorum dogmata. Luth. de seruit. arb. Mel. in ep. ad Rom.

mu-

munes esse ab originali peccato. Peccatũ non deleri in baptismo: Per sacramenta non conferri gratiam: neutram speciem Eucharistiæ necessariam esse ad salutem: Satis esse credere, etiamsi quis fidem non confiteatur. Dæmonas quoque in fine seculi saluatũ iri. Ordinem sacrum non esse sacramentum: Confessionem sacramentalem non esse institutũ Apostolicum: Mulieres posse fungi sacerdotalibus muneribus: Legem Mosaicã non pertinere ad Christianos: Filium Dei non esse verbum siue λόγον, nec appellari hoc nomine in S. scripturis: Eundem filium Dei nõ esse vere Deum, aut certè non æqualẽ patri: Itemque spiritum sanctum. In deo non esse trinitatem personarum, & vnitatem essentiæ: Imaginem Dei in anima simul & in corpore esse: Imagines sacras in templis ferendas non esse: Animas piorum post mortem vsque ad extremum Dei iudicium quiescere in abditis quibusdam terræ receptaculis: Christum passum esse etiam secundum diuinam naturã. Eiusdẽ diuinitatẽ tantũ, nõ etiã carnẽ adorandã esse. Eiusdem humanã naturã in diuinam conuersam esse: Eundem de cœlo, ac non de virgine carnem sumpsisse, aut phantasticum, ac non

Cal. in inst. Zuiug. contra Vr. Re. Calu. Och. Bucer. Luth. in assert. de formissæ. Mel. ad Rom. Hortenses siue clanculari. Demoniaci Zuinglius. Luth. de capt. Ba. Flac. contr. Iust. Men. Antinomi. Luth. Flacius. Seruetus. Gentilis Carolost. Zuinglius. Anabaptistæ. Andr. Musculus. Caluiniani. Luth. in postilla prime editionis in Natiuitat. domini.

Suencfeldius contra Virtemberg. mendac. Memnon. Carpocrates. Valentinus, Marcion.

verum corpus habuisse. Hęc quoq; vestri isti Euãgelici pro verbo dei venditãt, nõ à Christo, aut apostolis eius, prophetis ve, sed à Carpocrate, Valentino, Marcione, Origenianis, Manichæis, Pepusianis, Alogianis, Nestorianis, Massalianis, Audianis, Iconomachis, Catharis, & Armenis olim prodita, & cum prophetica & apostolica doctrina, sensuq; ecclesiæ catholicæ pugnantia. Illa item: Christũ purũ hominẽ, ac nõ Deũ quoq; fuisse: Nullã deinceps futurã esse hominũ à morte resurrectionẽ: & si qua sunt alia: Quæ cum illis, quos dudũ cõmemoraui, vetustiores etiã, & Apostolis ferè æquales, nẽpe Simonẽ Magũ, Ebionẽ, Cerinthũ, Hymenæũ, Philetũ authores habeãt, his etiã nostris tẽporibus suos repererũt assertores, è vestris scholis profectos. Quãuis enim ea vetusta sint, tamẽ quia nõ ab Apostolis aut apostolicis viris ecclesię tradita, nec ab ea recepta, sed reprobata sunt potius cũ suis authoribus, nec multò pòst obliterata penitus, noua meritò habenda sunt, & peregrina, ac illius generis, de quo scribit Paulus ad Galatas: Si quis vobis euangelizauerit, præter quod accepistis, anathema sit. Ne illud quidem nouum est asseuerare, quòd concilia generalia legitimè congregata errare possint, aut solcant in ijs, quæ sunt fidei. Sed fuit id

Originiani
Manichæi.
Pepusiani.
P. Samosatenus.
Alogiani.
Nestorius.
Massiliani.
Audiani.
Iconomachi.
Cathari.
Armeni.
Simon. Magus.
Ebion.
Cerinthus.
Hymenæus
Philetus.
Ariani.

id semper iam inde ab Ario commune cunctis hæreticis, quibus terribilis semper fuit & est illa castrorũ acies ordinata: Estque ab ecclesia Christi simul cum assertoribus suis dãnatum. Istos igitur aliqua ex parte vos habetis progenitores, ac euangelij vestri & alienorum deorum authores, alienos ab ecclesia Christi, & in circuitu eius ambulãtes: quorum successione gloriari vobis licet, vt gloriantur sane perfricta fronte non raro cùm alij, tum corruptores historię Ecclesiasticę, paucitatem studiose sectantes, Est´ne autem credibile, per tot secula, quæ inter hos, quos modò enumeraui hęreticos, & Lutherũ, quiq; eũ secuti & cõsecuti sunt, aut per superiora illa, quę inter Apostolos & eos ipsos, quamuis diuersis temporibus exortos, interceſſerunt, Eccle siã per orbẽ terrarũ diffusã à spõso suo Christo ac spiritu sancto habitam esse derelictui? AVL. Ego hoc non dico. MON. Sed dicit propugnator ac fabricator confessionis Augustanæ; de iustitia fidei omnia templa, monasteria, scholas, deniq; omnes libros Theologorũ recentium mutos fuisse. AVL. Atqui & istorum, quos tu modo cõmemorasti, temporibus, & omnibus fuerunt semper, & sunt etiamnunc, & post nos erunt, per vniuersum orbem Christianum homines nonnulli, quos

Ecclesia nunquam à deo defecta.

Melanch. in Apolog. Confess.

August.

Deus à Papistícis & monastícis vestris dogmatibus immunes in vera religione seruauit, seruat, seruabitque. MON. Vbi nam quæso ij latuere? Cur nulla eorum extat memoria, sicut extat Iouiniani, Husi, Vicleffi, Berengarij, Donati, Aërij, Marcionis? Cur autem ij nõ norunt inter se? aut cur mentionẽ sui inuicẽ nullã fecerunt? aut quos vsquam gentiũ suos habuerunt cœtus, præter exigua ac tẽporaria illorũ, quos recensui conuenticula, in quibus aperte eadẽ cũ docerentur, tũ continenti vsu seruarẽtur? Non latuissent ij profectò: Præsertim cũ cæteri omnes Christiani aliter sentirent, illaq; eorũ dogmata, tanquã noua, peregrina, hęretica, & ab ecclesia Christi aliena vnà cũ ipsis authoribus dãnarent: Quemadmodũ non latuerunt Gnostici, & alij quidã spurci hæretici, quãuis latere studerẽt. Ne nunc quidem latent Anabaptistę, & Hortenses fratres. Vestri autẽ isti Euangelici plerunque etiam falsos & mendaciter reges, principes, ciuitates, & populos pro sectatoribus & adstipulatoribus suis vulgo, scribendo iuxta ac prædicando, iactitant. Quod itidẽ Ariani & alij prisci hæretici factitarunt. Certè ad stabiliendũ dogma quoduis magnopere pertinet, si ostẽdatur (quod isti nec quicquam facere conãtur) id non nouum, nec peregrinũ, nec vnius ali-

Euangelici vendicant sibi alienos

Catholicũ dogma quo modo cognoscendũ.

alicuius, vel paucorum & obscurorum hominum priuatum esse: Sed hos, & hos, illustres doctrina, virtute, & pietate viros ita sensisse, & sentire, nec in vno terræ angulo, neq; vno æuo, verùm multis seculis perpetuò: Omnesque vel præcipuas gentes, quæ in concordia religionis, quasi in vna quadam republ. perseuerarint, id amplexas esse & seruare. Hi sunt termini patrum, quos transgredi nos Solomon vetat: Hæ semitæ antiquę, de quibus interrogare Deus per prophetã iubet. De quibus vide quæso quid scribat Stancarus vester. Vias autem antiquas, ab initio mundi patribus nostris reuelatas, & in scripturis sanctis, sacrisq; symbolis fidei, atque sanctis cõcilijs vniuersalibus regiſtratas & receptas atque approbatas à toto mundo non semel vobis amplectendas proponit: Deus videlicet. Quibus ille verbis Melanchtonis & Sacramẽtariorum dogma de mediatore nouitatis coarguit. Vbi igitur hęc vel omnia, vel pleraque concurrerint, id demum argumento est, non nouum illud esse dogma, sed institutum, aut morem receptum ecclesię catholicæ, Christique & apostolorum eius doctrinam. Christo enim deus pater dedit hæreditatem (non vnum aut alterum hominem, nequevnam aut alteram gentem, sed) gentes, quemadmodũ

Pro. 22. *Hier. 6.* *Stanc. de Trin. & med. in epist.*

Ecclesiæ Christi amplitudo.

ait Dauid: & possessionẽ eius (non hanc vel
Psal. 2. illam regionem, sed) terminos terræ. Alibi ve
Psal. 144. rò: Regnũ tuum (inquit idem) regnum omnium seculorum: non vnius, duum, trium ue. Nisi fortè nunc humanæ vires & fraudes diuino consilio resistere, & gloriam Dei opprimere possunt. At idem est etiamnunc deus, qui olim recepit, portas inferorum, hoc
Matth. 16. est, hæreses, nõ esse præualituras aduersus Ecclesiam suam. Et quod recepit, abundè præstitit. Neq; enim vnquam aduersus eam præ-
Hæreses nũ quam præ. ualuerunt aduersus Ecclesiam. ualuerunt hæresiarchæ, quamuis doctrina & artibus disputandi ac persuadendi instructi, scripturarum sacrarum prompta recitatione iactabundi, mille dolis & mendacijs ad fallendum exercitati, armisque & potentia maximorum principum & populorum nixi. Visi quidem sunt nonnunquam aliquousque præualere, Deo permittente, vt qui probati erant, inter nos manifesti fierent, sicut
1. Cor. 11. ait Paulus, & repurgato tritico paleæ ventilabris illis ex area, hoc est, Ecclesia dei exu-
Luc. 3. fflarentur, igni inextinguibili reseruatæ: Sed ad extremum vicit semper leo de tribu Iuda, eiusque sponsa ecclesia. Ne igitur patiare tibi persuaderi, antiquam, & geminam S S. patrum & ecclesiæ Christi istam esse doctrinam, quam Lutherus ac cæteri

nostri

noſtri temporis hæretici & pſeudeuangelici, pro euangelica iactitant. Quamlibet autem ea in nonnullis dogmatibus vetuſtos authores habeat, ſicut modò commemoraui, noua eſt tamen. Quod ipſi quoque eius aſſertores, vt antea dixi, non diffitentur, cum nos publicè in comitijs & colloquijs, veteris eſſe religionis agnoſcunt. Nec immeritò. Non ita pridem ſanè, cum idem antea ſaperemus omnes, & in eadem regula permaneremus, in vno quodam Chriſtiani populi angulo ea extitit, & cum profanis priorum hæreticorum (quos tamẽ authores iactare plerunq; erubeſcit) nouitatibus congruens, pugnat cum receptis antiquitus moribus, inſtitutis, & canonibus ſanctæ eccleſiæ, ab Apoſtolis & apoſtolicis viris per vniuerſum mundũ propagatæ: ita vt meritò authores & propagatores eius doctrinæ ex eorum numero haberi debeant, qui cum in medio noſtri ſurrexerint, quemadmodũ ſcribit Moſes, dicunt nobis, & perſuadere volunt, vt eamus, & ſeruiamus dijs alienis cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul ſunt; Quos deos non nouimus nos, neq; patres noſtri, ſicut iam dixi, & expoſui. Sed quid mirum eſt, doctrinam iſtã pſeudeuangelicã pugnare cum SS. patrum doctrina, & receptis moribus, inſtitutis, & canonibus contraria.

Phil. 3.

Deut. 13.

Euangelicorum dogmata expreſſo dei uerbo contraria.

nonibus Ecclesiæ Christi, quando ex professo pugnat cum Christi ipsius doctrina, & scripturis propheticis & Apostolicis, ad quas isti semper, quemadmodũ omnes ferè hæretici, prouocant? AVL. Hoc tibi non concedo: Eos contra claras scripturas & expressum dei uerbum quicquam docere. MON. Negare non potes, quandoquidem cõcedis, eos multa docere, quæ pugnant cum doctrina SS. patrum, & institutis veteris Ecclesiæ. Nisi fortè existimas illos (patres inquam) scripturas non legisse, aut non intellexisse, aut prudentes scientesq; pugnantia cum scripturis docuisse, eaq; talia ecclesiam uniuersam credenda seruandaq; suscepisse. Verùm hoc aliâs, si uidebitur, accuratius pertractabimus. Nũc id, quod cœpimus. An nõ clara autem & expressa sunt illa: De corpore Christi, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Et apud Paulum: Calix benedictionis, cui benedicimus, nõne cõmunicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis domini est? De eo, quòd impleri possint mandata Dei: Et mandata eius grauia non sunt. Et: Omnia possũ in eo, qui me confortat. Et quod Christus dixit: Iugum meum

Mar. 14. Luc. 22. Matth. 26, 1. Cor. 10.

1. Ioan. 3. Phil. 4.

meum ſuaue eſt, & onus meum leue. De diſ- *Matth. 11.*
crimine peccatorum: Qui ſcit fratrem ſuum
peccare peccatum non ad mortem, &c. Et
mox: Eſt peccatum ad mortem. De fide *1. Ioan. 5.*
iuſtificante: Nã in Chriſto Ieſu (inquit) neq; *Gal. 5.*
circumciſio aliquid ualet (nimirum ad iuſti-
tiam ſiue iuſtificationem) neq; præputium:
Sed fides quæ per charitatẽ operatur. Et Chri
ſtus ipſe: Remittuntur ei peccata multa, quo-
niam dilexit multum. Additq;: Fides tua ſal- *Ioan. 7.*
uam te fecit: vt oſtendat, fide quidem nos iu-
ſtificari & ſaluos fieri, ſed non ſola, neq; nu-
da. Quod Iacobus in epiſtola ſua plenius e- *Iaco. 2.*
tiam explicat. Iam de iuſtitia noſtra, quòd ve
rè nobis à deo conferatur, ac non imputetur
tantum, nonne clarum eſt illud & expreſſum, *1. Cor. 6.*
quod ſcribit Paulus? Sed abluti eſtis, ſed ſan- *Ioan. 8.*
ctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. Et in E-
uangelio Chriſtus ipſe ait: Si filius vos libera
uerit, verè liberi eritis. Vere, inquit, non im-
putatiue. Neq; eſt autem aliud, liberatio à pec
cato, quàm iuſtificatio. De magiſtratibus Ec-
cleſiaſticis, eorumq; authoritate: Attendite
vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus *Act. 20.*
ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam
Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Et: Obe-
dite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: Ipſi e- *Heb. 13.*
nim peruigilant, quaſi rationem pro anima-
bus

bus vestris reddituri: vt cũ gaudio hoc faci-
1.Cor.11. ant, & non gementes. Hoc enim non expedit
Rom.6. vobis. De satisfactione: Quod si nosmetipsos
iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Et: Sicut
enim exhibuistis membra vestra seruire im-
mũditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nũc
exhibete mẽbra vestra seruire iustitię in san-
Esa.33. ctificationẽ. De lege Euãgelica: De Sion ex-
Ioan.13. ibit lex. Et ipse Christus: Mandatũ nouũ do
Gal.6. vobis. Et Apostolus: Alter alterius onera por-
1.Cor.9. tate, & sic adimplebitis legẽ Christi. Et alibi
Mat.16. de se scribit idem: Cùm sine lege Dei non es-
Matth.5. sem, sed in lege essem Christi. De meritis bo-
Mar.9. norum operũ, Filius hominis reddet vnicui-
que secundum opera eius. Et illud: Merces
vestra copiosa est in cœlis. Et apud Marcum:
Psal.33. Quisquis potũ dederit vobis calicẽ aquæ in
nomine meo, quia Christi estis, Amen dico
vobis, qui nõ perdet mercedem suã. Et Psal-
1.Pet.2. tes, quod Petrus itidẽ repetit: Qui enim vult
vitam deligere, & dies videre bonos (nempe
in terra viuentium) coẽrceat linguam suam à
malo, & labia eius ne loquantur dolum: De-
clinet à malo, & faciat bonum; inquirat pacẽ,
& sequatur eã. Quia oculi domini super iu-
stos & aures eius in preces eorum: Vultus au-
tem domini super facientes mala. De bapti-

smi

smi efficientia,& necessitate etiã in paruulis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu san- Ioan.3.
cto,non potest introire in regnum Dei. Et a- Eph.5.
pud Paulum : Mundans eam lauacro aquæ in in verbo vitæ. De sacrificio Christianorum: Malach. 1.
In omni loco sacrificatur & offertur nomini Act.13.
meo oblatio munda.Et:Sacrificantibus autẽ illis domino.Etsi enim apud nos est in veteri translatione,ministrantibus,tamẽ Lucas Græce λειτουργούντων scripsit, quod propriè apud Christianos ad ministerium sacerdotale, hoc est,ad sacrificium pertinet: Sicut & alibi idem Lucas de Zacharia sacerdote scribens, ministerium eius sacerdotale λειτουργίαν appellat. De eo:quod Deus malorũ nostrorũ Psal.5.
seu peccatorũ author nõ sit : Non Deus volẽs Iac.1.
iniquitatẽ tu es.Et:Deus enim intẽtator malorũ est:Ipse aũt neminẽ tentat. Vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua abstractus Iac.1.
& illectus. De confessione : Confitemini alterutrum peccata vestra.Et:Accipite spiritum sanctum:Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis,& quorũ retinueritis,retenta sunt. Ioan.20.
Qui locus etiam sacerdotium Christianum, quod isti euertere conantur, sancit.Sicut & Iac.5.
ille:Posuit in nobisverbũ recõciliationis,&c. De extrema vnctione:Infirmatur quis in vobis,

bis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini &c. De orando pro mortuis: Sancta
2. Mach. 12 ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. De igne purgatorio: Non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Et: Non remittetur
Luc. 12. neque in hoc seculo, neque in futuro. Quòd
Matth. 12. sancti post mortem cum Christo regnent in
Ephes. 4. cœlis: Ascendens in altum, captiuam duxit
Philip. 1. captiuitatem. Et: Desiderium habẽs dissolui, & esse cum Christo. De cauenda securitate & confidentia certæ gratiæ dei: Cum metu &
Phil. 2. tremore vestram salutem operamini. Et: Ne-
Eccl. 9 scit homo, vtrum amore an odio dignus sit: Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec ti-
Rom. 8. bi parcat. Quin & illa, quam isti deprauantes scripturas pro se vsurpant: Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Sed addit, quod isti omittunt: Qui non secundum carnem ambulant. De libero arbitrio:
1. Cor. 7. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Quæ ipsa scriptura etiam votum cælibatus & castitatis, vt piũ, & quod præstari ab homine possit,

sit, approbat. Sicut & illa: Cum luxuriatę fuerint, in Christo nubere volunt, habentes dam nationem, quia primam fidem irritam fecerunt. De eo, quòd ieiunio Deus colatur: Ieiunijs & obsecrationibus seruiens, seu verius colens: Deum videlicet: Græcè enim λατρεύοντα, dicitur. His igitur & alijs multis scripturis, & verbo Dei per eas expresso isti vestri noui Euãgelistæ ex professo contraria docẽt, quemadmodũ ex enumeratis à me paulò antè dogmatibus eorum constat; licet in omnia sese vertat Smidelinus, dum Fridericum Staphylum idem, quod ego nunc, agentem, refellere nititur. AVL. At confirmant ij quoq; sua dogmata scripturis, & expresso verbo Dei. MON. Quid ni? Ipse quoque Satan. Sed ostendi iam ego, & SS. patrum scriptis comprobaui, quomodo. Possem hic disertus esse, si vellem fusius persequi, quàm inepte, ne dicam stolide aut improbe ij SS. scripturarum testimonijs in adstruendis dogmatibus suis, & oppugnandis institutis eccleſiæ & Christi ipsius passim vtantur, ita vt tantum ea sæpe ad rem, de qua agitur, faciant, quantum illa de tribus capellis festiui poetæ fabula: Nonn unquam autem, vt cõtrarium potius per eas demonstretur. Sed vno aut altero exemplo cõtentus eris. Philippus Melãchton in locis suis com-

1. Timot. 5.

Luc. 2.

Iac. Andr. in respons. ad Staph.

Fr. Staph.

Euangelici abutuntur scripturis.

Phil. in loc. com.

communibus, anno Christi 1552. editis tertium sacramentum duobus (quæ sola à Christo & apostolis eius instituta & prodita esse ipse prius vnà cũ Luthero suo & Confessione Augustana contenderat) addens, ita scribit: Mihi maxime placet (nota expressum dei verbum) etiam addi Ordinationem. Et ne absque scripturæ authoritate id statuere videatur, mox addit: Quia hæc omnia mandato Euangelij præcipiuntur, vt ad Titum: Constitue presbyteros, vt iussi. Probe: Sed quid hoc ad sacramenti institutionẽ. Non magis, quàm illud, vt cerevino modico. Illud fortasse magis, quod addit, & maximã omnium promissionem habere affirmat. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Atqui ista promissio non magis ad sacramentũ Ordinis pertinet, quàm tres capellæ. Iam Caluinus, tollens vim & efficaciam baptismi, & vt symbolum modo eum nostræ purgationis à domino proponi asserens, hac scriptura id confirmat. Vult enim, inquit, oẽs qui crediderint baptizari in remissionem peccatorum. Ergo cœlũ stat, terra verò mouetur. Et quasi abũde id, quod sibi proposuerat, probarit, alias scripturas apertissimè sibi repugnãtes ad suũ sensum detorquet. In hunc sensum, inquit, intelligendũ, quod à Paulo scribitur: Eccleſiam à Christo

Caluin. in instit.

Matt. ult.

Act. 2.

Ephes. 5.

Christo sponso sanctitificatã esse, & mundatã lauacra aquę inverbo vitę. Et alibi: Nos secundum eius misericordiã saluos factos esse per lauacrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti. Et à Petro: Quod baptisma nos saluos facit. Videtur´ne tibi ille sobrius aut sano cerebro produxisse hęc testimonia? Idéque cum nullum faciat discrimen inter Christi & Ioannis baptisma, pœnitentiæ verbo in scripturis regenerationem vult intelligi, quo telum illud scripturæ, quo baptisma Ioannis baptisma pœnitentiæ vocatur, euitet. Et illam autem alteram scripturam ac verba Ioannis ipsius dicentis: Se quidem aqua baptizare, Christum verò in spiritu sancto & igni, mirificè torquet, dicens: Ioannem non baptismum à baptismo distinguere, sed se cum Crhisti persona conferre. Quemadmodum & illam, quod Paulus rebaptizauit in nomine domini Iesu eos, qui Ioannis baptismo baptizati erant. Ait enim, Se simpliciùs per illa verba intelligere baptismum spiritus sancti, hoc est, gratias spiritus uisibiles per impositionẽ manuum datas. Nec repugnat, inquit, quod postea subditur: Cũ imposuissetillis manus, descendebat spiritus sanctus super eos. Non enim duo diuersa narrat Lucas, sed formã narrationis sequitur Hebræis familiarem, qui

Tit. 3.

1. Pet. 3.

Mar. 1.

Luc. 3.

Matth. 3.

Act. 19.

primum rei summã proponunt, deinde fusius explicant. Hoc demum est, rectè vti scripturis. Et ne quis ei superfit scrupulus, coniunctionem (&) in qua non parum est momenti è contextu eiecit. Nec sanius eam scripturam interpretantur compilatoret historiæ ecclesiasticæ. Nam ibi inquiunt, corrupta forma baptismi Ioannis sine nomine spiritus sancti baptizatos fratres Paulus in nomine domini, id est, secundum institutionem Christi, nempe in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizari iubet. Sed huiusmodi & omnis generis fraudũ chiliadibus refertæ sunt illæ cẽturiæ. Sic igitur isti plerunque scripturis suã probant, & nostra improbant. Et vos ea pro ipsissimo dei verbo amplectimini? Sed extãt & manibus hominum teruntur S. martyris Ioãnis Roffẽ. Hosij nostri, Vilelmi Lindani, Ioannis Gropperi, Alani Copi, Petri Soti, & compluriũ aliorũ catholicæ veritatis propugnatorum libri, his paucis annis editi, quibus ij pseudeuangelicas istiusmodi fraudes in sacris literis iuxtà ac in SS. patrum scriptis citatis commissas manifeste retexerunt, & luculente redarguerunt. Vides igitur, quàm tutò credatur quibusuis istorũ aliunde petitis testimonijs. An non autem nos quoque catholici, dum contraria illis docemus, scripturis ple-

Hist. eccl. Magdebur gen. fraudes. Cent. 1. lib. 2. cap. 6.

Roffen. in Luth. & in Occo. Hos. confes. & in Brent. Lind. pano pl. Petr. Soti resp. ad Brent. Grop. de Euch.

pleraque omnia confirmamus? Et diuturniorem certè, legitimamq; scripturæ possessionẽ atq; præscriptionem habemus. Cur igitur nõ potius nobis, seu verius scripturis ijs, quæ à nobis proferuntur, creditur? Vetus est prouerbium: Sacram scripturam cereum habere nasum, quem suo quisq; arbitratu possit inflectere, ita vt non modò diuersa, verumetiam pugnantia dogmata per eam statui defendique à contentiosis & hæreticis soleant. Perinde sanè scripturæ authoritate nixus est Arius: ac Sabellius: Perinde Pelagius, ac Manichæus, siue Manes: Perinde Eutyches, ac Nestorius: quamuis pugnantes inter se haberent opiniones. Quin etiam nunc non minus scripturis sese tuentur Anabaptistæ & Seruetiani, quàm Lutherani, aut Sacramẽtarij: Et quidem ijsdem nonnunquam. Nec minus Stancariani, quàm Antistancariani: aut Osiandrini, quàm Antiosiandrini: Nec minus Brẽtius, quàm Bullingerus de sede Christi in cœlo inter se contendentes. Nec minus Gentilis: quàm Caluinus de Trinitate dissentientes, & vterque Seruetum & Arium reprobãtes. Imò verò ipse Lutherus, quoties mutat sententiã, & contrarium aliquid ei, quod prius docuit, docet, non minus hoc, atque illud scriptura confirmat, & pro verbo Dei vult haberi. Ad

S. Scripturæ cereus nasus.

Scripturis diuersa & contraria dogmata probantur

eundem modum Bucerus, Melanchton, Brẽtius, Caluinus, & cæteri pseudeuãgelici. Vtris igitur scripturis magis credes? Ijśne, quas hic, an quas ille pro se profert? & cùm vtriuis te addixeris, ijs̀ne, quas is heri, an quas hodie produxit? An forte vtrisque, alteris hodie, cras alteris? An verò neutris, atq; adeo nullis? sed vt quicque tibi in mentem venerit, quamdiu libebit, iam hoc, iam aliud sequêris? itemque alter, tertius, decimus, & quilibet? Quid igitur inde consequetur? Plures erunt in mundo religiones, seu verius opiniones de religione, quàm homines. Religio verò nulla certa erit. Quod quidem & Christus ipse prædixit, inquiens, Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Et animaduerte obsecro, qualis iste sit astus & cura diaboli, dei salutisque humanæ inimici. Principio ex professo per Iudæos & paganos persecutionibus atque cædibus Christianorum, conatus est delere Christianam religionem. Vbi hoc non succesit, largitionibus, honoribus, & voluptatibus corporis auocare eos, qui Christo nomina dederant, cæpit. Cùm autem hic quoque non modo à viris & prouectis, verumetiam à mulicbri sexu, & à pueris ars eius eluderetur, orsus est per hæreticos varios

Diaboli astus in euertendo Christianismo

rios errores verbi Dei prætextu inter Christianos serere. Quibus licet multos omnium ordinum, nationum, seculorumque homines seduxerit, & quasi paleas à tritico segregarit, nauicula tamen ecclesiæ catholicæ inter eos, quasi inter Scyllam & Charybdim semper euasit, neque in hanc, neque in illam partem declinans. Ecce autem nunc ad extremũ tales artifices veterator ille concitauit, qui iam sic, iam aliter docendo, & omnia prætextu verbi Dei confirmando, maiestatẽ & fidẽ eius ipsius verbi Dei in animis hominum labefactarent: quemadmodum cum quis arbustũ vel stipitem firmiter terræ infixum vno impetu conuellere aut eruere non potest, leniter agitando sensim labefactat, ac sic demum paruo negocio emouet. Quod mirifice præstat Bernardinus Ochinus in suis dialogis, Academicorum in morem controuersa dogmata disceptans, & incertum ferè, quid amplectendum sit, lectorẽ dimittens, præter cũ papanorũ, vt ipse loquitur, hoc est, ecclesiæ catholicæ doctrinã desertor improbus & ambitiosus impugnat. Et extitit Caspar Suencfeldius, qui S. scripturarum authoritatem earum ipsarum testimonijs nõ iã labefactaret, sed prorsus euerteret. Nec desunt, qui non obscurè præ se ferunt,

Euangelici labefecerunt authoritatẽ uerbi Dei.

Suencfeldius.

malle se nihil credere, quàm nunc hoc, nunc aliud: cum ij, qui pugnantia docent, ex æquo ea verbo Dei confirmare videantur. Verùm hîc quoque exerit sese mirificè potentia Dei, qui nunquam passus est, portas inferorum aduersus ecclesiam suam præualere, sed semper Satanã ipsiusmet armisq́; dolisq́; superat. Nã vt nihil esset aliud, certè disidijs istis, varijsq́; & pugnantibus dogmatibus ipsum sese malũ depascitur & euertit. Quemadmodũ & Oseas Propheta memorat: Diuisum, inquiens, est cor eorum, nunc interibunt. Ipse quoque Lutherus ait: Nullos vnquam hæreticos vi aut æstu victos esse, sed mutua dissensione: Nec aliter cum eis pugnare Christũ, quàm misso inter eos spiritu vertiginis & dissensionis: sicut inter Sichemitas Iudicum 9. inter Babyloniæ turris operarios: Et in nouo testamento inter Arianos, Donatistas, & Pelagianos. Ita Lutherus. Vtinam tam verè omnia. An autẽ obsecro non est diuisum cor istorum, quãdo alius quidem sic, alus verò aliter, atque adeò vnus & idem iam sic, iam aliter docet? Quod dum ij faciunt, ipsimet illis disidijs, varietate, & inconstantia sua coarguunt, doctrinam suam non à spiritu veritatis, sed à patre mendacij diabolo, qui solet esse spiritus mendax in ore falsorum Prophetarum, proficisci: Ve-

Matth. 16.

Hæreticorum dissidium interitum eorum accelerat.

Oseæ. 10.

Luth. in 5. Psalm.

3. Reg. 22. 2. Paral. 18.

rita-

ritatis enim simplex est & constãs, ac sibi ipsa consentiens oratio: Falsum falso, imò ipsum sibi repugnat. Proinde ipse etiam Lutherus hoc potissimum argumento sacramentariorum doctrinam ab authore Satana profectam esse probat, quòd ij in ipso statim exordio in septẽ vel octo sectas dissecti sint, de verborũ illorum (hoc est corpus meum) sensu inter se dissidentes. Eodem autem argumento suam quoq; ipsius & suorum doctrinam condemnauit. Nam ipsi quoq;, sicuti de Arianis scribit Athanasius, cuncta mouent & turbant, neque vel ita suis ipsi decretis acquiescũt. Quot annis enim in vnum coëunt, veluti qui tabulas pactaq; scribant, simulantque se pro fide scripta conficere, mire interim & fœdi & ridiculi, cùm scripta eorum non modò ab alijs, sed etiam ab ipsismet explodantur. Alibi verò idem ita scribit: Homines tales, quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus vijs appellat, nunquam vnã eandemq; sententiã, sed aliâs aliã fouentes, dictaque sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur, vt quod iam probarint, è vestigio damnẽt. Hi sunt, vt Pastor dixit, progenies diaboli, quiq; speciẽ potius cauponũ, quàm magistrorũ præ se ferant. Est enim ibi, vt patres tradiderunt, veræ disciplinæ & magisterij argumentum,

Luth. con. Zuingl. de cœna Christi, & ad Alb. Marchi. Brandebur.

Ath. orat. 1. in Ar.

Id. in epist. Quod Nic. syn. &c.

vbi eadem confitentur, nec à se inuicem, nec à maioribus dissentiunt. Qui igitur hoc animo nõ sunt, mali potius, quàm veri præcepto res appellari debent. Hactenus ille. AVL. Verè quidem: Sed nescio an quicquã repugnantiæ, varietatis aut inconstantię in scriptis Lutheri & sectatorum eius appareat, quẽadmodum tu asseris, præsertim de rebus maioris momenti. Verùm ita vos eos fortasse cauillantes interpretamini. MON. Non est nostrũ cauillari. Istis hoc peculare est Pseudeuangelicis cũ patre suo diabolo, vt est videre cũ in aliorum, tum in Flacij, Hesshusij, Kemnicij, Smidelini, Vergerij scriptis. Quanquã de Vergerio mirandum non est. Non aliter potuit homo Italus Germanis, ad quos perfugit, probare, Se verè & ex animo Papatum odisse. Verùm nos istorum tuorum euangelicorum inter ipsos disidia persequamur. AVL. In aliud colloquium id reijciamus, si videtur. MON. Mihi verò videtur, quo & tu prolixioris sermonis fastidium minus sentias, & ego paratior veniam. AVL. Me quidem sermonis huius tædium nondum cepit. Sed respiremus tamen; modò non in longum quod reliquum est, differamus. Iuuat me exte discere ea, quibus cõgerrones meos aliquã do exagitẽ. MO. Ego non ero in mora, quin fa-

Calumniatores pseudeuãgelici.

satisfaciã desiderio tuo,& exosam tibi cucullam in sinum tuum exonerẽ. AV. Non tam ea nunc mihi fœtet, quàm dudũ. Vbi te conueniam? MON. In porticu monasterij nostri. AVL. Quando? MON. Quando voles. AVL. Hodie sub vesperum adero. MON. Vix arbitror: Aliò te auocabunt sodales & familiares tui. AVL. Minime. Tibi hunc diem dabo, si tibi non displicet. MON. Ego verò vicissim sanè quàm lubens eum tibi dedero, quando non illibenter me audire videris. AVL. Quid ni audiam, probabiliter tamen & eruditè de rebus grauibus & serijs loquentem. Absit modo sophistica, qua vos monachi libenter vtimini, & nos idiotas perplexos redditis. MON. Ea quidem & abfuit adhuc,& aberit deinceps quoque. AVL. Qua hora veniam? MON. Vicesima. AVL. Adero in tempore. Interea vale. MON. Tu quoq;. AVL. Permouit me nõnihil huius monachi sermo. Nõ omnino enim falsa sunt, quę dixit de nostris euangelicis. De dissensionibus quoq; ac leuitate eorũ apertius est, quàm vt negari possit. Tametsi hominũ hæc sũt peccata. Doctrina quidẽ est ferè euãgelica, à qua ego me nõ tã facile, quã Petrus à Cõfessione Christi, siue ancillæ, siue monachi voce auerti pa-

patiar. Sed audiam reliquum, quod hic promittit, quo facilius tamen mihi à turbatoribus istis, qui noui quotidie in ecclesijs nostris exoriuntur, & renascentis euangelij luminibus officiunt, cauere possim.

LIBRI

LIBRI PRIMI COLLOQVIVM ALTERVM.



MONACHVS. Iam est hora vicesima, & vespertinæ preces peractæ sunt, nec tamen apparet meus Aulicus. Potat, opinor, cum æqualibus suis, oblitus eius, quod conuênit inter nos. AVLICVS. Nequaquàm. Eccum tibi: Adest. MO. Hem. AVL. Ha ha he. Erubuisti. Laute acceptus abs te ientaculo, ad merendã redeo. MON. Hui, Ientaculum & merendã Aulicus à Monacho? Pharmacum fortasse non defuerit, quod aulicam crapulam & ebrietatem, sed non à vino, repurget. AVL. Vt lubet. Modo ne tam amarũ id sit, quàm fuit matutinũ. MON. Vereor, ne amarius etiam. Talia solẽt esse salubria pharmaca. Tu qualecunq; erit, boni cosules. Non erit tibi, spero, insalubre. Vestri quidem euangelistæ dulcia ferè vobis apponunt edulia, sed noxia, quemadmodum hodie potuisti animaduertere. Nunc magis etiam id deprehendes, vbi cognoueris, quàm varia sit, multiplex, inconstans, & secum ipsa pugna.

Esa. 29.

Euangeliorum diuersa & contraria doctrina.

pugnans eorum doctrina. Tametsi nec vul-
go incognita sunt eorum disidia & antilo-
giæ siue contradictiones, quibus ij permul-
tos iam à se alienarunt. Quo magis autem se-
dare ea disidia satagunt, eò magis ea per-
inde ac ignis in stipula vel palea glisc unt &
exardescunt, iusta diuini numinis vindi-
cta tradente eos in sensum reprobum. Certè
nõ dabis mihi duos tractus, nec scio an duas
ciuitates in Germania, vt nihil nunc de Po-
lonia nostra dicam, per omnia consentien-
tes inter se de religione ac dogmatibus. Ali-
ter Vitembergæ multa seruantur & credun-
tur, aliter Ienæ, aliter Norimbergæ, aliter
Augustæ, aliter Argentinæ, aliter Lipsi,
aliter Tubingæ, aliter Magdeburgi, aliter
in Vandalicis & maritimis ciuitatibus, aliter
ter in Prussia. Atque ibi non vbique eodem
modo, sicut & in Saxonia. Et apud Helue-
tios aliter Geneuæ, aliter Tiguri. Quid
dico de ciuitatibus. In vnaqualibet ciuita-
te, secus in hac, quàm in illa paræcia: In-
verò in singulis domibus. diuersæ sunt reli-
giones. Quin, quod maius est, in vna domo
paterfamilias & inquilinus, pater & filius,
socer & gener, mater & filia, vxor & maritus,
fratresque germani inter se dissentiunt
quamuis plerũq; dissimulent propter edicta

& anima duersiones magistratuum. In quibus sunt isti pseudeuãgelici multo vigilãtiores, q̃ nostri. Nec mirum quòd populi dissentiunt, cùm & ipsi eorum doctores, quilibet suo sensu de religione statuentes, scripturamq́ interpretantes, inter se disdiapason, quod dicitur, dissideant. Nec profectò aliter sentio, quàm Deũ confudisse non tam linguas, quàm sensus & mentes eorum, vt se inuicem non intelligant: sicut illi, qui olim turrim Babel ædificare orsi erant: quò non modò prudentes, verumetiam idiotæ & bardi cernant, & quasi manu contrectent, istud eorum consilium doctrinamq́ ex deo non esse, nec deo placere. Neque verò existimare debes, paruas esse, ac de eo, quod pueri in faba se reperisse clamitant, hoc est, de rebus parui momẽti controuersias inter eos. Sunt de ipsis capitibus religionis. Quod vel ipsa tam multarum, tamq́; diuersarum sectarum nomina & capita satis euidenter ostendunt. Neq; enim de nihilo est, quòd alij dicuntur Anabaptistę, alij Sacramentarij, alij cælestes prophetæ, siue Enthusiastæ, alij Antinomi, alij Trinitarij siue Trideitę: Sed quod singuli vel in eoipso, vnde nomen habent, à Lutheranis, ui se Prntestates vocãt, & à cæteris omnib. qui vno nomine euangelici dici volunt, ferè dissen-

Gen. xi.

Sectarum nomina & capita.

dissentiant: Nempe Anabaptistæ, quòd parum
Anabaptistæ. lorum baptisma efficax esse negant, atque ob
id iterandum esse in adultis contendunt. Sa-
Sacramentarij. cramentarij, quòd Christi præsentiam à san-
ctissimo Eucharistiæ sacramento excludunt
Euthusiastæ. Enthusiastæ, quòd externa verbi dei prædi-
catione, & sacrarum scripturarum lection
neglecta, ementitis reuelationibus diuini
nituntur. Antinomi, quòd Mosaicam legem
Antinomi. prorsus repudiant: Trinitarij siue Trideita-
Trideitæ. quòd in deo trinitatem personarum, vnit-
temque essentiæ explodunt, & solum patrem
siue deum Israel verè & propriè deũ esse cõ-
Val. Gentilis impietas tendentes, ad Mahometanam impietate
minus dissimulanter, quàm cæteri, accedun
atque adeò per distinctam trium diuinito-
tres deos statuentes, ad gentilismum ducto
Gentili defluunt. Tametsi is dogma id Ge-
uæ abiurauit. Sed lingua modo: Mens ini-
ta manet, vt ait ille. Mitto alias ignobilior
sectas: Quarum prodigiosas, & cùm ab his
quas modò recensui, tum ab alijs passim d
natas impietates postea fortassis obiter attig
gam. An non maximi quæso momenti ha
sunt, & ipsa religionis nostræ capita? An no
summa autem contentione, & quasi pro ar
& focis pro his atque alijs etiam dogmatibu
inter se & cum Lutheranis digladiantur, no
mod

modò sectatores & vulgus ignobile, sed ipsi etiam sectarum duces? Anabaptistas quidem acerrimè insectatur Lutherus: Itemque Bullingerus, & alij quidam, libris contra ipsos editis, damnantq; eos velut hæreticos. Damnat & ipsa Augustana confessio. Et Lutherani autem & Sacramentarij publice tanquã pestes eos è Rebuspubl. ac ditionibus suis exterminant. Idem Lutherus contra cœlestes quoque prophetas, qui primi ab eius euangelio Thoma Muncero authore desciuere, duos libros scripsit. Melanchton autẽ & Flacius nominatim Suencfeldium ducem eorum seductorem vocitant. Oppugnat Lutherus etiam Antinomos: Itemque Sacramentarios, & horum authores Carolostadium, Zuingliũ, Oecolampadiũ & Bucerum; & hæreseos eos, ac diabolicam (hoc enim verbo is vtitur) eorũ doctrinam damnat, licet vtrique, imò & Anabaptistæ, & Osiandrini ab ipso orti esse videantur, & ipsi ad earum sectarũ authores profiteantur, quemadmodum prius dixi. Nec aliter de ijsdem Sacramentarijs sentiũt rigidiores Lutheri discipuli, Illyricus, Nic. Gallus, Amstorffius, Ioachimus Vestphalus, & multi alij, sanctione comitiorum Imperialium Augustanorum anni 1548. adstipulante. Extant scripta Vestphali contra Caluinum, & contra

De Anabaptistis iudiciũ aliorũ.

Luth. ad duos pleb.

Bul. aduersus Anab.

De Enthusiastis siue Suencfeldianis.

Mel. in præfat. epist. ad Som.

Flac. de 50 error. Succ feldij.

Luth. de cœna Christi, & in ep. ad Alb. March. & ad Argent & con. artic. Louã.

Ioan. Vest. cont. mẽp. Lasci.

mendacia Ioannis à Lasco. Extat & Illyrici libellus germanicus nuper éditus contra paruum Catechismum Caluinianorũ. Quo nouẽ eorum insignes errores damnantur, ipsique spiritus vertiginis vocantur, & infernale ac plus quàm diabolicum fermentum in ecclesiam religionem diffundere memorantur. Vicissim autem hos, Lutheranos inquam, acerrimè exagitat, & pro hæreticis damnat Caluinus. Zuinglius etiam ipsi Luthero hæreseos crimen impingit: Et manifestum ac publicum sacræ scripturæ corruptorem & adulteratorem eum esse pronunciat. Bucerus verò ita de eo scribit: Si exigit, ne quis à se vlla in re dissentiat, probet se deum esse. Additque: In vertendis & explanandis scripturis manifesti sunt, neque pauci eius lapsus. Tigurini quidem, sicut prius etiam dixi, plurimos eiusmodi lapsus ipsius notarunt, & ipsum insolentiæ, pertinaciæ, & maligni spiritus arguunt. Vniuersè autem de Lutheranis ita scribit Oecolampadius. Speciem verbi Dei afferunt Lutherani; verbum Dei non afferunt, id quod hæretici passim facere solent, omnesque volunt videri verbo Dei niti. Caluinus autem & Lascus queruntur de acerba eorum tyrannide, pro quorum iugo ferreo Papæ iugum videatur fuisse

Illyricus cont. paruum catechis. Calui. De Luthero & Lutheranis aliorum hæreticorum iudicium. Caluin. in defens. sanæ doctrinæ, & in admonitione Ioachi. Vestphal. Bucerus. Tigurini. Oecol. in dialog. contra Mel.

fuisse ligneum. Iam verò Suencfeldius antichristos ipsos appellat, quemadmodũ ipsi memorant. Ferturque is etiam, Sleidano testè, refutationem Confessionis Augustanæ conscripsisse. Quanquã ea fortassis edita non est. Quid ego hîc, ipsorum inter se Anabaptistarum, & Sacramentariorum in complures sectas dissectorum, vt attigi superius, dissidia commemorem? Non sunt ea vulgo incognita. Ne Lutheranorum quidem & protestantium inter ipsos. Confessionem Augustanam Lutherus initio non omnino probauit: licet à fidelissimis tunc vel socijs suis, vel mancipijs (vt ipsi postea confessi sunt) conscriptã. Argentinẽses quidẽ & Constantien. & aliæ quædam Germanicæ ciutates ei non subscripserunt initio, suamq; & ipsæ, ab illa diuersam Carolo Imperatori, imperijque ordinibus exhibuerunt. Et nuper adeò Argentinenses, cum inter se de prædestinatione & Eucharistia dissentirent, insidiosa quadam, & Marpurgensi non dissimili conciliatione dissidium ita sopiuere, vt solet ignis superiniecto cinere: Sic illi etiãnunc Confessionem Augustanã nauci nõ faciunt; Osiander autem indignabũdus queritur, Vitembergæ in eius verba iureiurando adigi futuros professores (quod fit &

Illyr. de 50 error. Suẽcfeldij.

Smalcaldiensium iudicium 1540.

Sleid. in cõmentarijs.

Luth. in epist. ad Melanch.

De Confessione Augustana.

Euangelicorum dissidia.

Argentinens. cõsensus.

Marpurgense conuenticulum.

Osiander.

Rostochij ad Chersonesum Cymbricam) & pro verbo Dei eam haberi. Quod & Ioannes Lascus itidem queritur. Nec sanè obscurè, ita sentire de ea videtur Vestphalus, & Nic. Gallus in quodam libello, quem inscripsit Germanicè, Wachterstimme. Plerique sanè omnes secundũ Apostolicas & propheticas scripturas, ac tria symbola proximam, & vt ita dicam irrefragabilem authoritatem ei tribuunt. Videtur tamẽ ea iam passim obsolescere, vel eo sanè argumẽto, quòd eius fabricatores aliam pòst ediderunt, Tridẽtino Concilio offerendam: Eamq; non iam Augustanã, verũ Saxonicarum ecclesiarum appellarunt: Quemadmodum & ij, qui ad Rhenum & Necharũ accolunt, suã, quæ nomine ducis Virtembergẽsis edita est. Et dãnat eam, Augustanã inquã, erroris ipse adstipulator, imò assertor eius Tilemannus Heshusius. Porro rigidi Lutherani Phil. Melanchtonẽ pro Sacramentario, Stãcarus etiã pro Ariano damnat: & antichristũ Septentrionis, & perturbatorem totius Christianismi appellat. Gallus autem Adiaphorismum eius, vitulo ab Aarone Hebræis excitato comparat, & longã errorũ ac Idololatriarũ telã secũ trahere asserit. Illyricus verò dãnat eum pro apostata Lutheri, & adulteratore Augustanæ Confessionis: Quin etiam anathema

Saxonicarum ecclesiarum confessio.
De Melãch tone aliorũ iudicium.
Stãc. in col lat. doctrinæ Arij & Philippi, et de Trinit. & mediat. ad Caluin.
Nic. Gallus in Themate depraua tio. Aug. Confeß. Adiaphorista.
Illyr. in lib. Bericht.

thema eum, perinde ac Ethnicum & publicanum pronunciauit, & omnes Adiaphoristas. Sic enim sectatores eius Vitembergenses, & Lypsenses appellat: Qui vicissim eũ & socios eius damnant. Ipse autem Melanchton cùm vbiquitatem corporis Christi damnat (quod quidem facit ad Fridericum palatinum Rheni scribens) Brentium suum damnat, qui eam contra Bullingerum adstruit: Damnat & Lutherum, & Brentium, & Virtẽbergensem cõfessionem, & Smalcaldicos articulos, & confessionem Augustanam, & seipsum denique, cùm in eodem responso Bremenses & Hesshusium nominatim damnat, quemadmodũ paulò pòst ostendam. Porrò Vrbanus Regius Formulas cautè ac citra scandalum loquendi de præcipuis Christianæ doctrinæ locis conscripsit. In quo quid aliud agit, quàm pseudeuangelicorum istorum plerorunq; omnium doctrinam, atque temeritatẽ in nouandis nõ modo verbis, verumetiã dogmatibus taxat? Mitto nostratium, ab externis quibusdã erronibus & exulibus dementatorũ, detestãda inter ipsos dissidia, eousque progressa, vt se inuicem pro hæreticis & Mahometanis condemnent: Et nonnullos ex ijs pro impijs, ac trium deorum cultoribus damnet non solũ Stancarus, verumetiã cõmunis eorũ magister Cal-

Adiaphoristæ. *De Brentio Melanchtone vbiquitatem corporis Christi damnante.* *nis iudicijs.* *Vrb. Regij formulæ cautè loquendi.* *Polonicorũ euangelistarũ dissidijs.* *Stanc. de Trinit. & mediat.*

Caluinus: Cuius eos iam puder, pigetq;. Nec immerito: Cũ ille eos suis vestigijs paulò lõgius progressos, & intempestiue fortasse mysteria sua enũciantes, arroganter dãnarit. Nec ignorant ij, quale & quantum incendium ille per Theodorũ Bezã & alios emissarios suos his aliquot annis exuscitarit in Gallijs, & q eum perstringat Ochinus in dialogis suis, dũ præmonet, cauendum esse, ne quis in illis suis reformatis ecclesijs existat nouus Antichristus. Franciscus quidem Balduinus, & ipse discipulus eius paulò ante, apertè queritur, de impotenti dominatu eius ac tyrannide. Valentinus quoque Gentilis eum significat, cũ queritur de nonnullis, qui ferro & igni disputant. Nec multo post apertius monet cultores eius, vt agnoscant illum hominem esse, neque id omne spiritum esse, quod ab illo scribitur, vel dicitur, & agitur: denique quod errare possit. Et paulò pòst addit. Quod si qui, vt Caluini famæ consulant, reiecto Dei verbo ex hominum decretis sententiam ferent, vel ex hac hora de ea sententia tam quam iniqua, & in verum Deum contumeliosa ad vere liberum & Oecomenicum Concilium appello. Sic ille de Caluino. Notatq; in prothesibus permultos errores eius.

Caluin. in admon. ad fratres Polon.

Calui. cum Beza Galliæ turbator.

De Caluino aliorum sententia.

Gentilis in Confes. de Trinit. & in prothes.

In censura piarum ecclesiarum.

Quod

Quod Blandrata itidem se fecisse profitetur, teste Petro Martyre. Et vicissim autem vterque ab eo reprehenditur. Gentilis etiam ad abiurandum adactus est. Ita videlicet temerarij scrutatores Maiestatis, opprimuntur à gloria. Stancarus verò negat scire Calvinum quid scribat, aut de quibus affirmet: monetque omnes, vt caueant sibi à libris eius; præsertim in articulis de Trinitate, incarnatione, mediatore, de sacramento baptismatis, de præscientia & prædestinatione: quia falsam & prauam doctrinam habent. Et mox annotat horribilem, & Gentilianæ non dissimilem eius blasphemiam, quòd Christus cùm tradiderit regnũ Deo & patri, quẽadmodum ait Paulus, subiectus ipsi erit secundum vtranque naturam. Addit mox & alterã è sexto capite: quam nunc prætermitto. Idemque de ipso Caluino & Geneuensibus, atque Tigurinis scribit: Eos esse publicos & manifestos hæreticos, qui nõ semel Polonos nostros scriptis & epistolis suis seduxerint: cõuincitq; eos esse Ariãos, Apollinaristas, Eutychianos, Thimotheianos, Acephalos, Theodosianos, Gaianitas, Origenianos, Donatistas. Quin & ἄθεους eos vocat. Vicissim aũt ipse ab ijs iuxta ac protestantibus pro Nesto-

Petrus Martyr.

Stanc. de Trinit. & mediat.

Cal. instit. ca. 7. & 6.

Stanc. de Geneuen. & Tigurinis iudiciũ.

De Stancaro.

Caluin. in epist. ad fratres Polon.

riano habetur,& pelli iubetur. Ipse quidē cū protestantibus & Lutheranis & Sacramentarijs se sentire nō dissimulat. Quasi verò inter illos cōueniat. Reuerà & ipse discipulos post se cupit adducere. Sed non satis feliciter hic ei cadit conatus. Præter,quòd nuper tamē luculentam pecuniam,in aliosvsus legatā,auertisse fertur. Valentinus autem Gentilis cū suis Trideitis queritur,se ab ijs,qui ipsi manifeste patrem & filium negent, defectionis à Christi fide reum pronunciari. Ij sunt autem Caluiniani: De quibus audiuisti dudum & Stancari iudicium huic non dissimile. Mitto eos, qui se partim Augustanā,partim Boēmicā Picardorum siue Valdensiū fratrum confessionem sequi profitētur,& neque cum superioribus,neque intet se consentiunt. A V. Quid? Non consentiunt Lutherani & protestātes & Sacramentarij cum Picardis? Equidē vidi cōfessionem Picardicā Vergerij opera editā,cū præfixis Lutheri, Melanchtonis, Buceri,& Volfgangi Musculi testimonijs, quibus ea,& fides eorum probatur. M O N. Vidi & ego. De ritibus modo ac cæremonijs, & de cælibatu eos à se discrepare ij testātur,impudētissimè mētientes. Certè isti ipsi testes siue laudatores nō de ritib.[a] & cæremonijs,verū,vt mittmat alia dogmata,de sacramento Eucharistię &

Iudicium piarū eccle siarum.

De Caluiniānis.

Gent. in Confes. de Trin.

Picardorū cum protestantibus & sacramentarijs dissensio.

& præsentia corporis & sanguinis Christi, in ea inter se dissentiunt, seque mutuo damnant pro hæreticis, cum Musculus & Bucerus sint sacramentarij. In quo dogmate Picardi si non ab vtrisq; ab alterutris quidem dissentiant, & itidē pro hæreticis habeantur necesse est: Sed ostendā ego fortasse paulò pòst, in alijs quoque dogmatibus eos ab vtrisque dissentire.

Abominantur certe vtrorunq;, & vtrique illi vicissim ipsorum communionē. Husitæ verò siue Calixtini omnes hos detestātur, & ab ijs vicissim damnantur, quemadmodū prius etiā indicaui. Mitto Anabaptistas, qui & ipsi ad nos peruaserunt: cū quibus & Picardi olim de rebaptizando se congruisse non diffitentur. Et nunc Tridēitæ nonnulli paruulorū baptisma reijciunt, quemadmodū testatur supe rius à me citata collatio. Nec dissimulanter id profitetur quidam ad Vilnense conuenticulum scribens: Cui posteaquam medici mediā pertuderunt venam, vt verbis poetæ eiusdem vtar, quater vel quinquies mutauit religionē, è catholico primū protestans, seu Confessionis Augustanæ, deinde Melanchtonianus, postea Caluinianus, mox Seruetianus & Gentilista factus: nescio, an etiam Picardus, Anabaptista, & Suencfeldianus. Et vereor ne mox etiam Mahometanus vnà cū sectatoribus suis

Husitæ.

Confess. Picard. Collat. in Bezezin.

Iuuenal.

Post insaniam quidam factus inconstans Theologus

Hæreſes Polonicæ.

fiat. Chriſtiani quidem certè ij vel ſuo ipſorũ iudicio non ſunt, quamdiu non rebaptizãtur, quãdoquidẽ infantes, & nõ credentes baptizati ſunt: Quale baptizma ipſi cõtra Chriſti doctrinã & irritũ eſſe aſſeuerãt. Huc accedit, ꝙ cum Iudæis & Mahometanis, imò impudẽtius ijs & cõtumelioſius in diuinitate trinitatẽ perſonarũ, & vnitatem eſſentiæ blaſphemãt.

Recutiti. Lithuanici

Quin & circumciſionem & ſabbatũ nonnulli iam amplectuntur in Lithuania. Nec deſunt, qui diuinitatẽ Chriſti cum humanitate confundũt, & ſpiritum ſanctũ, imò Chriſtũ etiam dei filium deum eſſe negant, aut certè diuerſa ab eo diuinitate præditum eſſe volunt. Quod quid eſt aliud, quàm duos vel tres Deos profiteri? Quod neque Turcæ, neque Tatari faciunt. Sacramentum quoque Euchariſtiæ ſeu cœnam dominicam non ſolum præſentia Chriſti cum Sacramentarijs, verumetiam omni virtute prorſus euacuant. Denique Enthuſiaſmum etiam amplectuntur, iubentesque probare quemlibet, ſpiritus & interpretationes ſcripturæ, an ex Deo ſint, arbitrariam cuilibet fidem ſiue opinionem de dogmatibus relinquunt. Quæ omnia notauit quidem tabella vernaculo noſtro ſermone nuper in lucem edita. Mirum eſt autẽ, quod homo Caluinianus, & antea, ni fallor

Lu-

Lutheranus, damnat probationem illam spirituũ, à suis præceptoribus exortam ac defẽsam. In summa. Polonia cum totos ferè sex centos annos firmissimum fuisset orthodoxæ religionis domicilium & propugnaculũ, non ita pridem sentina hæreseon facta, plena iam est, proh dolor, tetrarum & abominandarum sectarum, quæ partim aliunde ad nos maxima licentia inuehuntur, partim apud nos ipsos nascuntur nouæ quotidie. Plerique enim omnes diabolici isti ministri è Caluini iuxta ac æmuli eius Gentilis sententia negant à Luhero omnem religionis, ac dogmatum veritatem perspectam, aut patefactam esse, grauesque in eius doctrina errores notant, ac tantum non hæreseos eum damnant. Neque Melanchtonem in omnibus recipiunt. Ac ne ipsum quidem Caluinum. Imò sicut viperæ perruptis matrum vteris nasci feruntur, sic ei præceptores hosce suos immaniter, sed non immerito tamẽ proscindũt: Tantũ abest, vt eos verè pro prophetis & veritatis vindicibus habeant. Vulgo tamẽ eos plerunq; pro talibus celebrant, eorúq; authoritate arbitratu suo abutũtur, quo facilius in animos imperitorũ influant, & quòd timeãt turbã; cùm omnes habeãt illos sicut prophetas, vt vtar verbis Euangelicis. Re vera autem

Polonia sentina hæreseon.

Gent. in Confes. de Trin.

De Lutheri Trinitariorum & Caluiniano. rũ iudiciũ

tē pleriq; ita se gerūt omnino, vt Hebrei quo-
Iud.17. dam tempore, de quibus sic habet liber Iudi-
cum: In diebus illis nō erat Rex in Israel: Sed
vnusquisque, quod sibi rectū videbatur, hoc
faciebat. Quin ex professo iam nonnulli ma-
gistratus è Republ. tollere videntur, noua sibi
iudicia & peculiares iudices instituentes. Et
Stultitia cuiusdam insignis. est in ore multorū, quid nuper quidā nō ob-
scuro loco natus, nec ipse obscurus, apud ad-
scriptitios & subditos suos egerit, cū plebeio
vestitu in mediū eorū processisset. Quid au
tem expectamus aliud, quàm vt Zisca quispiā
Zisca & Beza. apud nos quoq;, sicut apud Boēmos ante cē-
tum annos: aut Beza, sicut apud Gallos nuper
exoriatur, deque ijs, qui cum parēre sibi quā-
uis acerbè dominantibus alios velint, ipsi su-
periorum & magistratuū publicorum, eccle-
siasticorum iuxta ac profanorum authoritatē
nauci non faciunt, condigna sumat supplicia:
Idque externis & profugis incitantibus, qui
de corijs nostris, tanquam asininis domi no-
stræ, pro nefas, inter se ludunt. Eos enim qua-
si arietes, sequi nostratibus istis pseudeuan-
gelicis pecoribus libet. Quanquam nonnul-
li iam se etiam magistros profiteri audent, &
alienis inuentis tanquam proprijs gloriātur.
Huiusmodi igitur est istorum vestrorū pro-
phetarum & euangelistarum consensus inter
ipsos.

ipsos. Verùm attingã nonnulla capita, & verba disidentium recitabo, quò certius perspicias, vera esse, quæ dico. Anabaptistæ docent, Cùm Christus nos liberauerit, nemini nos oportere obedire, neque opus esse Magistratibus, principibus, legibus, aut institutis vllis. Idem Luthèrus aliquando sensit, sicut mane audiuisti, nec eum releuat Smidelini neq; interpretatio, neq; negatio in re luce meridiana clariore. At Melanchton, & Confessio Augustana peruersum id esse iudicat, ac verbo Dei repugnans. Osiandrum damnant Vitembergẽses, imò & Flacius, quòd impiè doceat, nos essentiali iustitia Dei iustos esse, & fieri. Tuetur Brentius cum suis Tubingẽsibus, vel in futura vita dũtaxat id verum esse affirmãs. Negat Iacobus Andreæ Smidelinus, id eũ sentire. Ipse autẽ Osiander Lutheri etiã scriptis dogma suum tuetur, ac discipulos eius damnatores suos refutans, quatuordecim diuersas inter se de iustificatione hominis opiniones ipsorum enumerat. Ipsi quoque pugnare se inter se, vel de eo, quid nomine iustificationis cõprehendatur, non dissimulãt, quem admodum attigi superius, quando corruptelas doctrinæ à nõnullis annotatas perstrinxi. Audet tamen & hoc negare, & non tam Fridericum Staphylũ, quàm suos gregales (si modo de-

Euangelicorum inter ipsos dissidia.
De Magistratibus.
Luth. de potestate seculari.
Iac. Andr. in respons. ad Staph.
Conf. Aug.
Phil. in Apol.
De iustificatione.
Brentius ad Ducem Virtembergenſ.
De fide & operibus.
Smidelinus

definitum habet homo, qui nam sui sint) vanitatis, mendacijque arguere. Lutherus quidem sola fide in Christum vult hominem iustificari & saluari sine bonis operibus, ita scribens: Fides sola per se ipsa absque omni opere, sicut hîc diuinum verbum sonat, facit nos saluos. Et opera nihil omninò ad iustitiã aut salutem iuuant. In eandem sententiam audiuisti, quæ superius aliunde recitaui, sesquipedalia eius verba. Contrarium scribit Georgius Maior, asserens bona quoque opera esse necessaria ad iustitiam & salutem, ita vt sine ijs nemo prorsus saluari possit: eoque nomine damnantur ab Illyrico ac cæteris Lutheranis rigidioribus. Equibus Nicol. Amsdorffius etiam pernicioſa ea esse ad salutem asseuerare non veretur, quemadmodum superius dixi. Smidelinus tamen homo verecundus, falso id ipsi impingi contendit. Habet autem adstipulatores Maior Philippum Melanchtonem & Vitembergenses Adiaphoristas. Ipse quidem non modo Philippi, sed ipsius etiam Lutheri scriptis sese tuetur. Idem sentire videtur Zuinglius & Bucerus. Buceri verba statim recitabo. Zuinglij verò hæc sunt: Iacobus ergo cùm fidem iustificare negat, non de vera illa, viua,

Luth. in epistola ad Gal. & in ferm. de Ascens.

Idem in glosa editi imperij.

Georg. Maior in epist. ad Rom. & con. Illyr.

Nic. Amsdorf.

Zuing. in epist. Iac. cap. 2.

ua, & efficaci, perque caritatem operante fide intelligit: Cui in scripturis iustificatio & salus tribuitur. Idem sentiunt Ochinus. Deum pro suis quenque factis remunerari affirmans; & Smidelinus improbè Lutheri verborũ sensum peruertens. Nec diuersum Martinus Kemnicius societatis Iesu, ac Theologię scholasticæ, atque adeò Tridentini quoque concilij diabolus. Nec aliter Picardi, negãtes salutem adipisci quenquam posse, qui in fide adulta ætate viuens, mandata Dei reliquerit. Et audent isti asseuerare, in cæremonijs tantum Picardos à se dissentire. Porro de meritis bonorum operum Melanchton ita scribit in locis communibus. Sciendum est etiam, præmia proposita esse bonis operibus: Seu, bona opera mereri præmia corporalia, & spiritualia. Etsi autem in hac vita etiam multa præmia sanctis redduntur, tamen quia ecclesia subiecta est cruci, præcipua præmia reddũtur post hanc vitam, sicut Christus inquit: Merces vestra copiosa est in cœlis. Nec diuersum sentit Bucerus, ad Episcopum Abrincensem ita scribens. Non negamus etiam operibus nos iustificari, sicut ait Iacobus. Quia reddit vnicuique Deus secundum opera sua. Et rursus: Non auditores legis iusti sunt

Och. dia. 11
Iac. Andr. in Respons. ad Staph.
Kemnicius in lib. Theol. Iesuit.
Picard. excusatio.
Vlad. regi missa.
De meritis bonorum operum.
Phil. in loc. com.
Bucerus ad Episcopum Abrinc.

sunt apud Deum, sed factores iustificabũtur. Et paulò inferius. De meritis etiãnũ est apud nos controuersia: Nulli enim ea reijcimus, ne vitæ quidem æternæ. Nec diuersum sentit, ad patres Concilij Tridentini scribens. In eandẽ sententiam & Confessio Augustana, & Georgius maior. Picardi efflant simul calidũ & frigidum. Ad extremum tamen ita concludunt: Opera ergo in fide facta placent deo, & suam mercedem habent in hac vita, & in futura. Nõ sic autẽ Caluinus: Non sic Lutherus: Qui affirmat, etiam iustum in omni opere bono peccare. Et statim subdit: Bonum opus quantũuis bene operatum, secundum misericordiã Dei veniale peccatum est, secundum autem iudicium Dei, mortale. Peccatum autem quale cunque, nemini dubium est, nullum habere bonum meritum, neque præmium. Idem Lutherus in quodam sermone: Quanto sceleratior es, tanto citius tibi Deus gratiã infundit. Tametsi Smidelinus ipsum quoque Lutherũ non diffitetur aliquãdo sensisse, Bona opera esse meritoria vitę æternę. Sed excusat, nõ probat: næuulum scilicet in formoso corpore, Dc Augustini erratis persimilẽ. Animaduertisne autem, recipi à Zuinglio & Bucero D. Iacobi epistolam? Quam Lutherus eiecit è canone. Sed &à Caluino hoc eius iudicium re-

Cõf. Aug. Georg. Maior de operib. Picard. Confes. Cal. instit. Luth. in assert. art. 31.

Luth. ser. de piscatione Petri. Iac. Andr. in respons. ad Staph.

De D. Iacobi epist.

pre

rehẽditur. De mediatore Geneuẽses inquit: Stãcar. à Tigurinis magnopere dissentiũt, nec inter se cõueniũt. Imò, ꝙ magis est, & Tigurini à seipsis, & Geneuẽses à seipsis dissentiũt, & manifestè sibijpsis aduersãtur: quod est pœna peccati. Vtrosque etiam à Melanchtone dissidere in ea ipsa doctrina ostẽdit & redarguit, licet omnes hi Christum secundum vtranq; naturam mediatorem esse velint. Melanchtõ enim, inquit ille, facit filiũ dei statim ab initio post lapsum Adæ constitutum & factũ fuisse mediatorẽ, imò cùm præuideret lapsum Adæ, proiecisse se ad pedes patris, (nota blasphemiam) & intercessisse pro genere humano: vt in locis eius cõmunibus habetur. Caluinus cum Geneuẽsibus suis, rerũ adhuc omnium statu integro, hoc est, etiã ante lapsum angelorum iuxtà ac hominum: Bullingerus autẽ cum cæteris Tigurinis post incarnationem demum, hominum tantum mediatorem eum esse ait secundum vtranque naturã, & vsque ad finem seculi futurum: In quo omnes consentiunt. At Pinciouiani ab alijs dissẽtientes, æternum sine principio & fine officiũ mediatoris esse volunt. In hanc sententiã Stãcarus, licet pluribus verbis. Addit idẽ, Pinciouinianorum tres esse sectas. Quosdã enim

Stanc. de Trinit. & mediat. Tigurinorum & Geneuensium dissensio.

De mediatore opiniones diuersæ.

Pinciouianorum secta.

sentire, filiũ dei secundũ diuinitatẽ, secundquã sit etiã mediator, ęqualẽ esse patri: Alios, minorẽ esse patre: Vtrunq; non sine absurditate, horrẽdaq; blasphemia (cum vtris autem sentiat Caluinus, an verò cũ vtrisq;, nõ satis liquet) Alios verò in cæteris cũ ipsis consentiẽtes, doctrinã eorũ de mediatore neutiquã approbare. De Eucharistia, Cõfessio Augustana, Virtẽbergensis, Flacius, Vestphalus, Brentius, & omnes Lutherani cũ suo Luthero affirmãt cõuenienter nobiscũ, atq; adeò cum toto cũ scripturæ, tũ orthodoxorũ omniũ choro, vt ait Iob Gastus, in ea esse, distribui, & mãducari verè & realiter, vt in colloquio Ratisbonensi conuênit, carnẽ, & sanguinẽ Christi, dãnãtq;, quemadmodũ ostendi dudũ, sacramẽtarios diuersum sentientes, & vt ait Ioã. Pomeranus, se & scripturã miserè torquentes. Tametsi in eo & ipsi dissentiunt à nobis, quod cũ nos credamus panem & vinũ verbo dei in carnẽ & sanguinẽ Christi trãsmutari, illi asserunt, fide & vsu vtentium effici, vt hæc ibi adsint, manente nihilominus pane & vino. Sed hîc iã ipsi inter se dissentiunt. Nonnulli enim sub pane & vino, alij cũ pane & vino, & quidẽ cõsecrato, vt habet Ratisbonẽsis ipsorum responsio; alij verò in his, pane inquã & vino, corpus & sanguinẽ Christi accipi contẽdunt Quidã aũt pane & vino, abiectis, tanquã su-

De Eucharistia.

Iob. Gast. in præfa. ad Paschasiũ.

Phil. Mel. in actis Ratisc. coll.

Pomer. in Confes. Luth. contra artic. Louanien.

Ratisb. colloq.

ſpectis præpoſitionibus: vt Brẽtius, & hiſt. eccleſ. Magdeburg. Extãt ea de re libelli, & diſputatio Heidelb. habita. Recitaui & ego dudũ iudiciũ quorundã, quo dãnãtur ij, qui negãt panẽ & vinũ in Euchariſtia, ſiue cœna, verè eſſe corpus, & ſanguinẽ Chriſti, quod ſemper Lutherus cũ ſuis, & Smalcaldicũ conuenticulũ affirmarit. Quæ opinio & ipſa diuerſa eſſe videtur à ſuperioribus. Quin ea, ni fallor, diuerſos illos, quos dudũ memoraui, loquẽdi modos peperit, dũ homines pertinaces in omnia ſe vertũt, quo impanationis ſuę, à ſacramẽtarijs mirificè exagitatæ, & prę trãſubſtantiatione, quã eccleſia catholica profitetur, dãnatæ, abſurditatẽ euitẽt, & trãſubſtãtiationis tamẽ dogma ſemel à ſe reiectũ nõ recipiant: Quanquã Luth. in defẽſione de Miſſa priuata, & de Euchariſtia ſcribẽs, & Cõfeſsio Auguſtana an. 1530. edita, eiuſq; apologia à Philippo Melãch. primũ edita, admittũt, imò defendũt etiã tranſmutationẽ, ſiue trãſubſtãtiationẽ, quamlibet cauilletur Iacobus Andreæ Smidelinus. Cõfeſsio quidem hæc verba tũc habuit. Docent, quòd verum corpus & ſanguis Chriſti veraciter ſub ſpeciebus panis & vini in cœna præſens ſit. Nota ſub ſpeciebus. Lutherus etiã apertius: In ſacramento altaris, inquit, non eſt panis & vinũ, ſed ſpecies panis

Brent. in Luc. omil. 50.
Hiſt. eccl. Magdeb. cent. 1. lib. 1. cap. 10.
Tranſubſtantiatio apud Lutheranos.
Luth. de Miſſa priuata.
Smidel. contra Staph.
Cõf. Aug. 1530.

& vini, nempe panis in verum & naturale corpus Christi, & vinũ in verũ & naturalẽ sanguinem Christi trãsmutatur. Philippus verò citat Græcum canonem, & Bulgariũ scriptorẽ, vt ipsi videtur, non stultum, diserte asserentem, panem nõ tantum figurã esse, sed verè in carnem mutari. Sic igitur olim Lutherus & Melanchton, & Confessio Augustana. Cæterum discipulus eorũ Tilemannus Heshusius pro impio errore dogma id notat in apologia, Lutherum silentio præteriens, Quiritatur tamẽ, non bono consilio euidentissimum illud argumentum de præsentia corporis Christi ex ea sublatũ esse. Verùm hæc, inquit, non ideò dico, vt apologię authoritatem conuellã. Seò tamen humana scripta à diuinis oracullis discerni volo: Et vt error in publica cõfessione admissus (nota quæso) reuocandus, ita vera & pia sententia retinenda erat. Est igitur error aliquis admissus in vestra cõfessione Heshusi? Cur igitur indignatur Vestphalus, p humana doctrina eam haberi? Cur autẽ Vitẽberga, Rostochijq; in eã iuratur? Sed pergamus. Bucerus de præsẽtia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia siue cœna idem sentire affirmat Lutheranos cũ Zuinglianis. Negat Iochimus Vestphalus nõ sine Lutheri ipsius testimonio, monẽtus Francofortenses, vt à Zuinglia-

Luth. in serm. de Eucharistiæ sacramen.

Mel. in apolog. primæ edit.

Apologia Confessionis notata. Heshusius.

Buc. in defens. ad Abrinc. Episcopum & aduers. Monasterienf. Vestph. cõtra Caluin.

glianis sibi cauerent. Negat & Caluinus, mediumque sese inter eos interposuit. Sed ab vtrisque reprobata est eius sententia. Quæ aduersarijs inter se Caluinicum Tigurinis & cũ Vestphalo scriptis demonstrantur. Bucerus autem ipse modò ait, modò negat, in Eucharistiæ sacramento verè esse corpus & sanguinem Christi: Et scribit de eo Lutherus, videri ei rem leuiculam eam dissensiunculam, ac citra fidei iacturam. Et acclamãs addit: Sic sensit ille spiritus, fidem non perdi, si Christus mendax in verbis suis blasphemetur. Blasphemus est igitur Luthero Bucerus. Et tamen cõuênit inter eos de re tota siue Marpurgi, siue Vitembergæ. De Theodori Bezæ impietate dicam postea. Caluinus verò cum Lasco, & alijs sectatoribus suis, ab alijs sacramentarijs dissentiens, asseuerat, verè tamen in cœna domini mãducari corpus Christi, & bibi sanguinem eius, quamuis ille cum eo ipso corpore & sanguine suo in cœlis ad dexterã patris sedeat, nec sit in eo sacramento: Sed anima id fieri, & fide, non ore etiam, quemadmodum volunt nobiscum Lutherani. Tametsi magna pars eorũ, & ipse in primis Philippus Melãchton ad Caluini castra transiuit, cùm Lutheranorum suorum, vt dixi dudum, tum ipsius Caluini testimonio. Nec ipse Philippus id ad ex-

Caluin. in defens. contra Vestfa.

Caluin. in summa cõ

feß. de Sacram. Melanchtõ ad Fridericum Palatinũ Rheni.

extremũ dissimulauit in responso ad Friderícũ Palatinũ Rheni: quod post mortẽ eius Heidelbergę editũ est. Vbi reiectis Bremẽsium & Heshusij opinionib. quorũ hic verũ, illi substãtiale corpus Christi esse panẽ in cœna affirmãt, ipse κοινωνίαν, id est, vt ipsemet interpretatur, hoc quo fit cõsociatio cũ corpore Christi, esse ait. Quasi nõ Theodorus quoq; Beza, vt paulò pòst ostendam, aliquando, imò ipse quoque Philippus cũ idolo suo Luhero (cui se turpiter seruiuisse alibi cõfitetur) & cũ Brẽtio, & Smalcaldico cõuenticulo prius idem senserit, quod etiã nuperum Luneburgense conuenticulum attestatur: Aut quasi non ita cum Bucero quoque ipsis Vitembergæ conuenerit, quòd panis verum & substantiale sit corpus Christi, & vinũ itidem sanguis. Quod autem Caluinus de Philippo, idem affirmat Lascus de Saxonicis ecclesijs. Quanquam negat, & refellere id conatur Ioachimus Vestphalus. Nec vterque fortasse mentitur, si alter de superiore, alter de inferiore Saxonia scribere intelligatur. Non enim idem eę sentiunt in hac parte, partim Philippi, partim contrariam Illyrici & Lunenburgensis conuenticuli doctrinam amplectentes. Quin & ipsam adeò Confessionem Augustanam non alienam esse à sua sententia scribit idem Caluinus.

Philip. in apol. conf. Brent. in Luc. omil. 50. Lunenbur. conuent. In actis. Cõcil. Vitemberg. Vestphalus aduers. mẽdac. Ioan. Lasci. Saxonum dissidium inter ipsos. Aug. Confessionis varietas.

uinus. Neq; sanè caret ea graui suspicione, vt
est edita anno à natali Christi 1540. In qua 1540.
cũ initio fuissẽt verba illa, quæ dudũ recitaui 1530.
de speciebus panis & vini, primũ anno sequẽ 1531.
ti 1531. ita mutata sunt: Quòd corpus & san-
guis Christi verè adsint, & distribuãtur vescẽ
tibus in cœna domini. Deinde pro ijs quoq; 1540.
anno 1540. hæc sunt suppositа: Quòd cum
pane & vino verè exhibeatur corpus & san-
guis Christi vescentibus in cœna domini. Et
auget suspicionem, atque adeò dolum coar-
guit adiuncta ei nuper in subscriptione Num *Numberg.*
burgẽsi, cuius dudũ memini, prefatio. Itaq; li *conuenticu*
benter eam editionẽ amplectũtur Argẽtinen *lum.*
ses & Heidelbergẽses, reiectis Lutheri & Brẽ *Lutheri &*
tij catechismis, & Caluiniani: Insectantur aũt *Brentij ca-*
Ratisbonenses, Luneburgẽses, & alij multi. *techismi ro*
Notantq; cũ hãc, tũ alias quasdã corruptelas *iecti.*
eius, quemadmodum dudum ostendi. Vide
autem mihi, quid de ijs scribat Nic. Amsdor-
fius: Sunt qui dicant se cõdemnare Zuinglia-
nismũ. Sed Brẽtij præfatio in librum D. Iaco-
bi Goppingensis longè aliud testatur. Hîc
enim Lutherum piæ memoriæ & Zuinglium,
si dijs placet, conciliare moliuntur: quod pla-
nè impossibile est. Quis enim vnquã audiuit
cõtradictoria posse redigi in concordiã? Hæc
ille. Picardi nõ satis explicãt sententiã suam.

Picard. Confeſs. art. 6. et 13

In ſexto enim articulo ſuæ Confeſsionis cum ſacramentarijs ſentire videtur. In tredecimo verò ita ſcribunt: Corde credendum, & ore confitendum docent: panem cœnæ dominicæ verum corpus Chriſti eſſe, quod pro nobis traditum eſt: calicemque verũ ſanguinẽ eius, qui pro nobis in remiſsionem peccatorũ fuſus eſt. Nec multo pòſt queruntur: Se hac de cauſa papiſmi fæces, & beſtiæ charactere ſignatos, idoiolatras, antichriſtos, & Meretricẽ illam, de qua Ioannes in Apocalypſi, à fanaticis ſpiritibus appellari. Alibi verò profitentur: Vbicunque dignus ſacerdos (nota) cum fido populo iuxta ſenſum & Chriſti intentionem, eccleſiæque ordinationem, orationem faciẽs huiuſmodi verbis, videlicet, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus: teſtificatus fuerit, confeſtim præſens panis eſt corpus Chriſti in mortem pro nobis oblatum, &c. Videntur ne ij tibi hic vel de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia cum ſacramẽtarijs, vel quod id verbis Chriſti, non vſu ſumentium fiat, cũ Lutheranis conſentire? Et tamen vtrique de ceremonijs tantum à ſe eos diſſentire aſſeuerant. Diſſentiunt autem ij ab vtriſque etiã de remiſsione peccatorũ, quòd ea remitti à miniſtris eccleſiæ confitẽtur: Illi vtrique negãt. Sed ad alia tranſeamus. De adorãda quoque vel

Picard. excuſatio Vlad. regi oblata.

Picard. Confeſs. De remiſſione peccatorum.

vel non adoranda Eucharistia dissentiunt vestri Euangelici inter se. Ac Schola quidē Regiomontana, Brentius, & Confessio Virtembergensis asserunt, (& inter vos aulicos sunt, qui ita sentiūt) Quamuis in ea verum sit corpus Christi, non esse tamen adorandum, neq; vllo honore prósequendum. Lutherus verò, Carolostadius, Bucerus, Oecolampadius cōtrà asserunt, esse colendam, & adorandā. Sed præstat ipsos audire, quo planius appareant fuci, quos facit suis Smidelinus. Sic igitur scribit Lutherus in eo libello, cui nomen dedit de adoratione Eucharistiæ: Qui non credit corpus & sanguinem Christi in Eucharistia esse, merito illa, nec corporaliter, nec spiritualiter adorat. Qui verò credit, haud potest sine piaculo Christo suū denegare honorem. Et alibi: Christus in sacramento adorari debet, sicut est in propria sua essentia naturaliter & personaliter in cœlo ad dexteram paternæ gloriæ. Bucerus autem, De sacramento corporis & sanguinis Christi probe conuenit, eo scilicet, dum, vt dominus ipse instituit, exhibetur, verum adesse, & exhiberi corpus, verumque sanguinem domini nostri Iesu Christi: Quem etiam, dum hoc mysterium, ita vt dominus ipse instituit, administratur, adorandum in spiritu & veritate assentimur, & a-

De adoratione corporis Christi.

In respons. ad Staph. Luth. de ador. Eucha.

In cath. an. 1522.

Bucer. de actis coll. Ratisbon.

doramus ipsi. Es igitur idololatra, vel artolatra Bucere Smidelino vnà cum magistro & cliente ipsius Luthero. Sunt & Picardi. Et ipsi autem Picardi se à fanaticis spiritibus idololatras appellari queruntur, vt audiuisti dudum. Neminẽ ij sanè ad communionẽ admittunt, nisi se erga sacramentũ hoc reuerenter gerat: Et procumbentibus in genua id distribuunt, quemadmodũ testatur eorũ confessio. Tametsi vetustior Vladislao regi exhibita, disertè adorationem Eucharistiæ damnat. Sic & illi, itidem ac tui euangelici, omni veto doctrinæ circumferuntur. Carolostadius verò, sicuti citat Ioãnes Hoffmeisterus, inter alia sic ea de re scribit. Nec sequitur: Christus panem & vinum, vel carnem & sanguinem suũ non ideo cõmendauit nobis, vt illa veneremur, & adoremus, ergo non debetur illis vel veneratio, vel adoratio. Certè debemus, & oportet nos illa in summa veneratione habere. Et alibi. Possum dicere, sicut Thomas, Dominus meus, & Deus meus. Et sicut Centurio: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, &c. Idem scribit sentire Ioachimum Morlinũ Philippus Melanchton in responso ad Fridericum Palatinum. Quid hæc tibi videntur? AVL. Mira: De Carolostadio præsertim. MON. Nondũ opinor è ru-

Picard. Confess. uaria.

Carolosta. ad Albert. Durer.

Hoffm. in locis conciliat.

Ioach. Morlinus à Philippo damnatus.

è ruderibus Babylonis Berengarianæ eruerat illud ſuum Euangeliũ, quod poſteà ſacramẽtarijs tradidit. Quemadmodum neq; Oecolampadius. Cuius verba ex hoc libello tibi recitabo. Quocirca, inquit, ſimpliciter & abſq; hæſitatione credamus, adeſſe & cõtineri ſub hoc pane verum corpus, ſub vino autem ſanguinem. Sufficiat nobis tantillum notitiæ, quantum ex ſacris literis haurimus: Alioqui in miniſterium fidei intellectus noſter mancipatur. Quomodo is, qui ad dexteram patris reſidet ſuper cœlos, ſit & in altarijs verè præſens, quia nobis impoſsibile cognitu, ne turbemur, ne ſimus fruſtra anxij. Tenet omnipotens ſedem Maieſtatis ſuæ in cœlis, & hîc myſterijs & fidei noſtræ non deeſt. Et vultus mei lineamenta à me non trãſeunt, integra tamen & in multis relucẽt ſpeculis. Qua ratione Baſilius myſterium hoc ἀντίτυπον, hoc eſt, exemplar, ſcitè vocat. Cæterum panis viniq; ſubſtantia an eſſe deſinat (per ſe ſubſiſtẽtibus accidẽtibus, vel per quãtitatẽ) an in corpus Chriſti trãſeat & cõuertatur, an Chriſtum ita cõtineat, vt ſimul adhuc, qd videtur eſſe, ſit, dicíq; debeat panis, nihil ad nos: de eo litigẽt ocioſę ſcholę. Quid ſi ignoramus, quomodo in carnẽ Chriſti panis hic cõuertatur, cũ nõ capimus, quomodo panis com-

Oecol de ſacra. Euch.

communis, quem domi solemus edere, transeat in carnem nostram? Quid si obtusiores sensus nostri, & stupēt, si negetur aboleri substantia, nec detur accidentibus absq; corpore locus & substantia, sed manēte panis substātia, dicatur verè adesse corpus Christi? Quid inquam mirum? Siquidē & ignoramus, quomodo saluis virginalibus claustris editus sit puellus Christus. Aut quomodo obseratis ianuis cùm resurrexisset, ad discipulos sit ingressus. Nihil inquam, ad nos, vtut hæc fieri possint. De Sacramentis rogasse per incredulitatē, quomodo fieri possint, quàm dura responsa mereatur, satis nos admonent exēpl: Nicodemi, non capientis regenerationis mysterium, & Iudæorum corrixantium, quomodo hic nobis potest dare carnem suam ad vescēdum? Nobis angelus satisfaciat, qui sciscitanti Mariæ ait: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Nam & hic constant omnia efficacia virtutis Dei, qui dixit & facta sunt: qui & quæcunq; voluit fecit tam in cœlo, quàm in terra. Ne sit ergo locus curiositati. Esto enim panis, vinumq; sit maximè, nos hîc nihil minus, quàm panem, & vinum quærimus. Non hîc petimus, quod alat, & pascat corpus, sed quod reficiat, & sagi-
net animam. Non hîc curæ nobis visibilia, sed
in

inuisibilia. Quod adoramus, quod esurimus, quod oculis mentis & fide spectamus, nõ minus videt Homerus quispiam oculis captus, quàm Lynceus. Insipiẽtium fuerit hinc inde ab ara ad aram discursare, & tumultuari. Panis ille post consecrationem siue sit, siue non sit triticeus, nobis certè non est triticeus, sed cœlestis: siue fermẽtatus sit, siue infirmentatus, nobis certè ἄζυμον pascha est Christus. Præterimus hic omne, quod altario minister intulit, & in eo solo moramur, & hæremus, quòd cœlitus adest, & spiritus sanctus benedixit & sanctificauit. Qualiscunq; est, nobis duntaxat figuræ & signi vices gerens, verum Christi præsentis corpus velamine quodam obtegit. Non dico figuram, & typum tantum, vt manipulum primitiarum Abel, vt oblationem Melchisedech, vt agnum paschalem, vt manna, panes propositionis, subcinericium Eliæ, & cæteras veteris Testamenti figuras. Absit id blasphemiæ, vt tantũ tribuamus vmbræ, quantum luci & veritati: & figuris illis quantum huic sacrosancto mysterio. Panis enim hic nobis non tantum signat, sed est corpus ipsum domini. Habemus in hoc fidẽ Christo veritati primariæ, quę fallere nequit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Carnem itaque & sanguinẽ Christi

sti adesse & contineri simpliciter fatemur. Quo pacto aũt, nõ exploramus: siquidẽ nec necessarium, nec vtile. Non cuiuis Ozæ prophanis manibus arcam attingere, neque quibusuis propius fumigabundũ montẽ accedere datũ. AVL. Hęc ne scribit Oecolampadius? MON. Id quidem dubiũ nõ est. AVL. Mirum. MON. Nondũ ad imum impietatis barathrum delatus erat: Sed proficiebat etiã tunc Luthero magistro. Nemo enim repente fit summus. AVL. Sic est: Sed perge. MON.

De communione sub una uel utraq; specie.

Quod ad eiusdẽ Eucharistiæ perceptionẽ attinet, nónne in vniuersum oẽs vtriusq; speciei participes fieri cõtenditis? AVL. Verum. Nec aliter fieri debet, aut potest. Ita nanq; docet, ac præcipit verbum Dei, mortẽ nobis interminãs, nisi manducauerimus carnẽ filij hominis, & biberimus sanguinem eius. MON.

Ioan. 6.

Luth. de utraq; specie sacram.

Et tamen Lutherus in eo libello, cui titulum fecit, De vtraq; specie sacramenti, ita scribit. Quod hominibus vtraq; species sacramenti datur, nõ reprehẽdo, neq; reijcio, imò posse seruare hanc consuetudinem: Sed tamen de eo nemo sic debet intelligere, quasi ita fieri oporteat. Et: Si veneris ad aliquem locum, vbi populo Eucharistia sub vna tantùm specie administratur, sis & tu vnica specie cõtentus. Et ad Boëmos scribens: Pulchrum quidẽ

Idem ad Boëmos.

esset,

esset, vtraq; specie Eucharistiæ vti: Et Christus nihil hac de re tanquam necessarium præcepit. Præstaret pacem & vnitatem, quam Christus vbiq; præcepit, sectari, quàm de speciebus sacramenti contendere. Audin quid scribat damnans improbam Calixtinorum & Picardorum contentionẽ. Adhæc in eo libello, quem vocauit declarationem Eucharistię: Non dixi, inquit, neq; consului, neq; est intentio mea, vt vnus, aut aliquot Episcopi propria authoritate alicui incipiant vtranq; speciem porrigere, nisi ita constitueretur, & mandaretur in Concilio generali: Bucerus quoque & Melanchton id ponunt inter adiaphora, & quæ nihil referat, hoc vel illo modo seruari; sicut suilla vesci, vel abstinere, inquit ille. Atque adeò scribit alicubi Lutherus: Si quo casu Cõciliũ statueret, sub vtraq; specie cõmunicandũ esse laicis, se in despectu eius Cõcilij aut vna, aut neutra, nequaquã aũt vtraq; potiri velle, & eos planè anathema habere, quicũq; talis Cõcilij authoritate vtrãq; sumerẽt. Quid ad hęc Iac. Andr. qui cõtendit, Nihil minus fieri, q̃ veri corporis Christi dispẽsationẽ, quãdo altera tantũ specie porrigẽda institutio Christi violatur & laceratur. Sed alia cõtrouersa dogmata persequamur. Cœlibatũ & cõtinẽtię ꝓpositũ in ijs, qui se addixerũt ministe-

Idem in declar. Euch.

Buc. in col. Ratisb. Melãch. in loc. com. et in hypoty. Luth. de formula Missæ.

Smid. in respons. ad Staph.

De voto cõtinentiæ ac cœlibatu.

nisterijs ecclesiasticis, atque adeò in quibus-
uis, qui id vltro amplexi sunt, laudant mag-
Picard. Confes. nopere Picardi, seu Valdenses, affirmantque,
id habere certas promissiones huius vitæ, &
futuræ: Imò præcipiunt id sacerdotibus. At
Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, Bernar-
dinus Ochinus, Lysmaninus, castissimi scili-
cet monachi, & sacerdotes, cum in pleris que
eos admirentur, hoc ferre non possunt. Sed
sicut iam audiuisti, stultum id, nec deo gra
esse, cùm verbis, tum exemplo suo vel capu
proximi asseuerant. Quin istis vestris Euãg
Sacerdotes cælibes Euangelici non ferunt licis nemo satis certus firmusq; trãsfuga, a
idoneus Euangelista habetur, nisi durissim
coniugij compedibus constringatur. Idẽ
delicet factitarũt Apostoli, & suasit Chris
Scribit tamen Melanchton in postrema ed
tione locorum communium ad hunc mod
Mel. in locis com. de castit. de continentia: Qui ad ministeria eccles
stica vocantur, si afficientur ecclesiæ cala
tatibus, si oneris sui magnitudinẽ animo me
tientur, si cogitabunt, quàm difficilis sit exp
catio dogmatum, & gubernatio ecclesiæ, h
curæ ac miseriæ facilè excutient eis cogit
Buc. in ca. 19. Matth. tiones de coniugio. Probat etiam propos
continentiæ Bucerus. Probat & Lutherus al
cubi, quemadmodum dicam postea. De
De Missæ sacrificio. crificio Missæ Lutherus scribit in libello, cu
no

nomẽ dedit, Capita fidei Christianæ: Summã & horrendam esse idololatriam: ex professo contrariam principali articulo fidei, quamuis inter omnes alios cultus idololatricos Papistarum habita sit pro præcipuo, & vtilissimo. Idem, quemadmodũ testatur Erasmus Roterodamus, tãtopere execratus est id, quod Oecolampadius scriptum reliquit: Non esse periculum, si quis missam appellet sacrificiũ, vt mallet decies mori, quàm hoc semel fateri. Nec multo aliter princeps quidã Francofordiæ ad Mœnum nuper, sicut accepi, cũ optimus & ornatissimus princeps Maximilianus, Ferdinandi Imperatoris filius, Rex Rom. crearetur, asseuerabat: Leuius peccare eũ, qui homicidium perpetret, quàm qui missæ interfit: Cui matrona quędã non genere magis, quàm pietate inclyta respondens: At illud, inquit, verbo Dei vetitum est, hoc non item. Rectè adiũxisset ea: Hoc diaboli. Eum enim magistrum suum fuisse in abroganda missa profitetur Lutherus. Attende autem, quàm consentanea Euangelistæ suo Luthero pronunciet Augustana Confessio. Falsò, inquit, accusantur ecclesiæ nostræ, quòd missam aboleant. Retinetur enim missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & vsitatæ cæmonię ferè omnes, pręter quàm quòd Latinis

Luth. in cap. fidei.

Eras. epist. lib. 19.

Oecol. ad Hedion.

Fatuum & impium principis cuiusdam dictum.

Luth. de priuata missa.

Cõf. Aug.

cantionibus admiscétur alicubi Germanic
Quę sunt (quæso) istæ ecclesiæ vestræ? An
eæ, quas Lutherus condidit? Igitur aut falsi
scripsit ille propheta vester, & Elias, aut
eius, & Smidelini decreto idololatræ estis.

Smid. in responsione ad Staph.

eandem sententiã scribit & Bucerus ad E
scopum Abrincensem: Vbi etiam missam a
pellat Sacrificium. Sed libet eius verba re

Buc. in responsione ad Abrin. episcopum.

tare. Hîc exhibentur, inquit, quàm pleni
mè, quæcunque dominus noster Iesus C
stus nobis factus est, & contulit. Itaque ex
in sacra cœna summum sacrificium, non
do laudum, sed ipsius Christi, sed & n
ipsorum. Eius enim, quo se Christus in
pe obtulit, vim & fructum hîc cùm pe
mus, tum fratribus pro modo sacri mi
rij, & arcanę sanctorum inter se societati
municamus: Indeq; non possumus nos
domino non consecrare: idq; benignis
mosynarũ largitionibus minimos domi
diosè testari. Audin q̃ diuersa hæc sint
theri, & concionatorũ istorũ vestrorũ se

Luth. de uerit. corp. et sang. domini in cœna.

tia? Quanquã Lutherus quoq; alicubi ab
sentẽtia nõ abhorret, cũ ita scribit. Ea cõ
nio, quã ethnici habẽt cũ dæmonib. in h
ta est, qp ex his, quę idolis oblata sunt, par
pẽt. Ea verò, quã cũ deo habẽt Christia
mines, in eo, qp de his, quæ illi offerũtur,
rũ, de corpore & sanguine Christi partic

Quid hîc tibi videtur? Nomẽ offerendi, ac totus adeò cõtextus verborũ, an nõ vero sacrificio cõuenit, Lutherũq; vel inconstantiæ & hæreseos, vel idololatriæ manifestè arguit? Et frustra hîc tergiuersantur discipuli eius in colloquio Ratisbon. & in Cõfessione Saxonicarum ecclesiarũ præsultore Philippo Melãchtone, cauillosè torquẽtes nomina sacrificij & oblationis, cũ diffiteri nõ possint, SS. patres & veterẽ ecclesiã ijs vsã esse. Nec minor est inter eos cõtrouersia de inuocatione Sanctorũ in Christo quiescentiũ. Picardi docẽt, vt oẽs homines ad solũ Christũ pro venia & remissione peccatorũ suorũ, pro salute, & alia quauis re impetrãda accedãt. Quibus verbis sanctorũ inuocationẽ, timidiusculè tamẽ, elimiñat. Zuinglius, Melãchtõ, & Brẽtius apertius negãt, sanctos esse inuocãdos. Smidel. ipsaq; adeò Cõfes. Augusť. id quoq; idololatriã esse cẽsẽt, Ochinus doctrinã Papæ. Lutherus vero abusum Antichristi, præcipuo fidei articulo contrariũ, & obscurantẽ cognitionẽ Christi. Cõtrà Oecolãpadius & Bucerus eam non improbãt: quin permittũt etiã. Oecolãpadij verba ea de re recitabo. Sãcti in cœlis sua charitate flagrãtes, non desinũt pro nobis interedere. Quid igitur mali, si hoc petamus, quod credimus deum velle, etiã si nihil tale

Phil. in apol.
log. confes.
& in actis
col. Ratisb.
Conf. Sax.
De inuoc.
sanctorum.
Confes. Picard. art. 6
Zuing. art.
20.
Melancht.
in apolog.
Smid. in re-
spõs. ad Sto-
phylum.
Cõf. Aug.
Ochin. dia-
log. 1.
Luth. in
cap. fidei
Christ.
Buc. ad A-
brinc. Epis.
Oec. in an-
not. orat.
Chrys. in Iu-
uentinum.

præceperit? Quid mali, si commẽdemus patrocinia sanctorum, modò id circumspectè, opportunè, & modicè fiat pro auditorũ qualitate? Id quod agit Chrysostomus, & Nazianzenus quoque in laudibus Cypriani, & obseruant hoc fermè omnes Ecclesiæ, tam Orietis, quàm Occidentis. Ita Oecolampadius. Si omnes fermè Ecclesiæ tam Orientis, quàm Occidentis hoc seruãt, igitur hæretici & falsi Prophetæ sunt, qui diuersum sentiunt: Aut certè idololatra est illis, quos enumeraui superius, non modò Oecolampadius cum omnibus ferè, orientis & occidentis ecclesijs, verumetiam Lutherus. Nam & ipse alcubi, vt postea dicam, sanctorum inuocationem probat. Ni si forte, quod in alijs impium & idololatricũ in Luthero venia dignum est, nec dissimile ijs, quæ retractauit Augustinus, Smidelini scilicet patrocinio. Ijdem Oecolampadius & Bucerus non probant eiusdem Lutheri iudicium, de discrimine legis & euangelij. Sãctorum imagines acerrimè oppugnauit, & expugnauit Zuinglius, & ante eum Carolostadius. Eos hoc nomine durissimè tractauit Lutherus, & sanguinarios, seditiosos, fanaticosque spiritus appellauit. Ferunt & retinent eas etiã discipuli eius Adiaphoristæ, & Vandalicæ, ac maritimę Germanię, & Prussicę ciuitates. Probat

Smid. in responſ. ad Staph. De discrimine legis & euangelij. De imaginibus sanctorum. Luth. in Deut. cap. 7. & in Ioan. Et con. fal. proph.

bat & Bucerus. Non ferunt rigidiores cum Anabaptistis & Sacramentarijs. De Romana ecclesia vide quid scribat Bucer. Ingenuè profitemur, apud veteris ecclesiæ patres Romanam Ecclesiã præ cæteris primatũ obtinuisse, vt quæ cathedram D. Petri habeat, cuiusque Episcopi successores Petri ferè semper habiti sint. Accipimus Confessionem per iugulum hostis erumpentem: Tametsi ferè illud subdole a dictum non oportuit. Caluinus quoque alicubi testatur, itidem veteres vbique magnũ honorẽ Romanæ ecclesiæ detulisse. At illud ei plurimum authoritatis addidisse, quod nõ ita dubijs tẽporibus tumultuata est, vt reliquæ, ac doctrinæ semel traditæ fuit omnibus alijs tenacior. Lutherus autem: Ecclesiam Romanam præ cæteris Ecclesijs à Deo honoratam fuisse non est dubium. Et aliquãto pòst: Quamuis autem iam, heu dolor, Romæ peius agatur, quàm conueniret, tamẽ (audi quæso) nulla causa tam grauis est, aut erit vnquam, qua merito quis se ab illa separare debeat. Imò quanto peius Rom. ecclesia habet, tanto magis illi & accurrendũ & succurrendum fuerit, eiq; magis inhærendum. Nam discessionibus nihil proficies. Adde, quòd Christus propter diabolum deseri non debeat. AVL. Vbi hæc scribit Lutherus? MON.

Bucer. in psal. 115. & ad Rom.

De Roma. ecclesia.

Buc. in præparatorijs ad Concil.

Cal. Instit. cap. 8.

Luth. in exc. quorũ dam artic.

In eo libro cui titulum fecit, Excusatio quorundam articulorum: Quem, vt alia item nonnulla scripta eius, boni illi vindices veritatis discipuli eius, cæteris eius operibus Vitembergæ post mortẽ eius simul editis, non inseruerunt: E multis autem alijs libris multa arbitratu suo expunxerũt atq; mutarunt. Quod factũ alij quidã religiosiores ex eadẽ schola progressi, dissimulandũ sibi esse nõ putãt. Sic igitur ibi scripsit Lutherus. Et tamen ipsemet horũ immemor, plerisque in omnibus ab ea ipsa ecclesia, & à capite & antistite eius papa confidenter sese & alios absq; iusta causa segregat, seq; ipse cũ suis in eo condemnat, q Christum propter diabolum deserat, damnationẽq; sibi ipse acquirit, ordinationi dei resistens. Quod & reliqua protestantium turb itidem facit, dum in Confessione Augustan profitetur, se nihil docere, aut proferre velle quod discrepet vel à scripturis, vel ab ecclesi catholica, vel ab ecclesia Romana, quatenus scriptoribus nota est. Qui nã igitur illi sun qui passim scribunt, loquuntur, pingũt, & fin gunt, Eam esse Babylonem, malorum omni & maxime idololatriæ sentinã, &, vt saluo p dore dicam, meretricem illam, de qua scrib Ioannes in Apocalypsi, quæ miscet homin bus vinum furoris domini? De Eccles

Luth. operum editio Vitember. qualis sit. Amsdorff. Illyricus.

Rom. 13.

Cõf. Aug.

De Eccles.

vni

vniuersè: Lutherus ait, eam esse inuisibilem & spiritualem, & gregem passim dispersum, neque temporum continuationi, neque locorũ, vniuersitati, neq; successioni ordinariæ alligatum, ita vt expungi è Symbolo queat nomen Catholicæ. Idem sentit Brentius, atq; etiam Caluinus. Nec diuersum Philippus, dum articulũ illum symboli apostolici (sanctam ecclesiam catholicam) ita exponit: Credo aliquam esse ecclesiam, &c. Idem autem Philippus alibi affirmat, ecclesiam esse cœtũ visibilem, & externis insignitam signaculis, cuius authoritas sit infallibilis: In Ratisbonensi quidem colloquio nostris concessum est à protestantibus, triplicem authoritatem competere ecclesiæ, nempe testificandi de scripturis, seu discernendi veras à suppositijs: deinde interpretandi eas: postremo cõstituendi iudicia de doctrina, ac de exorientibus cõtrouersijs pronunciãdi. Qualis aũt ea sit authoritas, & qui vsus eius, si inuisibilis est & ignota ecclesia, ego non video. Smidelino libet nos in re tãti momẽti æquiuocatiõe eludere. Hæreticos capitali suppplicio affici, cõtra voluntatẽ Dei esse, ait idẽ Lutherus. Negat Caluinus, idq; & ipse in comburendo Serueto, & Theodorus Beza libro ea de re edito approbauit. Ioach. etiã Vestphalus sceptro Magi-

Luth. con.
Ambr. Catharinm.
Brent. in proleg.
Cal. in Antidoto.
Melancht. in loc. com. & de iudicio Syn.
philip. In actis Ratisb. colloq.
Smid. in responsione con. Staph.
De puniendis hæreticis.
Luth. in assert.
Vestph. cõtra mend.
Ioan. à Lasco.

ſtratuum coërcendos eſſe affirmat, Negatque eſſe Tyrannidem, ſi magiſtratus pſychotyrãnis & ſeductoribus reſiſtat, eosque ſecundũ leges coërceat, & de ſontibus ſumat pœnas. Ochinus hîc more ſuo Platonizat. Nec iniuria. Timuit enim ſibi. Nec fruſtrà: Nam fuga longiore ex Heluetia ad nos vſque conſulere ſibi coactus eſt. Vult tamen & ipſe coërcendos eos eſſe. De pœnitẽtia, ac dolore pro peccatis, ſiue cõtritione, ita ſcribit Lutherus. Contritio maiorem facit hypocritam & peccatorem. In aſſertione etiam, hanc eſſe ſuam opinionem ac doctrinã, affirmat: Perniciosam eſſe ſpeciem doctrinę, docere, quòd homines intuitu pœnæ & præmij contritionem, ſiue dolorem pro peccatis habere debeant. Ita Lutherus. At Picardi docent, Pœnitentiã eſſe, quæ ex peccatorum & iræ diuinæ agnitione naſcitur, quæ per legem Dei dolores & terrorem conſcientiæ incutiat. Norimbergẽſis autem inſtitutio ita præſcribit, quòd parœci primùm de pœnitentia concionari, populumq; ad congruẽtem pœnitentiæ vitam adducere debeant, quemadmodum Chriſtus præcepit, & omnes Prophetæ fecerunt. Ac ne id intelligatur de ſola innouatione vitæ, ſicut Lutherus nonnunquam pœnitentiam interpretatur, paulò pòſt eadem inſtitutio declarat.

Och. fuga.

De pœnitẽtia.

Idem in aſſert. art. 6.

De peccatis. Picard. cõfeſ. art. 5. Inſtit. Norimb.

rat. Pœnitentiam esse contritionem cordis, & dolorem ob admissum peccatũ cum vero gemitu ad remissionem peccatorum, veramq́; vitæ integritatem. Et mox: Parœci debent populo patefacere iram Dei, minasq́ue & pœnas contra abhorrentes à pœnitentia. Idẽ sentit Bernensis Sacramentariorum Synodus. Cuius hæc sunt verba: Pœnitentia est verus quidam & altissimus ob admissa dolor, nostriq́ue fastidium, & displicentia, quæ coniũctam tamen firmam de criminum remissione fiduciam habet. Vrbanus item Regius definit Euangelicam pœnitentiam esse conuersionem peccatoris ad Christũ habentem tres partes, cõtritionem, fidem in Christum, fidei fructus, bona opera. Nec dissentit Augustana Confessio: Quæ etiam fidem partem esse pœnitentiæ asserit, quemadmodum & Picardi: quod Caluinus reprehendit. Probant non solùm contritionem, sed etiam Confessionem peccatorum, quæ fit sacerdoti, Ratisbonen. colloquutores: Probat Smidelinus: Probant & Picardi. Retinent Saxonicæ & Vandalicæ, aliæq́ue maritimæ ciuitates. Ochinus impium stultumq́ue hominum inuentum esse ait Cõfessionem, quemadmodum prius etiã dixi. Alibi verò papæ, hoc est, Antichristi doctrinam. De peccatis Caluinus & Lutherus aiunt,

Bernẽ. Syn. cap. 14.

Vrb. in Catechismo.

Fides an sit pars pœnitentiæ.

Cal. in inst. De Confes. Sacram.

Phil. in act. Ratisb. col. Iac. Andr. in respons. ad Staph. Confes. Picard. art. 5. Ochin. dialog. 1. et 26

Cal. instit. cap. 3.

Luth. in art per Paris. dānatis Idem de libert. Christian.

Omne peccatum per se & suapte natura esse mortale, nullū veniale. Alibi idē Lutherus, solam incredulitatem peccatum esse asseuerat. Et hîc nugatur Smidelinus, vt magistri apertè & simpliciter loquentis nō errorē, sed improbitatē ecclesiasticæ doctrinæ odio inflammatā excuset. Nisi fortè pręuaricādo dānat potius. Melāchton verò facit discrimē inter veniale & mortale peccatū. Lutherus etiā, sicuti paulò antè recitaui, Peccatū Originale negant esse in paruulis Zuinglius, Caluinus, Seruetus. Aiūt Lutherus, Cōfessio Augustana, & Picardica, Authores Centuriarū, & Bucerus. Buceri verba hęc sunt: Credimus peccatū Originale ab Adam nobis innatum esse, & perceptum hæreditario: Esseq; peccatum eiusmodi, vt condemnet omnes homines. Melanchton verò damnari ait eum, qui nomen quidē peccati originis retinuerit, rē verò ipsā sustulerit. Ochinus aiat, an neget, mihi nō liquet. Iudæus quidē eius noui testamēti scripturas non recipit. Legis aūt ac dei ipsius pœnam homini cōmīnantis & irrogātis verbis etiam tueri se potest. Imò ipsius etiā Ochini, omnem efficaciam baptismo detrahētis: De Baptismo institutio Norimbergensis docet, per eū nos ab omni potestate diaboli, peccati, mortis, & inferni liberari, & fieri filios vitę,

Smid. in respons. ad Staph. Melāch. in ca. 8. epist. ad Rō. ult. æditionis. De orig. peccat. Hist. eccl. cēt. 1. ca. 4 Buc. in ca. 5. ad Rom. Melāch. in c. 5. ad Rō. Ochin. dialog. 1. De Baptis. & aliorum sacrament. efficacia. Nori. inst.

hære-

hæredesq; omniũ bonorũ dei. Nec diuersum ab ea docere videtur Cõfessio August. asserens, quòd per Baptismum offeratur gratia Dei. Nec dissentit Melanchton, sententias patrũ super negocio Eucharistiæ colligens. Neque Picardi, dũ per verbũ & sacramẽta bonos fructus in nos, vt salui fiamus, deriuari ac emanare confitentur. Vrbanus quoq; Rẽgius ita scribit: Deus in baptismate abluit & remittit nobis peccata omnia. Nõ enim est signũ inane & efficax. Nã significat & operatur magna. Et: Datur enim spiritus sãctus in baptismate, qui sanctificat baptizatũ, & ex filio irę facit filium gratiæ, & carnẽ cũ cõcupiscentijs crucifigit per omnẽ vitã. Lutherus quid de eo sentiat, dicã posteà. Cæterũ Caluinus, Bucerus, Lascus, Ochinus, & oẽs, ni fallor, sacramentarij, & Anabaptistæ in cõtraria sunt sententia. Quòd baptismus nudũ sit signũ, vel testificatio quædã, hominẽ sanguine Christi ablutum esse à peccatis, neq; vllã habeat efficaciam, vel gratiæ submin istrationẽ, & qd infãtes Christianis parentibus orti, sine baptismo vitã & salutem adipiscantur. Vnde consequitur, eos baptizari nõ debere, cũ fidẽ non habeãt, neq; vllã è baptismo vtilitatẽ percipiãt. Luth. quidẽ cũ alijs protestantibus baptizari eos oportere affirmat, quia credãt, fortasse in somnis, quan-

Cõf. Aug.
Melãch. de sententijs patrum.
picard.
Confeß. art. 6.
Vrb. in catechis.
Caluin. in antidoto et Instit.
Buc in Matth.
Och. dial. 27.
De Baptismo infantium.

quando aërem labellis fugunt. Videtur tamẽ
Ochin. dialog. 27. & Ochinus nonnullam baptismo virtutẽ attribuere. Eam verò pendere ait à Dei benig-
Picard. Cõfes. art. 11. nitate, & fide eius, qui baptizatur. Nec diuersum Picardi sentire videntur, quando negant sacramenta conferre gratiam sine bono motu vtentis. Quod quid est aliud, quàm gratiã Dei fidei & operi hominis alligare: Quod a-
De abrenũciatione & sponsione susceptorũ pud istos ingens est piaculum. Idem Ochinus stultam esse asserit abrenunciationem Satanæ, quæ fit in baptismo. Quam pleræque ta-
De ritibus baptismi. Vitemb. & Luneburg. instit. men protestantium ecclesiæ vnà cum exorcismo probant, ac retinent: Sicut & sponsionẽ susceptorum pro infantibus: quam Ochinus idem irridet. Quomodo autẽ secundũ istos vestros peccatũ remittatur ac deleatur in baptismo, & tamen maneat nihilominus in baptizatis, quamuis demõstret Smidelinus, ego assequi nõ possum. De numero autem sacra-
De numero sacramentorum. mentorum quàm variè & inconstãter loquũtur? Alij namq; septẽ, alij quatuor, alij tria, alij duo tantùm enumerãt, & ijdem nunc plura, nunc pauciora. Alicubi Lutherus vnicũ esse
Luth. de capt. Bab. Idem in instit. vult, si iuxta scripturam loquendum sit. Quo verbo non magis alios, quasi contra scripturã loquentes, quàm seipsum condemnat. Ipsemet enim Eucharistiam quoque siue cœnam domini ferè semper, aliquãdo & pœnitentiã,

non-

nonnunquam & confirmationem, & extremam vnctionem, & ordinem, & matrimoniũ, vult esse sacramenta à Christo vel Apostolis instituta, & in ecclesia antiquitùs vsitata. Amiculus quidem eius Philippus, cùm initio duo fixisset (quemadmodum et Caluinus sancit, & Confessio Saxonica) adiecit posteà & ipse pœnitẽtiam: deinde & ordinem. Quòd si recudisset adhuc locos suos, restituisset (spero) nobis & reliqua tria, vel Picardis authoribus, quorũ ipsis etiam verbis non raro vtitur. Fabricatores etiam centuriarum tria statuunt. Neq; hic proficit quicquam æquiuocatione sua Smidelinus, quam viderit ipse quàm rectè impingat suis in docendo, vbi perspicuitas ac certitudo maxime requiritur. De eo an Deus sit causa peccati, Melanchton in annotationibus super Epistolã Pauli ad Rom. primæ æditionis ita scribit: Certum est, omnia à Deo fieri, siue bona, siue mala. Dicimus autẽ Deum non solũ permittere creaturis, vt operentur, sed ipsummet omnia propriè operari. Quemadmodũ igitur confitemur, vocationem Pauli fuisse proprium opus Dei, ita & adulterium Dauidis, & fœuitia Manlij, atque etiã proditio Iudæ, proprium opus Dei fuit. Deus enim omnia in omnibus operatur principaliter & effectiuè. Et Lutherus in assertione:

Philip. in loc. com. anni 1522. Idẽ in Apolog. an. 31. Cal. in inst. cap. 4. Confess. Saxon. Picard. excus. Vlad. regi exhibita. Hist. eccles. cent. 1. lib. 1. cap. 4. Smid. in respons. ad Staph. An deus sit causa peccati. Phil. in ep. ad Rom. primæ editionis. Art. 36.

ne: Quomodo potest homo sese ad bonũ prę parare, cùm nec in potestate eius sit suas vias malas facere? Nã & mala opera in impijs Deus operatur. Quod quidẽ Caluinus etiamnum pertinaciter asseuerat. Aduersatur aũt his Cõfessio Augustana, & Institutio Norimberg. Quæ excipit peccatũ, asserẽs id solũ à Deo nõ proficisci. Notat Caluini portentosàm in hoc dogmate vesaniam discipulus quidam eius, siue is est Castellio, siue quis alius. Reprobãt & Argentinẽses in suo Syncretismo, siue cõsensu 1563. facto, dogma præceptorũ suorum de præscientia, & prædestinatione Dei, quasi ea tollat liberũ arbitriũ, & necessitatẽ actionibus humanis afferat. Institutio quoq; Norimberg. cũ præcipit Parœcis, vt populũ adhortẽtur, vt secundũ doctrinã dei viuat, innuit hominẽ habere liberũ arbitriũ boni & mali faciẽdi, & ab eo se abstinẽdi. Apertè autem Bucerus id adstruit, Episcopo Abrincensi respondens; & in caput nonum ad Rom. scribens. In eadem sententia videtur esse magna pars protestantium cum Philippo Melanchtone. Illyricus quidem & Heshusius cum Luneburgensi conciliabulo id ipsis inter cæteras corruptelas impingunt, & Synergistas eos appellant hoc nomine. Smidelinus & hîc nescit, quo se vertat, neque expedit apertissimã

Cal. in inst. fiedi. Cõf. Aug. Instit. Norimberg. De libero arbitrio.

Buc. ad Abrin. Epis. & in 9. ca. ad Rom. Heshus. de seruo arbitrio. Smid. in responsi. ad Staph.

non

non modo horum inter ipsos, verumetiã ipsius Melanchtonis, seipsum damnantis, antilogiam. Scribit enim Melanchton: Mendaciũ esse horribile, & furorem Manichæorum negare, hominem esse liberi arbitrij: cùm prius & ipse negasset, idq; pro expresso verbo Dei prodidisset. Eadẽ Norimb. institutio fatetur noua lege siue Euangelio præcepta dei cõtineri. Melãchton verò scribit, Christũ nõ venisse, vt hominibus legẽ aliquã ferret. Et alibi. Euangelium nihil præcipit. Tametsi alibi Melanchton idem omnia præcepta Euangelica mandati vim habere asserit. Lutherus contrà, cum alibi, tum in libello de libertate Christiana, asseuerat, hominem Christianum liberum esse ab omni legis obseruatione, & bonis operibus: quòd deus hęc ei neque præceperit, neque vetuerit. A quo non abludit illud, quod scribunt compilatores ac deprauatores historię ecclesiasticę Magdeburgenses: Ita videlicet abrogatam esse legem moralem omnem, vt damnare & accusare ea nos, propter impletionem Christi, nequeat. Quibus verbis vtrisq; tollitur refugiũ Smidelini ad æquiuocationẽ: Quemadmodũ alibi sæpe ab Illyrico iuxta ac Luthero illud alterũ à dicto secundũ quid ad dictum simpliciter. Et tamen isti tales Sophistæ nos Sophistas appel-

Phil. in loc. com. & in ep. ad Rom. postr. edit. De præceptis & lege Euang. Melancht. super Ioan. Luth. de libert. Christi.

Hist. eccles. cent. 1. lib. 1. cap. 4.

Sophistica Lutheranorũ refugia.

pellant, ipsi vocari volunt euangelici, & euangelij verbiq; Dei vindices, & à vobis pro prophetis & viris Dei preciosis habentur. Mitto multa alia, in quibus ij diuersa inter se, atque adeò contraria sentiunt, ne sim longior. Ex his enim, quę recensui, satis cernere est, qualis sit inter eos cõsensio. Nec sanè omnia eorum scripta legere potui, nec omnia, quæ legi, memoria tenere possum. AVL. Imò ego miror, tam multa te ex ipsis memoriter recitare potuisse. MON. Crebris vestrorũ. insectationibus adactus, hæc vndecunque potui, collegi, vt in promptu haberem, quo vos retunderem. Sed ad rem redeamus. Non solũ autem alius ab alio dissentit, verumetiã vnusquisque secũ ipse pugnat, sicut iam cœpi ostendere. An enim semel Melanchton locos suos communes, commentarios in epistolã ad Romanos, apologiã Augustanæ Confessionis, atque adeò ipsam Confessionem mutauit? Confer autem ea scripta inter ipsa: Confer & id, quod de Interim, ac de adiaphoris scripsit, deprehẽdes manifestè, quàm sint inter se diuersa & pugnantia: Et quidem de maximis rebus: Velut de fato, & libero hominis arbitrio: de iustificatione & iustitia nostra: de fide: de sacramento Eucharistiæ: de peccatorũ paritate & imparitate: de dispositione seu præ-

Hæretici secum ipse singuli pugnant. Melanchtonis inconstantia.

præparatione ad gratiã: de numero, vsu, & virtute sacramentorum: de Ecclesia Christi: de authoritate, & iurisdictione Ecclesiastica: de meritis & necessitate bonorum operum ad salutem: denique de diuinitate filij dei, & spiritus sancti. In quo detestabilem eius impietatem & inscitiam Stancarus palàm traducit. Notarunt etiam ex ijs quædã Nicolaus Gallus, & Mathias Flacius. Cõmemoraui & ego dudum nonnulla. Caluini contradictiones à Georgio Blandrata expectamus, quas innumeras se ex operibus eius collegisse, & in lucem editurũ esse, ni cõponeretur inter ipsos controuersia de quibusdã dogmatibus, apud Pet. Martyrũ professus est. Stancarus etiam asserit, eũ perpetuo sibi ipsi antitheses scribere, & redarguit ipse quasdam. Theodori Bezæ, qui dudũ fax ciuilis & parricidialis belli in Gallia, nuper Caluino in Cathedra castisisimus & innocẽtiss. scilicet sacerdos successit, leuitatem & varietatem notat Michael Fabricius, siue is est Franciscus Balduinus, cùm in alijs dogmatibus, tum in eo, quod est de Eucharistia. Et apud Ottonem Henricum quidem palatinũ Rheni eum suo ac publico non modo Allobrogum, sed & Heluetiorum nomine professum esse. In eo sacramento credere se, verum & reale & substãtiale corpus

Stanc. de Trinit. & mediat ad Caluin. Cal. cõtradictiones. Pet. Mart. ad Lactant. Regnonum in censura piar. eccl. Stancar. de Trinit & mediat. Responsad Cal. & Bezam per Fr. Bald. Bezæ uarietas & improbitas.

& sanguinẽ Christi, verè, realiter & substãtialiter adesse & sumi, offeriq; etiã tam indignis, quàm dignis. Nõ multò post aũt eũ cũ Ioachimũ Hãburgẽsem concionatorẽ oppugnaret, negasse aliã esse in cœna domini corporis & sanguinis domini cõmunicationem, q̃ in baptismo, in cõcione, in lectione sacrę scripturę, & in priuata meditatione, quoties mens fidelis ad Christum assurgit. Viden' quo impietatis tandem euasit ille Caluini mystes. Quanquam ne prius quidẽ aliter senserat: Sed fallendorum Germanorum causa simularat. Quod ipsemet confessus est, vt Tigurinis satisfaceret, à quibus ementitæ legationis reus agebatur. Quàm vellem, idem facerent Poloni nostri: Quorum legationem etiam ementitus est. Nisi fortè, quod à tribus quatuor've Polonis mandatum est, rectè & euangelio isti conuenienter à Polonis, quasi vniuersis mandatum esse dici potest. Sed ad rem redeo. Picardi quàm pugnẽt secum ipsi, non difficile est animaduertere, si quis Cõfessiones ipsorũ nouas & veteres, & excusationem Vladislao regi Boëmorũ exhibitã inter se cõferat. Brẽtius post mortẽ Lutheri nõ explicat Lutheranus ne sit, an Zuinglian. Idẽ iudicium de doctrina religiõis (rẽ scilicet minimi momẽti) nũc ad prophanos principes defert, nũc ad promiscuã multitudinẽ, nunc ad singulos.

Picardorũ inconstãtia

Brentij leuitas

nunc Deo reseruat, cùm priùs vnà cum cæteris protestantibus & Confessionistis ad Episcopos id pertinere professus esset. Bucerus aliquando cum Sacramentarijs contra Lutherũ, aliquãdo cum Luthero cõtra ipsos vna eademq; de re sentit: quod superius etiã attigi. AVL. Memini. MON. Conscripsit Ioannes Eckius librum contra institutionem Norimbergen: vbi multa profert, in quibus non modo cum Luthero & Melanchtone, verumetiam secum ipsa pugnat. Quàm multa autẽ cernere licet in Saxonicis, & maritimis, atque alijs compluribus Germaniæ ciuitatibus circa cultum diuinũ & vsum sacramentorũ vel recẽs instituta, vel ex antiquis ecclesię catholicæ moribus & institutis repetita, quæ prius perinde ac Sathanæ inuenta erant abolita. Quid Augustana Confessio, qua nihil sanctius esse debuit, quandoquidem iuratur in eã, an non diuersa nunc est ab ea, quæ initio Carolo imperatori, imperijq; ordinibus in comitijs an. Christi 1530. exhibita est? Ingens certè extitit inter ipsos eius authores & professores disidium de sensu eius, & definitis ea dogmatibus, ità vt in colloquio Vormaciæ, anno 1557. instituto se inuicem ab ea, tãquam alienos, ac deprauatores excluderent, & ad extremum alteri ab alteris eo nomine,

Bucceri uarietas.

Norimbergen. institutio sibi ipsi non constans.

Ioã. Eckius

Saxonicarũ ecclesiarũ inconstantia.

Aug. Cõf. uaria.

Vorma. colloq. secum dum.

ipsius etiã colloquij communione excluderentur. Extant etiã scripta Nic. Galli, & Matthiæ Illyrici in deprauatores Confessionis Augustanæ publicè ædita. Sed ij coacti sunt ad extremum vnà cum Vigando & Heshusio Saxonia ac Turingia excedere propter gratiã aduersariorũ, & metum seditionis bellique ciuilis. Talium enim fructuum ferax est vestrum istud Euãgelium. Conuenerũt quidem ante aliquot annos Numburgi in Turingia nonnulli principes atq; theologi, quèad modũ ipsi se nominãt, & rem inter se, quamuis reluctãtibus quibusdã, sic transegerunt, vt Confessioni Augustanæ anno domini 1540. editæ subscriberent. Sed ea subscriptio mirificè exagitatur ab alijs eiusdem Confessionis vindicibus, ostẽdentibus, eã conciliationem esse ambiguã, & insidiosam, propterea quòd Confessio illa diuersa sit à ptima, verbis quibusdã, in quibus permultum sit momẽti, partim mutatis, partim sublatis, adiecta etiã præfatione subdola: Quodque eius prætextu errores quidã siue corruptelæ graues de præcipuis dogmatib. religionis, & sectæ, cũ verbo Dei, doctrina Lutheri, & Smalcaldicis articulis (verbis eorum vtor) pugnãtes suppullulẽt, ac defendantur. Enumeratque Luneburgẽse conciliabulum (suppresso tamen nomine) eas

Gallus in Wachters stimme & in themate depra uatæ Aug. Confes.

Numburg. Aug. Confessionis subscriptio

Aug. Cõf. corruptelæ à Lutheranis annotatæ.

Luneburg. concil.

eas corruptelas: Nempe, de Eucharistia, quòd in ea panis, & vinum non sint verè corpus & sanguis Christi, quodque ea, corpus inquã, & sanguis Christi vno, & eodẽ tempore diuersis in locis non sint, neque ore manducentur, sed fide secundũ efficaciã, non secundũ substantiã, neq; omnino ab impijs & malis Christianis sumãtur. Quæ dogmata Zuingliana semper à Luthero, & omnibus eius assecl is, quoad ille vixit, oppugnata, & reprobata sint. Vnde apparet Marpurgensem Lutheranorũ cum Sacramentarijs Syncretismum, & si quis alius extat inter eos, verè Cretensem fuisse: Et qui eum fecerunt, quique receperunt, eos, secuudum Bernardi Ochini iustã sententiã non Christi, sed Satanæ ecclesiã esse, & Christum cum Petro negasse, & cum Iuda prodidisse. Notãt etiã ijdem rigidiores Lutherani in ea ipsa Confess. Augustana deprauationẽ doctrinæ. De iustificatione, quòd ea videlicet non solum remissionem peccatorum, verum etiã viuificationem, siue innouationem hominis cõplectatur: Qui articulus post mortem Lutheri demùm à primarijs Lutheranorum Ecclesiarum doctoribus ita ex professo assertus ac deprauatus sit. Quibus verbis Melanchton cum suis perstringitur. Idem quòd in iustificatione nõ sola fides, verum etiã spes

1. *Marpurg. Syncre.*

Och. dial.

2.

3.

& charitas, & bona opera requirantur, sine
4. quibus nemo saluari possit. De pœnitētia itē
& cōtritione, ꝙ ea nō ex lege Mosaica, sed ex
Euāgelio hominibus prędicāda sit, quēadmo
5. dum doceāt Antinomi. De ceremonijs, & A-
diaphoris, quod admitti pacis causa possint,
6. ac tolerari. De libero arbitrio, ꝙ id coopere-
tur spiritui sancto in regeneratione hominis.
Cui errori fenestrā aperiāt, quemadmodū il-
li ipsi cēsores asserūt, verba illa è primæ Con-
fessionis articulo quinto, postea sublata: Spi-
ritus sanctus efficit fidē, vbi & quādo deo vi-
7. sum est, in ijs, qui audiūt Euangelion. Postre-
mo de Iurisdictione papæ, & Episcoporū, ꝙ
ea rectè feratur à pijs, & ecclesijs istorū pseu-
deuāgelicis. Id aūt perinde esse impium, ac si
quis Sathanā ipsum pro Deo adoret. Hec igi-
tur talia, itemq; alia eiusdēmodi germina è
noua illa Augustanæ Confessionis subscri-
ptione propagari quæruntur illi libellis de ex
Austriaci. in lucē editis. Et tamē tā crassi sunt quidā po-
puli, vt adhuc à magistratu suo contendant,
publice permitti sibi eam ipsam talē, tāq; cō-
trouersam, & exoletam propemodum Con-
fessionem, & magno exitium sibi redimant,
absq; eo sanè è propinquo impendens. Liber
hîc scitum quiddam narrare, quod in Germa-
nia nuper accidisse audiui. Cū princeps qui-
dam

dam pulsis contra leges publicas, quibus con dendis ipse quoq; affuerat, sacerdotibus & monachis, direptisq; atq; euersis etiã alicubi templis, formam cultus, quemadmodum ipsi videbatur, diuini, religionisq; peculiarẽ insti tuisset, & ad eã seruandã ministros Ecclesia rum iureiurando adigeret, potestatem tamẽ addendi, minuendi, & mutandi sibi reseruaret, fertur quispiam ex ijs detrectasse iusiurãdum, nisi ij, qui scriptũ illud edidissent, priores iurarẽt, se id mutaturos nõ esse. Videturne tibi temeraria & impudẽs istorũ leuitas & incõstatia scitè satis esse redarguta? Georgius quidẽ Saxoniæ Dux, regis nostri affinis, pius & nõ sine honoris præfatione nominandus princeps, de Vitẽbergẽsib. vicinis suis dicere solitus esse fertur: Scire se, quam fidẽ ij profiteantur in præsens: quã verò professuri sint sequenti anno, nescire. Sed mittamus turbã. Ipsum gregis ducem Lutherum excutiamus. Scribit is in libro de abroganda missa, quòd quicquid citra scripturæ authoritatem fit, id manifestum sit, ab ipso Sathana profectum esse. Et mox: Quod sine verbo dei ordinatur, non ab Ecclesia, sed à Synagoga Satanæ sub nomine Ecclesię ordinatur. Atq; hic est communis aries omnium istorum quamuis dissidentium inter se pseudeuangelicorum,

Pseudeuangelicorum leuitas & inconstãtia

Georg. dux Saxon. dictum.

Lutheri cõtraria dogmata.

De authoritate script. Luth. de abrog. missa.

quo mœnia ciuitatis dei supra montem posita, hoc est, iustituta ecclesiæ catholicæ verberant. Ipsemet autem Lutherus contra Anabaptistas baptismum paruulorũ, quẽ illi tollunt, eò quòd nulla mentio de eo fit in sacra scriptura, moribus tantum & institutis Ecclesiæ defendit. Qua autem scriptura fretus idem contendit, credere paruulos, peccatum in baptismo non deleri, & multa alia? De concilijs idem Lutherus in quodã sermone. Hoc, inquit, Euangelium subuertit funditus & radicitus papatum, & omnia Cõcilia. Quia non tenemur seruare, quòd papa præcipit, & homines constituerunt. Nec diuersum ab eo sentiũt, cum Brẽtius, & alij multi Lutherani iuxta ac Sacramẽtarij & Anabaptistæ, tũ Tridentinæ nostrates, præsertim quoties priscorũ conciliorũ decretis premũtur. Cęterum alibi non idem sentit idẽ Lutherus, ita scribens: Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, vt propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem Cõciliorũ decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus. Alibi etiam primis quatuor cõcilijs parem authoritatem tribuit cum quatuor euangelijs. Tilemannus etiam Heshusius, verè, quemadmodum ipse se appellat, exul Christi, hoc est, à Christo in præ-

Idem ad duos pleb. de anabapt.

De conciliorum authoritate.

Idem in ser. Attendite à falsis prophetis.

Idem cont. Zuing. in Oecolamp.

Idem de eccles. & cõcil.

Heshus. de seruo arbitrio.

fa-

fatione libri de seruo arbitrio: Non est enim, inquit, alia vel expeditior, vel certior ratio cõponendi dissidia de dogmatibus, reprimendi impetum fanaticarum opinionum, & restituendi concordiã docentium, quàm per pias & legitimas synodos. Stãcarus etiã, quẽadmodum prius dixi, Vias antiquas, ad quas nos Deus per Prophetã reuocat, vult esse doctrinas in vniuersalibus concilijs regiſtratas (hoc enim verbo vtitur) & receptas. De iuuocatione sanctorum, qui hinc decesserũt, quid sentiat Lutherus & Melanchton, & Augusta-na Confessio, dixi superius. Idem autem Lutherus alibi, vbi se purgat de quibusdã, quæ ipsi impingebãtur, scribit; Cum vniuersa Ecclesia Christi se tenere & sentire, sanctos à nobis esse venerandos, & inuocandos. Quis enim, inquit, potest contradicere ijs, quæ in hãc diem miraculosè, & manifestè fiunt apud reliquias & sepulchra sanctorum? Nec diuersum sentit in decem præcepta scribens. In eo verè libello, quem scripsit de prẹparatione ad mortem: In necessitate mortis, inquit, nõ debet homo cessare Mariã, Angelos, Apostolos, & alios sanctos, quos coluit, inuocare, vt ij pro se deum orent. Nec aliter sentiunt & faciunt Boẽmi, Husitæ. Idem Lutherus ad Louanienses ita scribit: Nunquam negaui, nos

De inuocatione sanctorum.

In declar. quorundã art.

Idem in decem præcepta.

Idem de præpar. ad mor.

De intercessione sanctorum.

Idem ad Louanien.

meritis & precibus sanctorũ, quamuis valdè imperfectis, adiuuari. Audiuisti aũt paulò antè eũ dicere, quod neq; ipse sibi quisquã aliquid mereri posit. Et hic eũ Augustini exemplo excusat Smidel. vbi de Dei & idolorũ, vt ipse iudicat, cultu agitur? Scilicet ludus iocusque istis est idololatria: Et nihilominus prophetę & spiritu dei pleni sunt, qui eã docẽt & tuẽtur. Devotis sacerdotũ, & monachorũ, scribit idẽ in serm. de Epiph. Ea liberè sine peccato & conscientia posse ac debere omitti, vel irrita fieri. Et alibi: Cœlibatũ & virginitatem nugas esse, & mera Satanæ mẽdacia. In decalogo aũt ait: Sacrilegiũ esse ea temerare, vbi iã non tantum castitas polluatur, sed etiam quæ Deo soli fuit oblata, tollatur, & sanctum prophanetur. De Missa audiuisti, quàm probrosè loquatur: Nec scio an etiam impudentius alibi. Perlege autẽ quod scribit de captiuitate Babylonica, vbi ait: Missam esse partem Euangelij, imò summam & compendium Euangelij: ità vt sermones quoque vulgares nihil aliud esse debeant, quàm expositiones missæ, hoc est, illustrationes promissionis diuinæ huius testamenti. Hoc, inquit, erat fidẽ docere, & verè Ecclesiam ædificare. Et in formula Missæ: Nam hoc negare non possumus, Missas & canonem panis & vini, ritum esse a Chri-

De uotis. Luth. ser. de Epiph.

Idem in decalog.

De Missa et applicatione eius.

Idem ser. 2. post Inuocauit, & cõt. Zuin.

Idem in formul Missæ.

Christo diuinitùs institutum. Et in resolutione: Plus prodest Missa, si per sacerdotem vni applicetur, quàm si sine applicatione pro omnibus celebretur. Alibi verò contrà, applicationē huiusmodi abusum esse asserit. Laudat eam etiam in sermone de nouo testamento, seu de missa priuata. Atque in hoc articulo verecundior est, quàm vsquam alibi Smidelinus. Confitetur enim κυτίλογίαν Melanchtonis iuxta ac Lutheri: sed cum Augustini retractatis erratis componit. De communione corporis Christi, sub vna vel vtraque specie iam prius audiuisti. De pœnitentia quoque audiuisti, quid Lutherus idem sentiat. Attende autem quid scribat in Visitatione Saxonica: Multi nunc loquuntur de sola remissione peccatorum: de pœnitentia verò parum, vel nihil. Tametsi sine pœnitentia nulla fit remissio peccatorum, neque potest intelligi remissio peccatorum sine pœnitentia. Quod si quis aliter existimet, ait eum esse errorem supra omnes errores. Atq; vt intelligas, quid sibi velit nomine pœnitentiæ, in resolutione idem ita scribit: Quòd dominus & magister noster Iesus Christus voluit, vt tota vita fidelium esset pœnitētia. Nec solum de interiore hoc intelligi voluit.

Idem in resolut. conc. 26.

Idem de missa priuata.

Smid. in responsione ad Staph.

De pœnitētia & satisfactione pro peccatis.

Idem in Visitatione Saxonica.

Idem in resolut. cōcl. 1

voluit: Imò interior nihil est, nisi exterior varias carnis mortificationes operetur. Vnde sequitur, vt illę tres partes satisfactionis, ieiunium, oratio, eleemosyna, sint partes pœnitentiæ Euangelicæ. Complectitur autem ieiuniũ omnes castigationes corporis: oratio omnes exercitationes animæ, meditando, legendo, audiendo, orando: Eleemosina omne obsequium erga proximum, ut ita per ieiuniũ sibi ipsi seruiat, per orationem Deo, per eleemosinam autem proximo: ut per primum uincat concupiscentiam carnis, sobrieq́; & castè uiuat: per secundum superbiam vitæ, uiuatq́; in timore Dei: per tertium concupiscentiam oculorũ, & iustè uiuat in hoc seculo. Laudat idem uetustissima cõcilia, quòd rectè statuerunt modum pœnitendi & satisfaciendi pro peccatis: itemq́; sanctam matrem Ecclesiam, quòd pio affectu manum domini præuentura castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrãt in flagella Dei. At alibi ipse omnem satisfactionem tollit, impiũ esse dogma asserens. Quod Philippus quoq; facit. De Romana Ecclesia audiuisti dudum, quomodo doceat idem Lutherus in declaratione quorundam articulorum. Attẽdisti´ne autẽ, quàm fuerit eorum immemor in eo libello, cui titulum dedit, Capita fidei Christianæ, & de

Idem in assert.

Melãch. in apol. Conf. De Rom. Eccles.

Luth. in de clar. quorundã art. Idẽ in cap. fidei Christianæ.

de captiuitate Babylonica? Quæ iam superius recensui. De papa & authoritate eius, & eccle siastica, omnino nemo potuit cõtumelioſius scribere, quàm scripsit Lutherus multis in locis: Et adstipulantur ei Gualterus & Bullinge rus, & in vniuersum omnes istius multicipitis pseudeuangeliçæ hydræ libri, conciones, sermones, parietes, atque picturæ: Nimirũ eum esse idolum, seruum Satanę, seductorem, antichristum, hominem peccati, filiũ perditionis, abominationem desolationis, quam vidit Daniel propheta stantem in loco sancto. Neque quidquã est, quamuis pudendi & auditu visuque horrendi probri, quod nõ aceruatim in munus iuxta ac personam eius mendacissi mè plerunque congeratur. Vide autem quid scribat idem ipse Lutherus in Resolutione ad Leonem papam: Beatissime pater, prostratũ me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus, quæ sum, & habeo: Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Et in eodem libro: Mani festum est, quòd ad remissionem pœnarũ & casuum sola sufficit potestas papæ. Quando ergo sacerdotali officio excommunicat, absoluit, ordinat, deordinat, statuit, abrogat, præcipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur,

Idẽ in cap. Babyl.

De papæ authoritate & Eccle siast. potestate.

Luth. in re solut.

Ibidẽ conclus. 61.

tatur, in his omnibus agit virtute istius verbi Quodcunque solueris, &c. Sed hæc eadē fi de, quā multa alia, Vitēbergensis editio refe cuit. Non itē illa, quæ sequuntur conclusion

Ibidē concluſ. 69.

69. Authoritati papali in omnibus cum reu rentia cedendum est. Qui enim potestati re sistit, resistit Dei ordinationi. Qui autē De resistunt, ipsi sibi damnationem acquirun Et dominus ipse: Qui vos spernit, me sper nit. Igitur licet in rebus exiguis, nihilo tam minus, quàm in magnis, authoritati cedēdū Hinc illud etiam venit, quòd etsi papa ferre iniustas sententias, timendæ tamen sunt. E

De indulgē tijs.

concluſ. 71. quod rursus resectum est. Qui contra veritatem Apostolicarum veniarū lo

Ibidē concluſ. 71.

quitur, sit ille Anathema, & maledictus. Quia etsi res parua sit veniarum largitio, tamē cō tra potestatem superbè agit, qui contradixe rit. Ideò meritò maledicetur. Ecce & de In dulgentijs habes, quid aliquādo senserit, lō gè diuersum ab eo, quod postea sensit. Ana

Ib. cōcl. 86

thema est igitur ipse sibi. Iam Cōcluſ. 86. Nō

Id. in decal.

est nostrū, inquit, iudicare, voluntatem papę,

De magiſt. Eccleſiaſt.

sed tantūmodo ferre, etiam si quando fuerit iniquissima. In Decalogū aūt scribēs, & in ser

Idē ſer. de excommunicat.

mone de excōmunicatione docet, Magnū ho norē habendū esse magistratibus Eccleſiasti cis, etiāsi mali ac tyrāni sint, sicut & Christus

Annæ,

Annæ,& Caiphæ honorē habuit,propterea q̄ Ecclesiastica sit potestas Christi. Et ob id ne nefandissimis quidē actionib. eorū cōmouerī nos oportere,quo minus alacriter susc ipiamus,aut certè reuerēter excusemus, quæ ij faciūt. Quia tēpus nostrū valdè periculosū est. Propterea prudenter nos agere oportere, ne propter personas,potestatē quoq; vilipēdamus:Imò popter potestatē siue magistratū,vt vilissimis etiā personis honorem habeamus. Vides, quid hic in genere de magistratibus Ecclesiasticis scribat. Non ignoras autē,quid alibi scribat:& audiuisti à me superius, quæ scripserit contra statū Ecclesiasticum. AVL. Sed hęc initiò scripsit,priusquàm probèveritatē agnouisset. MON. Imò priusquā iudicijs ac decretis pontificijs irritatus esset. Posteà quidē offensam & irā homo apertus minime dissimulauit, vt est videre passim in scriptis eius. Impedit aūt ira animi iudiciū,vel secundū vulgatū versiculū,qui cum multis alijs Catoni adscribitur. Vis ne aūt nosse,quid longè post idē cōtra Anabaptistas scripserit de papatu? AVL. Cupio. MON. Nos,inquit,fatemur sub papatu plurimū esse boni Christiani,imò omne bonū Christianū,atq; etiā illinc ad nos deueniisse. Quippe fatemur,in papatu verā esse scripturā sacram,verum baptismum,

Lutherizelus.

De Papatu. Lut. in ep. ad duos pleb. de Anabap.

verum

verum sacramentum altaris, veras claues a remisionem peccatorum, verum prædicā officium, verum catechismum, vt sunt orati dominica, decem præcepta, articuli fidei. D co insuper, sub papatu veram Christianitat imò verum nucleum Christianitatis esse. A Credam´ne ità Lutherum scripsisse? MO Non est dubium. AVL. Tam longè hæc diuc sa sunt ab ijs, quæ nobis ministri & concion tores nostri dictitant & ostentant, quàm di à nocte. MON. De sacramentorum virtute efficacia, ne mireris Protestantes & Sacram tarios inter se dissentire. Ipse Lutherus eiu causam dissentiendi præbuit. Nam in captiu tate Babylonica, negat vllum sacramentum i nobis gratiam operari, & hæreticum dogm vocat id, quod ecclesia catholica profitetur. Ac de quo discipulis eius protestantibus in colloquio Ratisbonensi cum nostris conue nit: Infundi videlicet à Deo gratiam per sa cramenta. At in Catechismo & in Assertione idem ipse quoque affirmat. Alibi etiam dam nat Suermeros, hoc est, Fanaticos, qui sacra menta pro externis tãtum signis habent, qui bus Christiani signentur, quasi oues creta ru bra. Atque hoc è propheticis & Apostolicis scriptis eum hausisse scribit Smidelinus. Ipse igitur suo ipsius iudicio, & Smidelini sui cal culo

De sacramentorum virtute. Luth. de capt. Bab. Ratisbon. colloq. Id. in Catechis. & in assert. Suermeri. Id. in epist. ad regem Angl. Smid. in responsione ad Staph

culo damnatus, quin vel cum protestantibus suis hæreticus, vel cum sacramentarijs fanaticus sit, causam dicere non potest. En tibi prophetam vestrum & euangelistam, ac preciosũ virum dei. Vis´ne etiam de purgatorio varietatem & inconstantiam hominis audire? AV. An de eo quoque variè & inconstanter scripsit? MON. Audi. In disputatione Lypsica: Ego, inquit, credo fortiter, imò ausim dicere: scio, purgatorium esse, facilè persuadeor in scripturis de eo fieri mentionem. Quemadmodum illud Mathæi inducit Gregorius in dialogis: Non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro: volens peccata quædam remitti in purgatorio. Admitto & illud 2. Machabæo. 12. Sancta est & salubris cogitatio, pro defũctis exorare. Item in declaratione quorundam articulorũ: Purgatoriũ esse, credendum est firmiter, & ego certè scio (certè scio, inquit propheta) quòd miseræ animæ ineffabiles in illo patiuntur pœnas, & quòd tenemur, & debemus illis subuenire orando, ieiunando, eleemosynas dãdo, & alijs quibus possumus modis. Itemq; in resolutione, Mihi certissimum est, ait, purgatorium esse. Nec multum me mouet, quid blaterent hæretici, quando iam mille & plus centum anni sunt, quòd beatus Augustinus in suarum Confes-

De purgatorio.

Idem in disput. Lypsica.

Math. 12.

Greg. dial. li 4.

Idem in declar. quorũdam art.

Id in resolut. concil. 15.

Augustin. Conf. lib. 9

sionũ libro nono pro matre,& pro patre suo orat,& orandum petit:Et eadem sancta mater eius moriens,vt ibi scribit,memoriam sui optauerit ad altare domini. Sed &à beato Ambrosio id factũ narrat. Quod si etiã tempore Apostolorum non fuisset purgatorium,vt superbit fastuosus Picardus,nunquid ideo credendum est hæretico(Hem)vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum?maximè cũ ipse nihil aliud faciat,quàm quod dicit:Non credo:Et sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra. Quasi non & lignũ & lapis non credant. Ita olim vester propheta & euangelista. At in libello capitum fidei Christianæ scribit idem: Purgatorium pro dæmonum illusione habendum esse, propterea quòd aduersetur primo articulo fidei. Agnoscitur, se illusum esse à dæmonibus, & contra primum articulum fidei credidisse,ignorasseque id, quòd se non modo certo, sed certissime scire non sine scripturarum testimonio prius asseuerauit. Aut si priora scripta itidem ac pacta, plus ponderis habent, ipse se vnà cum fastuosis & nuper natis Picardis damnat pro hæretico. Sed ne ad prouerbium illud: Posterioribus melioribus:confugias, & correxisse eum errorem suum dicas:

Quod

Quod tamen in propheta & Euangelista pudendum & absurdum est: In illis ipsis capitibus fidei Christianę 1544. paulò ante mortẽ editis, affirmat rectè orari pro mortuis. Quod ne Zuinglius quidem damnat. Esset autem ridiculum & vanum orare pro ijs, quos iuuari precibus tuis non posse certò scias: Quales sunt dãnati iuxta ac beati. Possem plura proferre, in quibus cum Lutherus & Melanchton, tum cæteri isti Pseudeuangelici doctores, non modo inter se alius ab alio dissentiunt, verum etiam singuli variant, & ipsi secum pugnant de rebus grauibus: Et ne id vulgo facile deprehendatur, inuolucris verborum, vel paululum à prioribus deflexorum, vel alio sensu vsurpatorum, anguillarum in modum lubrici (Non semper tamen satis cauti) quasi præstigijs quibusdam perficiunt. Sed hæc nunc sufficiant. E quibus luce meridiana clarius apparet, doctrinam eorum non à Deo esse, qui non est dessensionis Deus, sed pacis, & non mutatur, quemadmodum de se ipse apud Malachiam affirmat: Verùm ab eo, qui ab initio in veritate non stetit: & sicuti tũc recẽs adhuc cœlũ & paradisum mendacio disidioq; turbauit, sic in hunc vsq; diẽ orbẽ terrarum per istos ministros suos turbare nõ desinit. Huius igitur, ac non Dei prophetæ

Id. in ca. fid. Christianæ Zuin. ar. 6

Epilogus 1. libri.

Mal. 3.

sunt isti, qui currunt non missi, & sine legitima vocatione docendi ac prædicandi munus vsurpant, neque vllis miraculis, verísue futurorum prædictionibus, sed cõuitijs modo, & probrosis maledictis, odioque ecclesiastici ordinis fulti, visionem mendacem loquũtur, ac spiritum & seductionem cordis sui sequũtur ac prophetant: nouũ, & ab eo, quod Christus Dei filius olim protulit, apostoli eius, eorumq; discipuli, & successores Episcopi, doctoresque sancti docuerunt, & sanctimoniæ vitæ, plurimisque ac stupendis miraculis cõfirmarunt, martyres vtriusque sexus sanguine suo obsignarunt, vniuersa per orbem terrarum Ecclesia iam inde ab initio per tot secula perpetuò retinuit, & hactenus retinet: ab eo, inquam, euangelio diuersum, imò aduersum ei, & qualium iam audiuisti fructuum serax, impurum, turbulentum, impium, blasphemum, varium, ipsumq; secum pugnans Euangelium seu verius eigeevillium pro Dei verbo venditant: & ad id miseros homines, quasi ad alienos Deos colendos pellicere, ac vi etiam pertrahere student : & vel in deserto prædamnatarum ab Ecclesia Dei hæreseõn, vel in nescio quibus, cũcto populo Christiano hactenus ignoratis, penetralibus Christũ ostẽtant: & his fructibus se, doctrinãq; suã, à quo-

quo´nam profecta sit, prodũt planissimè: Eãque, ac se eius authores & assertores suo ipsorum iudicio, secundum D. Pauli sententiam damnant. AVL. Eò me adduxisti, vt tibi assentiri cogar, prauitatem & errores in hac euangelica nostra doctrina inesse: Sed non quiuis error statim hæreseos damnãdus est. MON. Fateor. Verùm de capitibus religionis falsũ & prauum dogma pertinaciter tueri, aut scripturam sacram peruertere, & pro verbo Dei venditare id, quod est à verbo Dei alienum, hæreticum est, etiam ipsorũ iudicio. Huiusmodi autem esse doctrinam eorum, iam satis, opinor, apertè demonstratum est. AVL. At alij tamen alijs minus errant: Et multi in multis correxerunt errores suos. MON. An errores suos correxerint, nescio: Contraria quidẽ ijs, quæ prius docuerant, multos docuisse scio, & ostendi etiam. Sic autem id fecerunt, vt ferè prauitatem prauitate, & quidem minorem maiore commutarent. Vt cùm Muncerus à Lutheranismo ad Anabaptistas, Melãchton, Bucerus, Oecolampadius, Heidelbergẽses ab eodem Lutheranismo ad sacrãmentarios transierunt, nequeuntes hi quidem exagitatam à sacramentarijs impanationem suã, Muncerus verò fidem paruulorũ, & alia quædam dogmata tueri. Alioqui quiduis ij potius

Hæresis quid.

Bucer. cõc. Latom. in colloq. Vorm. Occolamp. in dial. contra Mel. Pseudeuangel. errores erroribus commutant.

Absurda sæpe concedunt Euã-

gelici per contentionem Luth. de seruo arbitrio. Mel. ad Rom. prima edit. Cal. in antidoto.

tius facere & pati, quàm in viam, vnde defle-
xerunt, redire malunt. Vt Lutherus epistolam Iacobi apostoli è canone maluit eijcere, quàm à dogmate illo suo de sola fide, quod epistola illa desertè reprobat, discedere: Idē infantes credere asseuerauit, cùm Anabaptistas de baptismo infantium verbis sacræ scripturæ se prementes, non aliter reprimi posse animaduerteret. Idem Lutherus & Melanchton, & Illyricus & Caluinus liberum hominis arbitrium tollētes, Deum in nobis, & per nos omnia scelera & flagitia patrare, & ab eo voluntates nostras in malum impelli, aduersarijs vrgentibus concedunt. Caluinus idem cum Lasco, Ochino, & alijs adstipulatoribus suis infantes è Christianis parentibus ortos sine baptismate saluos fieri contendunt, quo sacramentorum vim omnem eneruent. Idem Caluinus cum suis, & Tigurinis, & Melanchtone manifestè in Arianismum prolabuntur, vt Christum etiam secundum diuinam naturam mediatorem esse peruincant, quemadmodum demonstrat Stancarus. Quin ipse adeò Caluinus in eo libello, quem, suppresso nomine, Impietatem Valentini Gentilis inscripsit, siue quis alius, Caluinianus quidem planè, eius author est, ita scribit: Vbi autem nobis offertur media-

Cal. in inst.

Stanc. de Trinit. & mediat.

Impietas Val. Gentilis.

tor

tor Christus, quia medius esse non potest, nisi Deo sit inferior, patri integra datur deitatis gloria. Et aliquanto pòst: Etsi autem deitatis respectu vnum est cum patre, ac proinde patri æqualis, qua tamen mediator est, quo ad dispensationẽ, quodammodo subsidit infra Deum. An non hoc est Gentilizare, & quidem Gentilis dogma impugnantem, si ipsis secundum diuinam quoque naturam mediator est Christus? Smplicius certe ac præiudicato illi de mediatore dogmati magis conueniẽter Gentilis ex eius schola profectus cum suis, vel solũ patrem propriè esse Deum, vel tres Deos esse statuit. Nónulli porrò eiusdẽ Caluini discipuli in adorãdo Christo humanitatem à diuinitate separant, personæq; eius supplicandum esse negãt, vt testatur Nic. Villagagnon. Brentius & Smidelinus per male intellectam idiomatum communicationem metamorphosin quandam humanitatis Christi in diuinitatem, & nescio quam portentosam vbiquitatem comminiscuntur, vt ne cogantur vel sacramentarijs, aperte duntaxat, concedere, à cœna eum abesse, vel à nobis catholicis arma, quibus eos retundant, mutuari. Amsdorffius verò Georgij Maioris refellendi causa, bona opera non modo inutilia, sed etiam perniciosa

Nic. Villagag. ad ar. Cal. trad. lib. 1. cap. 83. & seq. Brent. con. Bull. Smid. de maiestate hominis Christi.

ad salutem esse contendit. Sic isti vestri prophetæ contentione in omnem absurditatem feruntur præcipites. Nonnũquam seruiunt ij scenæ magis, quàm ꝙ verè & ex animo probent ea, quæ probare: vel dãnent, quæ dãmnare & corrigere videtur. Argumẽto sunt Syncretismi inter dissidentes Marpurgi & Vitebergæ olim, & nuper ante Colloquium Vormatiæ iterum institutum Francofordiæ ad Mœnum, & aliâs alibi facti, quibus ij nõ dissimulatis, sed reiectis in aliud tempus mutuis inter se dissensionibus, ad euertendum papatum, hoc est, verum Christianismum, quẽadmodum ipse eorum propheta interpretatur: & ecclesiam Dei, conspirandum sibi esse iudicarunt, & non obscurè præ se tulerunt. Quod paulò pòst in eo ipso colloquio à malè concordibus eorum socijs proditum est. Nec ipsi admodum dissimularunt, cùm rogati à nostris, quid sentirent de sacramentario dogmate, tergiuersati sunt: Non id agi dictitantes. Nec aliò spectasse videtur Numburgense nuperum cõuenticulum, & subscriptio Confessionis Augustanæ. Scilicet vt ij vulpiũ à Sampsone caudis modo, ac non capitibus inter se colligatarũ, & igni iniecto ad vastãdas segetes hostiles immissarum mysterium representarent. Eodem pertinent etiam cõmen-

Conspirationes Euãgelicorum.

Melanch. & cõt. Staph.

mendationes Confessionis Picardicæ à Vergerio editæ: quæq; alia ipsi vel admittunt, vel scriptis mandant, dissentientium à se doctrinæ magis, quàm suæ cõsentanea. Qualia sunt, exempli gratia, quòd cùm Lutherani contra Zuinglianos asseuerent, verè, & vt Theologi vulgo loquuntur, realiter esse Christum in Eucharistia, adorandum tamen esse negant, quasi is Deus ibi esse desinat: & extra vsum sumentium, corpus & sanguinem eius non subsistere ipsis assentiuntur. Quod quidem à Luthero impetrauit Bucerus: ipseq; vicissim substantialiter ibi corpus & sanguinem Christi esse ei cõcesit: idq; securè, cùm id nõ verbo Dei, sed fide & vsu sumentium fieri inter eos conueniisset. Nam eo impetrato nõ difficulter euincit Bucerus cum suis sacramẽtarijs, non esse in Eucharistia corpus & sanguinẽ Christi, vel illo sanè argumento, quòd in eodem pane, & in eodẽ calice simul esset, & non esset corpus & sanguis Christi. Esset quidem manducanti & bibenti, non esset autem mox manducaturo & bibituro. Vt cùm Christus ipse Apostolis in vltima cœna calicẽ porrexit ordine bibituris, Petro quidem, exempli gratia, quoàd bibebat, erat sanguis Christi: Bibente autem quouis alio post eũ, vel ante, etiam ex eodem calice, nõ erat. Atq;

Lutherani à sacramentario dogmate non abhorrent.

adeò bibenti, partim erat, partim non erat. Erat quidem gutta vna atque altera, quæ fortuitu in os eius influebat. Reliquæ non erant, quæ bibiturorum deinceps vsui relinquebantur. Quo concesso conuincitur mendacij veritas, quæ antequàm Apostolorũ quisquam vteretur, dixit: Hoc est corpus meum: Et: Hic est sanguis meus. Non: Erit: Tunc demum videlicet, quando vtemini. Talis igitur tunc ille fuit Syncretismus: Quem renouarunt nuper inter se dissidentes Argentinenses. Quin Caluinus scripto in lucem edito negat in dogmate de Eucharistia aduersari sibi Confessionem Augustanam (sed vt nunc ea extat, credo, non vt primum in lucem edita est) Philippum autem architectum eius non magis à se, quàm à proprijs visceribus in ea causa posse diuelli asserit. Atque id interrogatus Philippus opportuno loco, nempe in Colloquio Vormatien. refellere, aut negare ausus non est, & tamen ipse author Augustanæ Confessionis per totos decem & septem annos præ se tulit, & præ se ferunt etiamnum, qui eam amplectuntur, se credere, Christum verum Deum & hominem præsentem esse in Eucharistia, ac damnare se eos, qui diuersum sentiant. Dixi etiam nuper de simulata Theodori Bezæ

Argent. in consensu 1563. facto. Cal. contra Vestphal.

Philip. ad Frid. Myconium.

apud

apud Palatinum Rheni confessione. Sic igitur isti errores suos ac magistrorum suorum corrigunt. Sed vtid quoque tibi dem, Melanchtonem, Brentiũ, Caluinũ, ac cæteros eiusdẽ farinæ, quos tu significare videris, correxisse multa, & minus tetra, Christianisq; auribus absurda docere, quàm alios: At bonum ij iecere vnà cum Luthero suo fundamentum cum ijs, quæ ipsemet damnant, tum alijs omnibus peruersis dogmatibus, quæ extiterunt, atque etiam nunc existunt, & adhuc possunt existere: Quod certè non mutarunt: imò omnia sua dogmata in eo construxerunt. AVL. Quod´nam illud? MON. Vnũ de duodecim sanctæ religionis Christianæ capitibus siue articulis, in quo multum, ne dicam omnia posita sunt, reiecerunt. Hic certè recusare ij non possunt, quo minus pro hęreticis habeãtur. Quamuis enim ipsi nimis adstringant nomen hæreseos, symbolum tamen Apostolicum eo loco habent, vt antea quoque dixi, vtlicet canone scripturarum comprehensum sit, scripturis tamen id exæquent, & cum ijs iudicem omnium de religione controuersiarum statuãt: & pro hæretico habeant, quisquis aliquod symboli caput non recipit. AV. Quod´nam autem obsecro istud symboli caput est, quod ij reijciunt? MON. Cre-

Hæreseon fundamentum.

Symboli Apostoli auctoritas.

In actis col loq. Vorm.

Credo sanctam ecclesiam catholicam. Quan
quam in vnius locum duo subdiderunt. AV.
Quæ nam? MON. Nauiter & odiose insecto
papam, episcopos, sacerdotes, & monachos:
Et, vxorem, ne dicam vxores, vel capulari
senex duxi: Imò tertium quoque: Carne per
uicaciter vescor, quando alij religiosè absti
nent. Hæc enim vel potissima sunt inter eos
verè suscepti Euangelij symbola. AVL. Mit
te iocos. Quid? non profitentur illi sanctam
Ecclesiam Catholicã? MO. Minime gẽtium,
Philippus quidem, verbum, Catholicã, aliquã
interpretatur, quòd de particularibus, & qui
dem incertis intelligitur. Excute autem quæ
so, symbolum id, quod siue à Luthero, siue
quopiam alio conscriptum lingua Germani
ca, publicè ab ipsis recipitur, & cùm ab opifi
cibus in officinis, à mulierculis ad colum &
radiũ, ab omnibus ad pocula, tum in templi
passim vulgò cantillatur, reperies, eos ità cã
tare, sub finem vt dicant, vniuersum Christia
num populum in terris magno consensu cre
dere, seu profiteri, remitti sibi peccata, &c.
Nosti linguam Germanicam? AVL. Vtcunq;
MON. Verba symboli sic habent: Die gantz
Christenheyt auff Erden/ heldt in einen sinn ge
eben: Jr alle sünd vergebẽ werden. De eo vero
quòd ipsi credant sanctã Ecclesiã Catholicã

Symbola Euangelicorum.

Ecclesiam non credũt Pseudeuangelici.

Symbolum Lutherano rum mutilum.

& sanctorũ communionem, ne verbũ quidẽ. Quin Brẽtius scurriliter exagitat nomẽ Catholici. Quẽadmodũ & Caluinus pro fabula habet, illud eiusdẽ symboli, de descẽsu Christi ad inferos. Quod itidẽ in Lutherano isto symbolo omissum est, sicut etiã de ascẽsu ad cœlos, & confessu ad dexteram Dei patris omnipotentis, ac de reditu ad iudicandum viuos & mortuos. Igitur nõ duodecim, sed vix octo, vel septem ij habent articulos fidei. AVL. Frequenter equidem symbolum istud cãtari audiui: ac ipse quoque edidici. Sed nunquam hactenus animaduerti, ita id esse mutilum ac deprauatum. MON. Sed vt maximè ij Catholicam Ecclesiam confiteantur, eiusq; possessionem & nomen sibi arrogent (vt certè faciunt perfricta fronte nonnulli recentiores) factis quidem certè eam negant. Nam eius authoritatem labefactarunt, omne eius iudicium aspernati, dum eam in nescio quæ latibula paucorum electorum, qui in turba reproborum dispersi, & ne inter se quidem noti sint, retrudunt: Canones sanctorum patrũ atque conciliorum, & receptos mores ac instituta vniuersi populi Christiani, traditionesq; Apostolicas ab ea ipsa Ecclesia conseruatas, quæ sacris literis expressæ non sint, esse commenta hominũ, quibus nos credere nõ oporteat,

Cal. instit. cap. 7.

teat, asseuerant: Libros quosdam sacros veteris ac noui testamenti, perinde ac nothos reijciunt, licet eos ecclesia recipiat, Et in ijs autem, quos non reuocant in controuersiam, non eum, quem veteres orthodoxi doctores, & ecclesia catholica per tot secula amplexa est, & nobis quasi per manus tradidit, sed quem ipse sibi quisque excogitauit, verum & germanum sensum esse contendunt. Cum autèm his ità docendis & faciendis authoritatem Ecclesiæ labefactarint, nihil certi dementatis à se leuibus ac superbis hominibus in religione reliquerunt. Potuerunt profectò in hoc fundamento Carolostadius cum Zuinglio & Oecolampadio, & post eos Caluinus securè contra orthodoxorum omnium, vt ait Iob Gastus, chorum illud construere, quod sub specie panis & vini, non est verè corpus & sanguis Christi: Et redarguentia se illa verba Christi ipsius, Hoc est corpus meum. Et: Hic est sanguis meus: ita interpretari, vt dicerent per panem & vinum corpus & sanguinem Christi significari, vel ea esse figuram, vel symbolum, vel arrabonem corporis, & sanguinis ipsius: sicut & illud, vbi dicit Paulus: Petrã fuisse Christum: vel ipse Christus: Ego sum vitis vera. Potuit idem Caluinus, quem-

Hereseôn fundamentum.

Sacramentarij.

Gast. in præfat. in Paschas.

Sacramentariorum dogma.

I. Cor. 10.

Ioan. 15.

Cal. impia dogmata.

ad-

admodum dixi dudum, fabulã esse id, quòd de descensu Christi ad inferos & limbo patrum creditur. Zuinglium, Oecolampadium & Bucerum in eo secutos: Non item in illis, quæ idem docet: Deum maximã mundi partem nudo puroque voluntatis suæ arbitrio ad perditionem creasse: Omnia quæ à quouis homine perpetrantur facinora, bona esse, iustaque Dei opera. Sæpe voluntatem Dei pugnare cum præcepto. Satanam ex imperio Dei mendacem esse. Potuerunt Anabaptistæ. Non esse efficax baptisma infantium, eò quod de illo nullum extet prçceptũ Christi in sacra scriptura: Quin quòd ex ea contrarium potius accipiatur, cum Christus fidem cuiusque propriam à baptizandis exigat, cuius expertes sint infantes: quippe qui necdum ratione vti queant. Potuerunt ijdem (Et quidem substructoribus Luthero & Philippo) & illa inædificare: Legem homini seruatu esse impossibilem. Nos omnes liberos esse, nec debere quenquã cuiquã subesse, ita præcipiẽte Paulo. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Animas defunctorrũ domire: Neminem supplicio corporis afficiendũ esse ob quoduis scelus patratum: Litigandum prorsus non esse homini Christiano, nec resistendum iniuriam fa-

Cal. de præ dest.

Cal. instit. cap. 8.

Och. in dia log.

Anabaptistarum impietas.

1. Cor. 7.

facientibus, neque gerendum magistratum

Anabaptistarum promiscui concubitus

Omnia omnibus esse communia. Atque ita promiscuos permittunt cõcubitus cum alibi, tum in conuenticulis suis, inter coniugatos iuxta ac cœlibes, fratres & sorores, parentes & liberos, quoties spiritus carnem concupiscit vel propheta pro concione clausis ostijs & fenestris enunciat illud: Crescite & multiplicamini. Mulieres etiam circumcidunt: Prophetam autem nudum cum nuda virgine in lecto imponunt, quo probet fraterculis suis veteris

Lind. in Ruard.

Adæ mortificationẽ. AVL. Quid ego audio? MO. Vilhelmus Lindanus pius & doctus episcopus in inferiore Germania (vbi colluuies illa maximè inualuit) hæc ita memoriæ prodidit. Hæc igitur & alia fortasse præterea non minus pudenda & abominanda, iacto semine illo de ecclesia fundamento, Anabaptistæ fa-

Memnonij.

cile inædificare potuere. Potuere & Memnonij, qui nescio an & ipsi Anabaptistæ sint, Christum non verè humanam naturã de vir-

Osiander.

gine assumpsisse, sed cœlitus corpus attulisse. Potuit Osiander: Nos essentia diuina iustificari. Vnde sequitur: Frustra Christum esse ho-

Seruetus.

minem factum & mortuum. Potuit Seruetus Filium Dei patre minorem esse. A quo ne Lutherus quidem videtur abhorruisse, ὁμοούσιον, hoc est, consubstãtialis nomen, ac Ni-

cæ-

cæni concilij patrum contentionem, quasi su peruacaneam exagitans. Quod Brẽtius quo- *Brent. in proleg.*
que facit: Potuit Simon nescio quis, in Mora- *Simon. Trinitarij.*
uia nuper exortus, Christum dominum deũ non esse, contendere, & personarum, Tria- disque, seu Trinitatis nomen in diuinis explodere: Quem sequi videtur nostrates quidam Caluiniani, eam ob rem appellati Trinitarij siue Trideitæ. Nisi fortè Gentilem ij malunt authorem agnoscere. Cum eo certe nõ nunquam tres deos, nonnunquam solum patrem, aut quemadmodũ ipsi loquuntur, Deũ Israel propriè deum esse statuunt: Trinitatẽ, nugas (horrendum dictu) meretricem, deam fatuam, gentium, & Chananæorum appellãt, ac sub tricipitis cerberi imagine repræsentãt, quemadmodum ex edita nuper in eos Cra- couiæ Collatione patet. Potuit Smidelinus: Non eandem esse Christi ac dei patris diuinitatẽ: deum esse finitum: humanitatẽ Christi omnipotentẽ: cœlos & inferos loco nõ definiri, hoc est, nõ esse omnino. Potuit Melãchton, Christũ dominũ desperasse in cruce: Andreas autem Musculus, & Smidelinus, & Caluinus, etiam pœnas gehennæ gustasse, & iram dei expertum esse: deniq; fratercul us nescio quis apostata, quasi malè alioqui cohærentibus gluten interlinens, iudicio dei condẽ- *Collat. in Greg. Bezzin. Smid. de maiestate Christi, & in apolog. Cal. inst. li. 2. cap. 16.*

natum esse (proh impietatem plus quàm Tur-
Cal. ibid. cicam aut Porphyrianam) adstruere. A qua sententia ne Caluinus quidem abhorret. In isto ipso fundamento Franciscus Stancarus,
Stancarus, qui nescio sit ne Monachus apostata, an Iudæus, an vtrunque, peruersa dogmata sua extruit: Nempe Christum secundum humanam naturam, & quatenus homo est, esse verum, proprium, & naturalem filium Dei asserens, & cũ Eutychete naturas cõfundens: (In quo
In impiet. Val. Gent. consentientes secũ habet Caluinianos) Christum idem quod Moysen statuisse de diuortio, licereq; quauis de causa, & quoties libet, virũ iuxta ac mulierẽ diuortium facere, & aliud matrimoniũ contrahere. Idem nuper nouam & mirabilem excogitauit in Eucharistię sacramento metamorphosin, qua SS. patrum de Transubstantiatione euidentiss. & irrefutabilia testimonia sophisticè eluderet. Verum suis se telis, non minus, quàm Caluinus de mediatore, & omnes prorsus Sacramẽtarij de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, conficit. Ita istis agnitæ veritatis oppugnatoribus diabolus, mentem & sensũ penitus ademit. AV. Hęcne docet Stancarus? MO. De metamorphosi vidi nuper breue scriptũ eius, qd recẽs euomuit. Sed nõ est necesse de eo plura nunc dicere. De diuortio

vidi

vidi ante multos annos libellum editum, qui mox, ni fallor, suppressus est. De primo autē capite extat & ipse, iam pridem conscriptus, non tamen vulgatus, quod equidem sciam: AVL. Vellem extaret de diuortio. Et tamen sunt apud nos in Polonia, qui illum talem aliundè non solum è bene constitutis rebus publicis, verumetiam à comparibus suis nouatoribus & hæreticis pulsum, vt audio, tuentur, & fauore prosequuntur, ac tantum non in manibus gestant. MON. Non ob aliud, quàm quòd dissentit ab Ecclesia catholica. Quanquàm nonnulli iam ei nuncium remiserūt, alio peregrinæ doctrinæ vento exagitati. Quibus non suppeteret tantum intelligentiæ & audaciæ, nisi incrassati, impinguati, dilatati essent bonis Ecclesiasticis. Fit enim ferè, vt nulli sint capitaliores hostes Ecclesiæ, quàm qui de bonis Ecclesiasticis tenerius e nutriti & locupletati sunt. Sed ad rem redeamus. In eo ipso fundamento extruxit & & Suencfeldius: Neque auditionem, neque lectionem verbi dei cuiquam necessariam esse, cum simus omnes θεοδίδακτοι: hoc est, à Deo per reuelationes de omnibus credendis, & agendis doceamur: Christū etiā secundum diuinam naturam passum & mortuum esse, ac deinde hominem esse desijsse:

Ecclesiæ inimici, bonis ecclesiasticis enutriti.

Suencfeld.

Omnes homines esse naturales Dei filios, &
Illyr. de 50 craſs. errorib. nescio quæ alia dogmata pestilentia, & à superioribus diuersa. Quæ quinquaginta notauit Illyricus peculiari libello edito lingua Germanica. In eodem ædificauit Dauid Georgius, cuius cadauer post aliquot annos à morte effoderunt, & exusserunt Basileenses.
Suencf. Dauid Georgius. Docuit autem is: Diabolum non esse: Sed tertium Dauidem, & verum Messiam, seruatorem, & iudicem mundi esse, è spiritu Dei natum: Christi, prophetarum & Apostolorũ doctrinam quasi pædagogũ fuisse ad suam, quę
Calui. inst. lib. cap. 4. sola absoluta sit & salutaris. Et ipse autẽ promiscuos concubitus approbauit. Negauit carnis resurrectionem, quemadmodum & Li-
Libertini. bertini: qui etiam liberum sibi esse volunt quicquid visũ est in religione amplecti & reijcere, nullius, vt ait poëta quidam, addicti iurare in verba magistri: Nec referre putant, cũ hæreticis ne quibuslibet, an cum catholica Ecclesia sentiant. In eodem fundamento nescio quam nouam substructionem molitus
Och. dia. 1. Id. dial. 27. est Ochinus, dum Christum in nostro ait apparuisse hemisphærio: dum idololatriæ & superstitionis damnat, si quis suorum templũ, in quo vlla sit, vel in fenestra imago, venerabundus ingrediatur; aut si quis nomen Iesu veneretur: Quo ipse non nisi Mariæ filium

sig-

significari asserit. Viderint nasutiores. Polygamia quidem eius ad Mahometismum fenestram, ne dicam ostium, aperit. Sed iam is quoq; perijt. His omnibus tam impijs & absurdis dogmatibus Lutherus cũ suis illis, quãlibet modestis in speciẽ amiculis causam prębuit, & clasicum (quod dicitur) cecinit, dum authoritatem Ecclesiæ Catholicæ debilitauit. Quod si enim cum aliquo istorum disseras, ac diuersum vel contrariũ ei asseras, mox tibi respondebit: Non contineri id scriptura, quod tu dicas. Si scripturam proferas, negabit ille librum, vnde ea prompta sit, esse in canone: aut statim contrariam scripturam proferet, confidenterque asseuerabit, hanc illa esse maioris authoritatis: aut non sic eã oportere intelligi, vt tu intelligas, sed vt ipse. Quod si demonstres ei, sic sanctos patres, Cõcilia, & Ecclesiam Catholicam intellexisse & intelligere: Medium tibi ostendet vnguẽ, respondens: Homines & illos fuisse (mirum ni bestias) Propter commenta hominum non esse nobis transgredienda præcepta & verbũ Dei. Quasi de verbo Dei sit, ac non de intelligentia eius, controuersia: Se denique tam rectè, ac rectius etiã scripturã sacram intelligere, quàm cæteros oẽs homines, qui vnquã fuerunt, sunt, & erunt, & quàm vniuersam Ec-

Hæreticorum confidentia in disputãdo.

clesiam. Quod quidem arroganter iactitan
passim Lutherus, Melanchton, Caluinus, Br
tius, Centuriatores, ac nostrates Trideitę. H
iam vel mitiores Euangelistæ vestri, si cũ illi
monstris congrediãtur, gradũ sistãt oporte
Nec possunt, quãlibet impijs sua quoq; op
nione hęreticis repugnare. Suis enim telis c
ficiuntur, & optimo quidem iure. Qui minu
enim alijs liceat prætextu verbi Dei ab ipso
rũ sentẽtia discedere, quàm ipsis ab ecclesi
totius authoritate discedere licuit? Idem v
venit olim Donatistis, vt cum ipsi se ab ecc
sia segregassent, eamq; damnarent, idẽ à su
vicissim discipulis Rogatistis, Maximianisti
ac Circumcellionibus paterentur, vt est a
pud Augustinum. Ac didicerunt hoc isti ip
stultorum magistra experientia, ex vn
Lutherana in plures dissecti sectas, & qu
dem viperarum more matrem, ipsam in
quam Lutheri sectam, necãtes. Proinde Phi
lippus negat tutum esse à communi senten
tia veteris ecclesiæ discedere. Negat & Luth
rus alicubi, Sed serò sapiũt Phryges. Nec ip
tamẽ faciũt id, quod alijs præscribunt. Fit au
tem plerunque, vt ij aliena dogmata euerte
do, sua pariter euertant, & vel nobis contra s
ipsi arma suppeditent, quemadmodum v
su venit Luthero in oppugnandis Anaba
ptisti

To. 2. & 7.

Phil. ad Frid. Mycon.

Hæretici oppugnantes se inuicem, ecclesiæ cõtra se tela subministrant.

ptisti,s& Sacramentarijs,quod prius iam ostẽ
di. Melanchton sanè dum Carolostadium principem eius sectę authorem & propugnatorem insectatur ac damnat, præclaram contra seipsum, præceptoremq; suum pro nobis tulit sententiam. Magna est,inquiens,temeritas dogmata serere, non consulta Ecclesia veteri. Bullingerus quoque dum Anabaptistas insectatur, contra seipsum suosque Sacramentarios, atque adeò contra omnem Pseudeuangelicorum istorum colluuiem nobis tela subministrat, & pro nobis militat: Nec minus Caluinus, & asseclæ eius nostrates, dum Valentinum Gentilem,& gregales eius de Trinitate malè sentientes oppugnãt: vt est videre in censura piarum, vt ipsi scribunt, ecclesiarum iam ab eis edita : Et in eo libello,quem inscripserunt,Impietas Valentini Gentilis. Stancarus etiam aduersus Melanchtonem, Caluinum, Geneuenses, Tigurinos, & Pinciouianos scribens. Quid autem prohibebit, quo minus in isto ipso fundamento labefactæ authoritatis ecclesiasticæ aliquis dogma illud, ad quod potissimum Satanas per istos administros suos collimat,exædificet?nempe,Non esse Deum. Habuerit is certè etiã scripturæ sacræ adminicullum dicentis: Non est Deus. Quod si dicas:52.

Melancht. in epist. ad ad Frid. Mycon.

Bull. cont. Anabap.

Censura piarum ecclesiarum.

Impietas Val. Gent.

Psal. 13. & Insi. 2. Cor. 11.

Insipientis illam esse sententiam: Respon-
2. Cor. 11. derit: Paulum optare, vt Corinthij sustineãt in-
sipientiam suam, imò velle, vt velut insipien-
tem se accipiant. Hic tu frustrà ad distinctio-
nem, vel interpretationem, vel quæuis alia
præsidia confugias. Sũa ille nõ modo tuę, sed
omnium patrum atque vniuersæ Ecclesiæ, at-
que adeò ipsius quoque Lutheri & Melãch-
tonis, & Augustanæ Confessionis interpreta-
tioni prætulerit. Quod non raro istis vulgo v-
su venit, quauis de re temere & præsidenter
disputantibus, vt negent sua referre, quid illi,
aut quiuis alius senserit. Vnde & Libertini
appellantur. Viden' quale ædificium in isto-
rum tuorum Euangelicorum fundamẽto ex-
ædificatum sit? Non minus est autem in cul-
pa, sicuti dudum dixi, qui mali causam præ-
buit, quàm qui id patrauit. Quid enim refert,
ipse' ne quispiam alienum parietem perfode
rit, cædem, latrocinium, & sacrilegium patra
rit, parentem trucidarit, patriam prodiderit,
an alios vt ea facerent subornarit, & ansam,
causamque ijs patrandis præbuerit? Atque ità
non minus isti elegantiores & moderatiores,
quemadmodum ipsi videri volunt, siue Lu-
theranì, siue Euãgelici damnandi sunt, quàm
illi alij, quos ipsi damnant: Quandoquidem
in eorum principijs & fundamentis illi quo-
que

que dogmata sua construxerunt. AVL. Vt hęc omnia tibi concedam ità esse, certè vel illud tamen mihi vicissim concedas oportet, ex hac Lutheri, Melanchtonis, & aliorum Euangelicorum doctrina & scriptis nostra memoria permultum boni extitisse. MON. Quidnam? AVL. Si nihil aliud, illud profectò magnũ est, quod ij vobis monachis & sacerdotibus de libris sacræ scripturæ puluerem, & situm, quo per multos annos obducti erãt, detersere, & suffusionem, vt medicorum verbo vtar, qua vobis oculi ad verbum Dei caligabant, detraxere. Neq; enim negare potes, vos in scholis & monasterijs, non nisi Philosophiam aut Sophisticam, vel summas, nescio quas, atque doctores eos, quos vocant Scholasticos, tractare, atque inde nobis rudi plebeculæ concionari, siue, vt verius dicam, fabulari solitos esse, exempla & miracula fabulosa promentes, & spinosas ac inutiles quæstiones disputantes: Christi verò, ac verbi eius, hoc est, Euangelij & Paulinarum epistolarum rarò, aut nunquam mentionem faciẽtes. Neque enim in eo versãti eratis, donec Lutherus eò uos perpulit. MON. Nunquam defuit verbum Dei, & sana doctrina in Ecclesia. Lecta est semper sacra scriptura, & benè tum intellecta, tum explanata. Quanquã non iactata

Pseudeuangelici studia hominũ ad lectionẽ S. scripturæ excitarunt.

Doctrina sana numquãm defuit Ecclesiæ.

Concionãdi & docẽdi ratio in ecclesia superioris temporis.

fortasis vulgo tanta ostentatione, quãta nũc fit. Aedificare tunc pij concionatores Ecclesiam dei studebant. Cumque apud Christianos auditores, & salutari de fide in Christum doctrina imbutos concionari se non ignorarent, Pauli ac cæterorum Apostolorum, imò Christi ipsius exemplo, moreshominũ potissimũ, à vitijs eos reuocãdo, & ad pietatẽ, cultumq; Dei, magistratuũ & principum obsequium, ac cæteras virtutes & officia vitæ excitando, informabant. Et cum animaduerterent, exemplis maximè duci multos, ea cùm è sacra scriptura, & Ecclesiasticis historijs petita, tum à se fortasis, vel ab alijs, quali iudicio, non disputo, pio quidem studio excogitata, & ad id, quod agebant, accommodata, inprimis inculcabant. Nec tamẽ difficilioribus quæstionibus, vt verum fatear, prorsus abstinebãt, alius alio moderatius, vel iactãtius & ambitiosius, vt est ingeniũ hominum ad optimarũ quoq; rerũ abusum proclue. Nec diffitebor, cõplures magis etiã ocio & munere suo, auditorũq; simplicitate & modestia, siue patientia, ad quæstũ, vel ad potentiam suã stabiliendã abuti solitos esse. Sed nostri quidẽ Euangelistæ immunes omnino sunt ab his vitijs. Peccant autem eò periculosius, quo maiore temeritate & confidentia tra-

Lutheranorum cõcionãdi ratio.

tractãt & exagitant omnia, & cũ ordines inter se cõmittũt, mutuoq; odio inflãmatis classicũ canunt, tum vulgo se venditãt, res non tã philosophicas, quàm theologicas, &, vt ita dicam, apices religionis nostræ, ne sibi quidem ipsis satis cognitos atque perspectos, in circũciſis labijs ructãtes. Vnde fit persæpè, vt de hæresi in hæresim, de impietate in impietatem ferantur præcipites, & subuertant audientes: Indeque tot ex vno Luthero sectę extiterunt, & indies plures existũt. At nostri superioris tẽporis concionatores religiosè tamẽ versãbãtur in quæstionibus illis suis, siue philosophicis, siue theologicis. Plærũq; autem tam in dogmatibus, quàm in interpretatione scripturarum aliena authoritate niti, quàm noui aliquid de suo proferre malebant, & in maiore, quàm nunc (inuenta arte typographyca) librorum penuria, in compendijs & summis quibusdam, quas viri pietatis atque doctrinæ opinione florentes ante se conscripserant, ferè conquiescebant, securi, rectè eas, Christiq; & Apostolorum doctrinæ, & Ecclesiasticæ traditioni cõuenienter collectas & conscriptas esse: Præsertim cũ eæ ab Academijs, vel magistratibus Ecclesiasticis, doctorumue consensu approbarentur. Quid autem aliud factitant isti vestri pseu-

pseudeuangelici, dum vel suum quisque Catechismum, Confessionem, Locos cõmunes, aut postillas vulgo obtrudunt, vel alienis itidem, tanquam pueri nare nescientes subeunt vel cortici, inhærent? Quod sanè plurimi faciunt. Proinde non tam tractatio illa superioris temporis istis displicet, quàm tractatores. AVL. Scilicet, quia barbari. MON. Igitur triuialibus grammatistis, poëtastris ac pædagogis, qui theologiam vix à primo limine salutarunt, ne dicam ab idiotis & crassis coriarijs, lanijs, fabris, atque adeò præconibus, carnificibus, & profligati pudoris mulierculis theologiam & religionem haurire mauultis, quàm è barbaris Theologis? Quin igitur vestes quoque & vasa, quibus vtamini, à pædagogis & grammatistis, aut, si mauultis aurigis, baiulis, & opilionibus petitis potius, quàm à sartoribus & aurificibus, & ijs omnino opificibus, qui ea didicerunt, & profitentur, præsertim si ij sint barbari? Quid mirum aût dum sic agitur, & gloriola ambitiosè captatur, si noui quotidie procuduntur edunturque catechismi, confessiones, postillæ, & loci communes, à prioribus longè diuersi, & cõtraria nõnunquam dogmata continentes? AVL. Atqui summularij isti vestri vel summarij, & omnino scolastici doctores operosis & inutilibus quæ-

Pseudeuangelici unde discãt theologiam.

quæstionibus dediti, eam doctrinam, quæ vere Euangelica & salutaris est, neglexerunt. *Pseudeuangel. calumnia de doctrina Ecclesiæ.*

MON. Est hæc peruulgata noui istius Euangelij aduersus veram Christi Ecclesiam calũnia: Superioribus sæculis veram de religione doctrinam in ea incognitam fuisse, proq; ea non modo inutiles quæstiones, verumetiam falsas & verbo Dei contrarias opiniones peruagatas esse: Vtpote, doctrinam de fide neglectam, & penè obliteratam: officium mediatoris Dei & hominum Christi Iesu non satis agnitum: beneficia eius meritis bonorum operũ, satisfactionibus, indulgentijs, & orando pro defunctis obscurata: gloriæ Dei sanctorũ inuocatione & meritis, itemque veneratione imaginũ, & cultibus sine verbo dei institutis plurimũ detractũ: instituta Christi Euangelica traditionibus humanis cõmutata: libertatem Christianã dierũ obseruatione, & alijs Iudaicis cæremonijs imminutam, & oppressam propemodum: conscientias hominum excarnificatas, & ad desperationem misericordiæ Dei adductas: denique totam fermè religionem Christianam partim Iudaismo, partim idololatria, vel, vt ipsis magis libet loqui & scribere, idolomania contaminatam fuisse.

AVL. Sic est: Hæc illi scholasticis doctoribus & vobis impingũt.

MON. Sed imprudẽter

ter(quod pace tua dictum sit)perfrictis frō
bus mentiuntur: Qui quidē vel præcipuus
fructus istius Euāgelij, vnde planè quiuis a
Ioan. 6. noscat, quē id authorē habeat: Nēpe eum,
Doctrinam quo ait veritas in Euāgelio suo: Mēdax est,
ueram in ec pater eius. Calūnias autē eas esse, facilè qu
clesia nō de uis deprehendet, qui scripta recentiorum,
fuisse. Scholasticorū Theologorū semota male
lentia legerit. Et est id perspicuè demonst
tū cū alijs ab rectè sentiētibus nostri tēpo
Theologis, tum à viro doctissimo & pien
simo, Hosio nostro, nō magis nomine, qu
Stanisl. Ho- re Hosio, Episcopo Varmiensi & Cardina
sius in Cō- Sunt àmultis tractata, cùm hæc ista, tū omn
fess. perquā diligenter, religiosē & pie, nec s
accurata excusione sacrarū scripturarū: ità
negare non possis, fuisse eos in ijs exercitat
Hæretico- simos. Nec ignorant hoc isti vestri sycopha
rum studiū tæ: Quippe qui magnam peruersorū dogm
in legendis tum suorū partē ex illorū scriptis excerp
Theologis. runt. Quæ illi non vt ita crederentur, sed
cauerentur, partim diligenter conquisiuer
partim ingeniosē excogitarunt, & refutarū
Vtinam quidem apes vestri isti potius, quā
arancos imitari voluissent, aut quo studio il
la, quæ contra veritatē obijci possunt, exuxe
runt, eodē eaquoq;, quibus illa refelluntur a
diluuntur, indidē hausissent. Quod si me ta
me

men vrgebis, vt tibi concedã, superioti tempore minus, quàm par esset, curæ ac studij passim impensum fuisse lectioni sacrarũ literarum, non magnoperè tibi refragabor. Solet hoc fieri in eo genere studiorũ, quod cũ labore aliquo coniunctũ est, vt homines rebus tranquillis & quietis non parum de exercitatione, instrumentorumq; suorũ tractatione & vsu remittant. Nautæ quidẽ, cũ serenum est cœlum, & mare tranquillum, & cum secundo vento nauigant, omissis remis ludũt inter se, aut genio indulgent, aut aliud quippiam agunt. Vos quoq; equestres & militares homines, quia pax est, nónne aratro & rei familiari, & nonnulli mercaturæ manus, abiectis armis, admouistis, ità vt gladios vestros rubigo occuparit? Neque tamen propterea bona est tempestas aut bellum, quòd hoc milites, illa nautas eò adducit, vt omissis rebus alijs, artes & instrumenta sua tractent. Eadem ratione non propterea Lutherus, aut eius doctrina laudem meretur, quòd eò nos adduxit, diligentius vt scripturam sacram tractemus. Nec propterea Hæretici laude digni sunt, quòd scribit Paulus: Oportet & hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Valdè sunt utiles Ecclesiæ hæretici, quemadmodum scribit Augustinus, non ve-

Militarium hominum studia in pace.

1. Cor. 11.

Aug. de ue ra religione.

verum docendo, quod nesciunt, sed ad ver
quærendum carnales, & ad verum aperiend
spirituales catholicos excitando. Sunt enim
innumerabiles in Ecclesia sancta deo proba
ti viri, sed manifesti non sunt inter nos, qui
diu imperitiæ nostræ tenebris delectati, do
mire malumus, quàm lucem veritatis intuer
Quapropter multi vt diē Dei videant & gau
deant, per hęreticos de somno excitātur. Vo
mur igitur etiam hæreticis, non vt eorum ap
probemus errores, sed vt catholicam disci
nam aduersus eorum insidias asserentes, vig
lantiores & cautiores simus. Hîc sanè etiā Au
gustinus testificatur, Vtiles nobis esse hære
cos. At non propterea probandi sunt, ipso
rúmue dogmata. Eodē sanè argumento pro
bandi essent Iudæi, quòd Christū morte af
cerūt, per quā nos saluté adepti sumus. Q
& Satanas hîc laude sua fraudādus non e
qui Iudæos eò induxit. Ne in eò quidē
quòd tā multi sancti martyres per supplici
sua in cœlum peruenerunt. Nam nisi Satan
pios Tyrannos & plebes in eos concitasset
fortasis martyrij coronam adepti non fu
sent. AVL. Sed tamen multa vtilia & salutar
Lutherus, Melanchton, Brentius, & alij, qu
vos pro hæreticis habetis, docuerunt, & co
scripserunt. MON. Est ità. Aliter nam q; ho

Hæreticorū scripta qualia.

mines non decepissent, nisi bona malis, & vera falsis admiscuissent. Venena quoque facilè esset cauere, nisi dulcedine aliqua temperarẽtur, & bono cibo potuíue immiscerẽtur. Neq; pisces hamum deuorarent, nisi esca prẽfigeretur. Iam olim scripsit Paulus, quod etiã prius commemoraui: Nam eiusmodi Pseudapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnũ, si ministri eius trãsfigurẽtur velut ministri iustitiæ. Ac ipse quidem Satanas ita primos parentes nostros seduxit, vera falsis permiscens, cũ diceret, Aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut dij, siue deus. Hoc enim falsum fuit, illud verum. Nam ipse Moses, statim post esum pomi oculos eorum apertos esse, adscripsit. Sed à similitudine dei longius ij abscesserunt. Prẽmonet etiã idem Moses alibi, cauendum esse seductorẽ & falsum prophetam, etiãmsi quid is prædixerit, atque ita euenerit. Quod etiam prius explicaui. Quin & Christus ipse nos præmonuit, quod falsi prophetæ in vestimẽtis ouium ad nos essent venturi. A V L. Si verum est, Luther um, Melanchtonem, Brentium, addo etiam Caluinum, & alios recẽtiores multa bona li. teris mandasse, cur bona non amplectamur,

2. Cor. 11

Gen. 3.

Deut. 13.

Matth. 7

Hæretico rũ scripta mala cauenda.

mala autem reijciamus? MON. Idem tibi ali
quis Anabaptista, vel Trideita de suis præce
ptoribus totidē verbis obijciet. At tui Luth
Bull. in responſ. ad Brentium. rani non modo horum, verum etiā sacrame
tariorum libros legi, & importari ad se vetā
Quod Bullingerus etiam testatur. Nec impr
dēter, licet doctrinæ suæ inconuenienter,
faciunt. Quis enim mala à bonis discerne
AVL. Id quidem facilè est. Quicquid est cō
sentaneū verbo dei & scripturæ sacræ, id am
plectendum est. Quod verò contrarium e
aut non extat in Euangelio, vel Apostolic
scriptis, recipiendum non est. MON. Nih
est fallacius ista regula. Iam audiuisti ex m
nullis ferè vnquam hæreticis scripturas d
fuisse, quibus dogmata sua, quāuis absurd
improba, & impia tuerentur, detorquētes e
ad suam ipsorum & multorum aliorum per
ditionem. AVL. Nullus est tam malus libe
quin aliquid boni ex eo percipi queat. M
Verum. At in eodem prato apis mel, aran
venenum fugit: Quis innocua tam facilè, n
scio an facilius etiam malam ac pestilente
quàm bonam herbam carpit, & impr
dens sese inficit. AVL. Nos quidem homi
Oues cur Christiani. sumus, non oues. Non deest nobis ratio
iudicium. MON. At Christus magister &
berator noster oues nos esse voluit, nempe
ou

ouium in morem non sua quisq; sapientia iudicioq; nitamur in ijs, quæ ad religionem & salutem nostram pertinent, sed pastorum curæ ac ductui nos totos permittamus. Ne Euæ quidem in Paradiso defuit, in quo delectum faceret: nec fuit ea ratione destituta. Perfecti enim à Deo conditi sunt primi parentes nostri. Et tamen præterita arbore vitæ, noxium fructum ea decerpere maluit, quo se & nos omnes pessundedit. Quid autem eam decepit? Vidit mulier, ait scriptura, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu eius, & comedit. Quàm sæpè autem verũ est in vita hominum, illud, quod scribit poëta quidam:

Gen. 3.

Iudiciũ hominũ de bonis & malis fallax.

Fallit enim vitium specie virtutis & vmbra.

Horat. lib. 1. serm.

An non animaduertimus autẽ quæso, nos ipsos quoq; (licet homines, nõ oues simus) in quotidianis escis libentius & auidius malã & insalubrem, quàm bonam appetere, & suauius vesci? Rectè Moses cunctam cogitationem cordis humani intentam ait esse ad malum omni tempore. Quid autẽ attinet turbidis & impuris lacunis haurire aquam, cum è limpido fonte potare liceat? Proinde

Gen. 6.

hæreticorum & suspectorum scriptorum lectione prorsus abstinendum est, ijs præsertim, qui non satis perspectam habent formam sanorum verborum, & quorum partes non sunt, exhortari alios in doctrina sana & eos qui contradicũt arguere. Falsum enim verborum lenocinijs fucatum, & quasi suauibus quibusdã condimentis temperatũ, priusquàm aduertas animum, specie veri in pectus sese insinuat. Necverò existimes nouũ id esse & insolens, interdici quibusuis lectione hæreticorum librorum. Septima Synodus Oecumenica statuit, ne quis eiusmodi libros habeat. Si quis autem habuerit, vt Episcopo tradat. Quod si nõ fecerit, clericus quidem deponatur, laicus verò à cõmunione arceatur. Quin & Cõstantinopolitana quædam Synodus, seu potius conciliabulũ Arianorũ Episcoporum, ità scribit de Aëtio, & ipso hæretico, quemadmodum Theodoritus memorat: Condemnato à Synodo Aëtio, propter nefaria, & offensionum referta scripta ipsius, fecere Episcopi, quod Ecclesiasticis legibus consentaneum est, vt & honore diaconatus priuaretur, & expelleretur Ecclesia: Nosque editis monitionibus, legi nefandas Epistolas ipsius, vetuimus, ac omnes hortati sumus, vt illas tãquam inutiles & infructuosas abijcere vellẽt.

2. Tim. 1. Tit. 1.

Hæreticorum librorum lectio interdicta. Concil. 7. can. 9.

Theodoritus. Eccl. hist. li. 2. ca. 28.

Vi-

Vides ipsos quoque hæreticos hæreticorum librorũ lectione alijs interdixisse. Porrò Constantinus Magnus, Imperator Christianus, piusque seuerè edixit per omne imperium suum, vt libri hæreticorũ exurerentur: Si quis verò eos occultaret, vt capitali pœna afficeretur. Extat & Iustiniani similis lex in Autenticis, siue nouellis constitutionibus. Extat & Marcianie dictum post Chalcedonen. synodum editum. Iam verò & Paulus hæreticũ hominem vitare iubet post vnam & secundã correptionem. Idque nõ cuiuis de plebe, sed episcopo, cuius est munus tales arguere & corripere, præcipit. Quanto magis igitur vulgo id faciendum est, & quidem absque vlla correptione? In quo præcepto non tam illud spectat Apostolus, vt ne cibum cum hæretico capiamus, aut negocij quippiam in vita communi habeamus, aut vt occursus quoq; eius vitemus: Quanquam & hæc sunt cauenda, quantum in nobis est, secundum aliam eiusdem Pauli doctrinã: vbi dicit: Cum eiusmodi ne cibum quidem sumi oportere: & Ioannes, neque in domum eum recipi, neque aueri vult dici. Idemque exemplo suo docuit, cũ balneo abstinuit, propterea, quòd Cherintũ intus lauare accepisset. Non tam hæc tamen hoc in loco spectare videtur Paulus, quàm vt

Lex de libris hæret. exuren. *Socr. hist. Eccl. li. 1. c. 9. hist. eccl.* *Sozom. lib. 2. cap. 21.* *Auth. ut Antimus. Concil. to. 1* *Hæretici uitandi. Tit. 3.* *1. Cor. 5.* *2. Ioan.* *Ioan. Euãg. exemplum.*

Colloquia de religione, conciones, disputationes, scripta eorũ, execratorumq; sacrorũ cõmunionem, & quicquid eiusmodi est, vnde infici animi nostri possint, sedulo fugiamus. Quod quidẽ aliũdè planũ fit, vbi idẽ Apostolus profana & vaniloquia deuitanda esse præcipit, & causam addit. Quia sermo eorum serpit, hoc est, proxima quæq; inficit, vt cãcer morbus. Eodẽ spectat sapiens cũ dicit: Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea. Proinde scripta pariter & colloquia, cõciones q; hæreticorũ atq; schismaticorũ, & cętus ad orandum & colendũ Deũ instituti, vt inquinamẽta, magnoperè vitandi sunt pijs omnibus, vel ipsorũ certè exemplo: qui id iureiurãdo etiã interposito ab affeclis suis in Polonia nostra exigunt, vt se ab ingressu templorũ, sacris, & concionibus nostris Papistarũ, vt ipsi loquuntur, prorsus abstineãt. Neq; vnquã, siue in cultu dei, siue in vllo dogmate coniungere se quisquã debetur cũ Ecclesia malignantiũ, & à cœtu atq; cõmunione sanctorũ, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ, segregare. Ac ne preculis quidẽ atq; cãtibus ab ijs cõpositis, quãuis in speciẽ pijs, aut formulis loquẽdi eorũ peculiaribus de religione temere quenquã vti oportet. Quin omnia & dicta, & scripta, & facta eorũ perinde ac venenata suspecta nobis esse de-

2. Tim. 2.

Eccl. 13.

Iuramentũ euangelicorum]

debẽt, ne cõmunicare videamur operib. eorũ malignis, vt ait Ioãnes. Quod quidẽ à maioribus nostris perquàm religiosè obseruatũ est per sexcentos ferè annos, quibus Polonia, cùm semel Christo nomen dedisset, nunquã sese per dei gratiam ab Ecclesia Catholica segregauit, aut vllis profanis hæreticorũ nouationibus cõtaminauit. Ante centũ quidem & triginta annos nõ pauci equestris ordinis nobiles & factiosi homines, Husi & Vicleffi sectã atq; dogmata amplecti cœperãt: Sed celeriter id malũ cõquieuit. At non ociosi neq; trepidi eius rei spectatores erãt Rex & senatus regni, tã profanus, vel, vt vocãt, secularis, q̃ Ecclesiasticus. Non sunt illi viri pij, graues & sapientes passi, malũ id radices agere, neq; serpere, nullam neq; necessitudinũ, neq; loci, dignitatisue, aut potẽtiæ cuiusquã rationẽ ducẽtes: neq; priuatorũ commodorũ suorũ, potentiæq; vel comparandæ, vel ostentandæ gratia. Euitabantur olim tales passim & plectebantur, qui curiosè ac temerè de religione differtabant. Vitabant eorum consessus & congressus atque familiaritatem boni & honesti viri. Tantum aberant, vt ad magistratus & honores eos proueherent, aut arridẽdo vel renidendo ausus eorũ approbare viderentur, & animos eis adderent. Ac ne militi-

Polonorũ constantia in religione

bus quidem externis, quorũ auxilijs neceſſariò tunc vtendum erat publicè maioribus noſtris, ad propulſandas vicinorum iniurias, facilè indulgebatur. Quin & regnum armis virisque florẽs, cum offeretur vltrò, à pio rege Cazimiro huius noſtri regis auo de ſententia ſenatus ampliſsimi repudiatum eſt, quòd videretur hæretica labe infectum eſſe. Ità tũc piaculum erat, commune aliquid habere cũ hæreticis. Nunc id in laude vrbanitatis ducitur: neque ſatis vrbanus & aulicus habetur is, qui de religione, quamuis intẽpeſtiue & importune garrire neſcit, vel non dignatur. Et delectantur autẽ in primis talium colloquijs, conſuetudine, & conſilijs ij, qui eos auerſari maxime debebant, ornantque eos, & quaſi lupos, non modo ouium, ſed etiam canũ ſuorum ſanguine, magno ſuo ac reipubl. totius malo, ſaginant & efferant. Atque ita vos aulici & nobiles homines plerique abieciſtis militaria ſtudia maiorum veſtrorũ, quibus gens & natio noſtra olim floruit, Theologiamque arripuiſtis, & perlecto libello duobus tribus ve groſsis venali, aut ne lecto quidem, ſed audito tantum inter compotandum quopiam itidem duorum groſſorũ Theologo, vel grãmatiſta, vel inter amplexus mulierularum, theologi & euangeliſtæ ſubito exiſtitis, confiden-

Cazimirus Rex Pol.

Boëmorum regnum aſpernatus eſt.

fidenterque, & præfractè passim quibusuis locis ac temporibus de religione disputatis.

AVL. Scilicet præstaret interim alea vel chartis ludere, aut perpotare eousq;, donec oculi exiliant, aut nequiter & impudicè confabulari, aut obtrectare denique hominibus & ordinibus. MON. Vtinam quidem ab his rebus vobis temperaretis. AVL. Equidem hæc sicubi fiunt, non laudo: Cæterum lectionem & colloquia de religione, ac de verbo Dei reprehendere non possum. Dauid verò etiã beatũ pronunciat eum, quisquis in lege domini meditatur die ac nocte. MO. Bona quidem sunt colloquia de religione, & rebus ad salutem pertinentibus, si sint modesta, grauia, ac tempestiua, non curiosa, neque pertinacia, ac non cum sciolis itidem & curiosis, vel de hæresi suspectis hominibus, sed cum ijs, qui permultũ tempus in eiusmodi rebus pio studio versati sunt: deniq; in loco, & hoc animi proposito, vt aliquid boni addiscas, nõ vt cõtentioni indulgeas. Hoc enim vetat Paulus, dicens: Noli contendere verbis. Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Quanquam autem nihil prohibet meditari quempiam in lege domini conciones sacras frequentantem, etiamsi ipse non lectitet, eum præsertim, qui à sacris Ecclesiæ ministerijs

Psal. 1.

Colloquia de religione qualia probanda sint.

2. Tim. 2.

Lectio sacrarum literarũ quæ, & in quib. probanda.

nisterijs remotus, alijs vitæ communis officijs distinetur: Sed tamen ne lectionẽ quidẽ ego reprehendo in ijs, qui abundant otio, si habentque nonnullos progessus in literis, cum pio studio piam & honestam vitam cõiũgant. Nam ità demum fructuosa sit sacrarũ literarum lectio. Cui est sanè bonum & vtile incumbere, & in lege domini meditari, vt inde fidem & spem tuam confirmes, charitatẽ accendas, & vitam emendes, familiamque tuam rectè gubernes & instituas: Verum ità, vt ne minima quidem in re à sensu & consensu Ecclesiæ Christi discedere tibi fas esse arbitreris. AVL. Quid si multi errores, multaque praua instituta & abusus extant in Ecclesia? ij'ne assensu vel silentio nobis approbandi sunt? MON. Vtinam nihil sit eiusmodi. Verùm de hoc aliâs, si videbitur. AVL. Iam adeò perturbatus est animi mei sensus, vt prorsus ignorem, quid sequar. MON. Ostendam ego tibi, quid sequare: nec errabis. AVL. Obsecro te sicut me docuisti, quid fugiam, ità doceas, etiam deinceps, quid sequar. MON. Faciam. Verùm reijciamus hoc in alium diem. AVL. Ne in longum reijcias, vehementer te oro. Iam enim me adduxisti in fastidium do-

ctri-

ne istius, quam vocant Euangelicam. Sed
in vestra quidem, quam Ecclesiasticam
catis, omnia mihi probatis, quæ vel ipsi
cetis & sequimini, vel in ijs, qui se à vo-
segregant, reprehenditis. Videmini vos
oque, perinde atque illi, interdum ni-
contentiosè agere. Spero autem te ali-
id æquabile, & verbo Dei consentaneum
turum esse. MON. Idem & ego spero.
pto quidem certè. Nec te fallere velim in
in quo vtriusque nostrũ salus agitur. AV.
enti igitur quæso ad me cras in diuersorium
eum: ibi simul prandebimus. MON. Ne-
sio vbi habites. Nónne autem satius est, te
ad nos venire, & rei diuinæ interesse?
VL. Apage cum vestris Missis, & execran-
is sacris. MON Placide. Nusquam certè
modius liberiusq; colloqueremur, quàm
hac porticu, partim stando, partim seden-
partim inambulando. AVL. Placet: Ve-
m heus tu, qua hora? MON. Duodecima.
VL. Rectè. MON. Tu interim Deum
care, vt gratiam suam vtriq; nostrum im-
tiri dignetur ad gloriam suam. Idem
faciam. AVL. Imò tu pro me quoq; pre-
e, quando quidem vos soletis precum &
norum operum merita alijs quoq; vestro

quo-

quodam iure impertiri. MON. Istuc aliâs. Nunc vale in crastinum. AVL. Tu quoque Monachisce. MON. Hoc malo, quàm pharisæe & lupe.



MARTINI CROMERI COLLOQVIORVM DE REGIONE LIBER SECVNDVS.

Qui est,

DE VERA CHRISTI RELIGIONE, & quid homini Christiano in ea sequendum sit,

Siue, de verbo dei.

Libri secundi colloquium prius.

AVRIACVS. Eccum Aulicum meũ. AVLICVS. Ego verò iam diu te expecto pater. MON. Bene se res habet. Iam patrem me vocat, quem heri Pharisæum & lupum appellauit. Nondum est hora duodecima. AVL. Fortasis: Sed mihi videtur quoque hæc longior esse visa est. Nõ leuiter enim me permouit hesternus sermo tuus

tuus de noua ista religione, siue doctrina, vt tu dicere soles, pseudeuangelica: adeò vt iã ea minus mihi placeat, quàm dudũ. Quod si vos monachi & sacerdotes crebro ita nobiscũ colloqueremini, aut pro concionibus nostris doceretis, minus esset errorũ atq; dissensionum inter nos. Nam licet multi sint, qui propterea nouam illam doctrinã amplectuntur, quia suauis est, & ad licentiã frena relaxat hominibus, sed non pauci sunt itẽ, qui religionis & pio zelo incitati, ac salutis æternæ cupidi, cũ in istos Euãngelicos concionatores, aut libellos eorum inciderint, idẽ patiuntur quod famelici: nempe, vt cibum fortuitu obtum, aui dè vorent, nõ reputãtes secum, sit ne is salubris, an insalubris. MON. Vera dicis; priusquã nouerint, quid nos doceamus, cœcidit nostri, doctrinæq; nostrę odiũ imbibũt. Et nimilli perfricta frõte vbiq; sese ingerũt & cõfidẽter de omnibus disserũt. AV. Et quidẽ iã crã scripturã quasi è manica, vt vulgo dicitur, fundẽtes, tertio quoq; verbo Euangelium & verbũ Dei crepãt. Vos verò ad instituta & mores siue traditiones Ecclesiasticas, quasi ad normã quandam, pleraq; omnia reuocatis, & quod semel vsu & cõsuetudine inueteratum, qualecunq; id est, mordicus defẽsatis. Hîc ego sanè quàm lubẽs ex te didicero, quid nos

Hæresiõn nostri temporis propagatarũ causa.

sequ

equi oporteat. Ea de causa hîc nunc adsum, vesterni promissi tui exactor. Spero autẽ te nihil eiusmodi dicturum esse, quo me in erborẽ inducas. MO. Auertat Deus, vt aliquid olsi aut praui te doceã. Agitur in eo, sicut hedixi, salus animæ meæ pariter ac tuæ. Nihil olicam, quod verbo dei confirmare & probare nequeam. AVL. Istud equidem lubens audio. Enimuerò hoc est verum certumque religionis nostræ fundamentum: Quo si nitemur, nunquã aberraremus, neq; essẽt inter Christianos ista dissidia. MON. Rectè istud perpẽdis: Verbũ Dei esse verum, certũq; verę religionis fundamentum. Neq; enim intellectus vllus creatus immensã illam & infinitam diuinæ naturæ lucẽ perspicere, voluntatemq; Dei comprehendere potest, nisi quatenus ipse se cuique impertit. Ipsius igitur Dei verbo informemur necesse est, quid nos sequi, quid fugere in religione ac Deo colẽdo oporteat. *Verbũ Dei religionis fundamentum.* A hoc fundamento si recedamus, in fœdos falsarum religionũ errores, & in sempiternũ interitum, quod procul Deus auertat, delabimur necesse est. AV. Ità profectò docẽt Luthe ani, siue, quemadmodũ ipsi vocari volunt, Euangelici: & hoc mordicus tenẽt. Atq; ob id segregant sese à vobis monachis & sacerdotibus, ducuntq; vos pro alienis à vera Christi

Eccle-

Ecclesia, quæ verbo dei regatur: asserentes, vos à Dei verbo discessisse, humana commenta secutos: ita vt in vos quadrare dicant illud, quod Dominus dixit Pharisæis: Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram. Quin contaminasse vos religionem Christianam, non modò prosanis superstitionibus, verumetiam idololatria, prædicant. MON. Ita quidem illi nos vulgo traducunt & criminantur: Sed non sine impudenti calumnia. Quod prius quàm planum fiat, constituendum nobis est certi aliquid de verbo dei, ad quod deinde, quasi ad amussim certissimam, doctrinam nostram expendamus. AVL. Placet. In dirimendis enim controuersijs, de iudice siue arbitro primum conueniat oportet. MO. Arbitrãtur isti, solas scripturas sacras esse verbũ Dei. Sed falluntur, aut fallũt planissimè. Nam neque solæ sacræ scripturæ, neq; eæ quolibet sensu prolatæ & intellectæ, sunt verbum Dei. AVL. Quid ais? Mihi certè permirum, ne dicam absurdum videtur, & Christi magistri nostri præcepto, quod nos scrutari scripturas iubet, cõtrarium, si vsquã alibi, quàm in scripturis verbum dei, Christique doctrinam quæramus: aut, si quis vnquã eas neget esse verbum Dei. MON. Non videbitur, spero, tibi mirum, neque contrarium Chri-

Matth. 15.

Scripturæ sacræ non solæ uerbũ Dei.

Propositio

Ioan. 5.

Christi doctrinæ, cum quę dixi probauero, &
id oculum demonstrâro. AVL. Id expecto.
Sed memento, quomodo inter nos cõuene-
rit de ratione probandi. MON. Memini. Ac
primum illud pertractemus, Nõ solis scriptu-
is sacris verbum Dei contineri. Sic autẽ rem
ccipe. Homo, cum sit solus inter animantes
nente & ratione præditus, non modo ea, quę *Hominis*
unt & fiunt in rerum natura, intelligentia in- *præstantia;*
estigat & percipit, & quę præteriere memo- *Ratio &*
ia complectitur, multaque præterea naturæ *oratio.*
estigijs insistens excogitat, verumetiam ani
mi sui sensa alteri communicat & explicat. Id
autem facit partim verbis & sermone, partim
scriptura, partim nutibus & gestibus, siue alijs
quibusdam signis. Sed horum omnium cer-
tissimus & maximè proprius interpres men-
ipsum animi sensum siue conceptum, Græci *Sermo &*
λόγον vocãt: Latini, Theologi præsertim, nõ- *uerbum,*
nunquã verbũ dicere malũt. Huic scriptura, *interpres*
& nutus, gestusq; subseruiũt, & vicariã operã *& mentis*
nauãt. Atq; hinc est, q̃ quãuis hæc inter se di-
stincta sint, & vni cuidam generi subiecta, ta-
men quia propriam id appellationem nõ ha-
bet, nõ est inusitatum, vt non modo id, quod
ore enunciatur, sed etiam quod manu scribi-
tur, siue alijs quibusdam signis indicatur, ser-

monis & verbi nomine appelletur: Et quidē nō tā ipsa vox articulata, aut nominū aut verborū cōtextus voce prolatus, scriptus ve, aut figura, nutus, gestusq; corporis & membrorū hac sermonis & verbi appellatione designatur, quàm comprehensa his rebus sensa, quæ de animo loquentis, scribentis, vel significantis in animum audientis, legentis, intuentis, aut quouis alio modo percipientis transfunduntur. Cū autē Deus etiā, pro summa sua bonitate, & erga genus humanum benificentia, mentem & voluntatem suam diuinam hominibus ad salutem ipsorū, suamq; gloriā patefaciat, id quoq; siue voce, siue scriptura, seu signo quopiam sensibus obiecto fiat, seu quo alio arcano modo animis insinuetur, verbum & sermonem Dei vocamus. Nec refert, per se ipse Deus id faciat, an angelorum hominumue, siue alius cuiuspiam naturæ conditæ ministerio. Nam & in humanæ vitæ consuetudine, si quid legatus vel administer domini sui mandato loquitur, ipsius domini verba, seu verbum id esse dicimus: Itemque scripturam seu literas domini appellamus, quas Amanuensis eius nomine & mandato cōscripsit. Quin etiam si literæ ab alio atque alio transcribātur, dictaue iterentur, vel etiam describātur, nihilominus rectè eius esse ver-

Verbū Dei quid appelletur.

verba dicuntur, cuius mentem voluntatemq; explicant. Itaque propriè quidem verbum Dei dicimus id, quod Deus ad Abrahã vel Mosen (exempli gratia) locutus est, siue id per Angelos, siue alio quopiam modo factum est. Sed & internæ Prophetarũ inspirationes, rectissimè verbi Dei nomine cẽsentur. Hinc est illud Dauidicũ: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Decẽ quoq; præcepta legis in tabulis lapideis digito Dei scripta, rectè verba Dei dicuntur. Illud item ubi ardentis & non conflagrantis visum sibi ostentum, quod vidit Moses: Itemq; id, quod Petrus in Ioppe, non perperàm verbum Dei dicitur. Quomodo etiam Labã & Bathuel in Genesi sermonem dei appellãt, euentum rerum menti serui Abrahæ respondentem. Nec minus autem rectè id, quod sibi Moses, siue Esaias, seu quis alius, quẽ Deus alloquio vel spiritu suo dignatus est, diuinitus acceptũ alijs hominibus impertiuit, siue id viua voce, seu scripto, siue alio quopiã signo fecit, idq; postea per longam seriẽ succedentium sibi inuicẽ hominũ alijs atq; alijs quasi per manus traditum est, Dei verbum à nobis appellatur: dum modo eo sensu accipiatur, qui sit menti ac voluntati Dei consentaneus. Alioqui enim nihil minus

Heb. 2
Actor. 7.
Psal. 84.
Num. 9.
Exod. 3.
Act. 1.
Gen. 24.

erit, quàm verbũ Dei, licet ab angelo vel Pro-
Matth. 4. pheta profectum, & conscriptum esse cõstet. Qualia fuerunt ea, quibus Satan filium Dei tentans in deserto vsus est. Licet enim ille verè diceret: Scriptum est enim: & quemadmodum scriptum erat proferret, tamen quia nõ eo sensu id proferebat, quo à spiritu Dei per Prophetam prolatum erat, non erat Dei verbum, sed mendacium, quod ille ex propris loquitur. Quoniam autem Christus dominus dei filius, ac Deus verus est, quicquid is,
Ioan. 8. cum in terris inter homines versaretur, locutus est aut scripsit, aut gestu signos ue vllo in mysterio repræsentauit, pro vero Dei verbo id habendũ est: & quidem expressiore, quàm quod à Prophetis enunciatũ, vel scriptis mandatum est. Hinc Paulus Epistolã suam ad He-
Christi doctrina uerbũ est Dei.
Heb. 1. bræos ita orditur: Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Hic est, qui quęcunq; audiuit à patre suo
Ioan. 15. nota fecit nobis. Hic cũ nos de potestate peccati Satanę, & mortis morte sua liberasset,
Ioan. 1. ac filios Dei, vitæq; æternæ, & regni cœlestis hęredes effecisset, siue adeò, vt magis propriè cũ Ioãne Euãgelista loquar, potestatẽ nobis,
Christus nõ solum seruator est, uerumetiam magister vt tales fieremus, dedisset: viã etiã, qua hęc tã pręclara assequi queamus ac debeamus, Deúque bonorum illorum authorem cognosca-

mus, & rite in ſpiritu & veritate colamus, doctrina & exemplo ſuo nobis demonſtrauit, ſiue, vt Paulino verbo vtar, initiauit. Apoſtoli verò ac cęteri diſcipuli eius, cum ab ipſo eruditi, tũ à ſpiritu ſancto illuſtrati, eius iuſſu per vniuerſum orbem terrarum propagarunt. Inſeuerat quidem initio deus in animo hominis à ſe conditi non obſcuram ſui cognitionem, per quam is non ignoraret ſuũ & cæterarum omnium rerum conditorẽ atq; moderatorẽ, & quid ei placeret, quid diſpliceret: quò actiones ſuas vitamq; omnem ea quaſi certa quadam regula ad benè beateq; viuendũ dirigeret. Verùm ea cognitio, poſt vitiatam peccato naturam, genusq́ue humanum tyrannide dęmonum oppreſſum, obſcurata, ſenſimq́ue obliterata eſt propemodum. Hinc poſtea falſæ religiones ab hominibus excogitatæ, vel maligna dæmonum fraude ſuggeſtæ extiterunt: Quibus nõ modò verus rerum omnium opifex Deus ſecus, quàm par eſſet, & quàm ipſe vellet, verum etiam naturæ ab ipſo conditæ, & longè infra diuinitatẽ poſitæ pro dijs coli cœperunt. Nec ſatis fuit, angelos & homines dignitate & beneficẽtia pręſtantes, hoc honore dignari, ſed ipſi potiſſimum noxij dæmones, dementatis à ſe hominibus ſeſe pro dijs inſinuarunt, & prodigioſis

Ioan. 4.
Heb. 10.
Religionis ſemina.
Falſarũ religionũ origo ac turpitudo.

ritibus, flagitijsq; ac scelerib. coli se instituerũt. Quin ad rationis etiã expertes mũdi partes, cœlũ, solẽ, lunã, ac cætera astra, elementa itẽ, & flumina, & mõtes, & brutas animantes, feras, beluas, serpẽtes, mõstra, flores quoque & allia, & cepas: Denique ad febres & alios morbos: & ad extremum ad statuas & imagines mortuorũ hominum, atq; adeò obscœnis quoq; mẽbri, humanis manibus fabrefactas honores diuini delati sunt. Nõ est tamẽ passus Deus Opt. Max. genus humanũ in ijs tenebris & stultitia penitus cõsenescere & interire. Nõ defuere primis illis sæculis, qui paretũ & maiorũ suorũ traditione & moribus informati, ac diuinitus etiã illustrati, rectè solũ verũ Deũ colerẽt. Quales fuere post diluuiũ, Abraã, Melchisedech, Lot, Isaac, Iacob, Iob, & alij. Nã ante diluuiũ retẽtus est tamẽ publicè vnius veri Dei cultus. Ad extremũ vnum sibi delegit populũ Deus de posteritate Abraã, cui per Mosẽ seruũ suũ legẽ tulit, tẽperarios quosdã colẽdi sui ritus, & vitæ degẽdæ præcepta cõtinentẽ, donec instauraret omnia in Christo filio suo, quemadmodum ab æterno prędiniuerat, verãq; ac sempiternã religionẽ iam non vni populo, sed vniuerso generi humano per eum proderet: cuius quasi seminarium quoddam lex illa continebat. Neque eo

Religio uera retenta à patribus.

Idololatriæ initium.

Legis Mosaicæ finis.

Ephes. 1.

eo contentus, per Prophetas etiam subinde
excitatos, mandatisque suis instructos, eum
bsum populum, præfractum & ad impietatē
facilè prolabentem, ad officium reuocabat,
& pedetentim à temporariæ illius legis vm-
bris ad promissam ac tenuiter etiamtum de-
lineatam veræ religionis lucem traducebat.
Quæ tandem suo tempore à Christo domino Doctore iustitiæ, per Prophetam quendam olim promisso, ac certissimo & fidelissimo Diuinæ voluntatis interprete, vtpote ipso Dei verbo, veroque Deo, cum certa totius generis humani salute prolata est & explicata. Hinc rectè Petrus cū cæteris Apostolis a b eo sibi discedendum esse negauit, quòd eum verba vitæ æternæ habere diceret. Quæ verba Cyrillus Alexandrinus Episcopus ac Doctor eximius explicans, ita scribit: Hinc etiā discimus, vnum solummodo Christū sequē-dum esse Magistum, illi soli inhærendum, qui ad vitam æternam deducere potest. Sic enim in primogenitorum Ecclesiam ingressi, vltima beatitudine perfruemur. Hoc igitur est verbum Dei, quo nos, qui à Christo Christiani dicimur, in colendo Deo, & vita ac beatitudine æterna adipiscenda potissimum niti oportet. Quod vocatur etiā Euangelium, hoc est, bonus nuncius, quia per id quid.

Christus ue
ræ religio-
nis Doctor
Ioel. 2.

Ioan. 6.

Cyrillus in
Ioan. lib. 4.
cap. 28.

Euangeliū

Lex Euangelica & Christiana

recõciliatio Dei, & salus generi humano perdito nunciatur. Dicitur & lex Euangelica ab eo ipso Euangelio: & Christiana, à Christo authore: eò quod continet præcepta, quibus ad propositam per Christum Dei gratiam & salutem peruenitur. Quomodo autẽ ea nobis lex atque doctrina, idq́; euangelium & verbum Dei proditum est? Principio in confesso est, Christum ipsum seruatorem ac magistrũ nostrum ante mille quingentos amplius annos in mundo inter homines communẽ vitã degentem, licet propter omnium totius mundi, & omnium sæculorum hominum salutem venisset, tamen in vna tantum orbis terrarum portiuncula, nempe in Iudæa siue Palestina, solos ferè gẽtiles suos Iudæos paulò plus tribus annis viua voce & exemplo suo docuisse: scriptis verò nihil mandasse. Semel duntaxat legimus eũ scripsisse, idq́ue in terra ac in puluere: quod ilicò vẽtus difflauit, vel homines pedibus delerunt. Discipulis quoque suis & Apostolis, hoc est, legatis, quos in vniuersum orbem terrarum dimittebat, nõ præcepit jis, vt aliquid scriberent, sed vt itidem docerent: quemadmodum testificatur Matthæus in Euangelio suo, scribens, quòd Dominus Iesus cum resurrexisset ex mortuis, ascendens ad Deum patrẽ, sic eis præceperit: Euntes ergo do-

Christianã doctrinam uoce traditam esse.

Ioan. 8.

Matth. 28.

ete omnes gentes, baptizantes eos in nomi-
ne Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes
eos seruare omnia, quæcunque mandaui vo-
bis. Etsi autem non verbis modò, sed etiam
signis atq; scriptura, sicut iam dixi, docemur,
tamen ad sermonem atque prædicationem
Christum id retulisse potissimum, è Marco Mar. 16.
discimus: Qui eiusdem præcepti mentionem
faciens, his verbis vtitur: Euntes in mundum
vniuersum, prædicate Euangeliũ omni crea-
turæ. Intelligebat nimirum doctor orbis ter-
rarum sapientissimus, atq; adeò ipsa Dei vir- *Ars nulla*
tus, ac Dei sapientia id, quod ne humanarum *sine præce-*
quidem rerum vel mediocriter periti igno- *ptore &*
rant. Nullam artem (nedum eam, quæ sit om- *exercita-*
nium præstantissima & difficilima, colendi, *tio de disci-*
inquam, Deum, & ad summam beatitudinẽ *tur.*
perueniendi, qualis est vniuersa Christi do- *Cic. in epi-*
ctrina) literis sine præceptore, vt scribit qui- *stol. famil.*
dam, & sine aliqua exercitatione percipi pos-
se. Acproinde non scribendo, verùm docen-
do ac prædicando eam ipsam siue artem, siue
doctriuam omni creaturæ, hoc est, omnibus
totius mundi hominibus à paucis illis, quos
ad hoc delegerat, ac itidem non scribendo,
sed docendo tum verbis, tum exemplis suis
instituerat, tradi voluit. Et quo id rectius illi
& expeditius facere possent, omnium totius

mundi non literarum, sed linguarum peritiã cœlitus per spiritum sanctũ ipsis infudit. Hoc est Euangelium, quod illi & successores eorum Episcopi & presbyteri vniuerso mundo & omnibus sæculis quasi per manus tradiderunt, domino opitulante siue cooperante, & sermonem eorum signis confirmãte (sicut scribit Marcus, & Paulus ad Hebræos) sermoné; illud doctrinę ac verbi sui diuini gratia sua fouente, vt in cordibus hominum radices ageret, creſceret, fructumq; proferret, sicut per Hieremiam prophetã pridem promiserat. Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum. Et paulò pòst: Post dies illos, dicit dominus, dabo legem meam in viscèribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Quæ verba Paulus repetit, & ad hanc ipsam rem accommodat. Hoc est verbum dei viui & efficax, & penetrantius quouis gladio ancipiti, quemadmodum scribit idem Paulus, quo solo Ecclesia Christi administrata est aliquamdiu, nullum scriptũ Euangelium, neque vllam aliam scripturam præter veterem Hebræorum legem habens. Hoc est illud Euangelium, de quo Paulus scribit Corinthijs: Per Euangelium ego vos genui. Itemque Timotheo: secundum Euangelium meum. Nó scri-

Euangeliũ non scriptũ

Mar. 16.

Heb. 2.

Hiere. 31.

Heb. 8.

Heb. 4.

scripsit sanè Paulus vllum Euangelium: Ne epistolam quidem ad Corinthios vllam scripserat prius, quàm illud scriberet, quod eos per euangelium genuerit. Ad Timotheum scripserat quidem, sed in ea nihil est eiusmodi, quod hoc loco cõmemorat à se in Euangelio suo traditum fuisse. Neq; id de Lucæ Euãgelio accipiendum est, vt volũt nõnulli, quasi Lucas id ex traditione atque doctrina Pauli conscripserit. Ipsemet enim Lucas testatur se id conscripsisse, assecutũ omnia diligẽter à principio, quemadmodum & alios multos, è traditione eorum, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, hoc est, discipulorum Christi, inter quos Paulus non fuit: quod ex actis Apostolorum ab eodem Luca conscriptis planum est. De hoc ipso Euãgelio Galatis quoq; idẽ Paulus scribit. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, siue Christo, siue Euangelio (nam ad vtrunq; id referri posse videtur) qui, vel quod, vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: Quod non est aliud: Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Et mox: Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepistis, anathema sit. Hoc Euangelium cum ipsis etiam Apostolorum temporibus pseudapo-

2. Tim. 2.

Luc. in præm. Euang.

Gal. 1.

Euangelij probandi et uindicandi rationes.

dapostoli quidam & hæretici, quales fuerũ Hymenæus, Alexander, Ebion, Cerinthus, & nonnulli alij, adulterare cœpissent, non tã veteris testamenti scripturis, quibus ipsi plerunque nitebantur, quàm authoritate atque traditione eorum, qui Christum penitius nouerant & audierant, vel consensu eorum, qui cũ apostolorum fuissent discipuli, secundũ eos, & eorum authoritate Ecclesijs præerant, vel denique succedentium his Apostolicorum virorum miraculis refellebantur, & verũ Dei verbũ ab eorum fraudibus & mendacijs vindicabatur, quemadmodum de veteris quoque testamenti prophetis heri à me demonstratum est, quod ad miracula attinet. Atque ea demum erat vera Christi doctrina, verumque Euangelium, quod vel ipsi Apostoli eius tradidissent, vel eorum, qui per eos Ecclesijs præfecti essent, consensus, vel Deus ipse euidentibus & humanam virtutẽ superantibus miraculis approbasset, siue id veteris testamẽti scripturis confirmaretur, siue non. Hinc Paulus, quamuis Christum cœlitus sibi loquentem audiuisset, tamen ad Ananiam discipulũ ab eo missus est, vt inde disceret, quid sibi facto opus esset. Ac ne dubitaret, id esse verbũ Dei, miraculo curatæ cœcitatis eius discipulo suo Christus ipse fidem astruxit. Idemq; Paulus

Act. 9.

2. Cor. 12.

lus licet in Paradiso ac tertio cœlo audisset arcana verba, tamen secundum reuelationem, sicut ipse scribit, ascendit Hierosolyma, & cõtulit cum illis (Apostolis videlicet, ac cæteris qui Christum audieran) t Euangelium, ne forte in vanum curreret aut cucurrisset. Cui cõsentaneum est id, quod Papias Hierapolitanus episcopus Apostolorũ temporibus proximus, extantibus iam euangelicis & apostolicis scriptis, de se scriptum reliquit, vt est apud Eusebium. Se suborta aliqua dubitatione de doctrina, considerasse, quid quispiam apostolorum, aut aliorum discipulorum domini dixisset. Non enim tantum ijs, quæ libris mandata erant, quantum viua & manẽte vocẽ adiutum se esse. Iam cum quidã descẽdentes de Iudæa docerent gentes, quòd nisi circumciderentur secundum morem Mosis, non possent saluari, & verbo dei niti viderẽtur: Paulus autem cum Barnaba ipsis aduersaretur, non delatum est in eo Pauli diuinitus, vt dixi, docti authoritati, neque ad scripturas recursum est: sed statutum est, vt ea de re ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem referretur. Et quod ij communi consensu decreuerũt sine vllis scripturarum testimonijs, acceptum est à Christianis, perinde ac verbũ dei, & spiritus sancti doctrina, licet ei scriptu-

Gal. 1.

Papias.

Eusch. hist. eccl. lib. 3. cap. 39.

Act. 15.

ræ veteris legis refragari viderentur. Porro
Act.13. cum Sergium Paulum proconsulem à Paulo
& Barnaba audientem verbum dei Elymas
magus à fide auertere conaretur, miraculo
Paulus doctrinam suam comprobauit, cùm
eum cæcitate percussisset. Qua ratione
Petrus quoque, diuersum docente Simone
Mago, nõ semel, nec vno in loco vsus est re-
Clem. in li. ste discipulo eius Clemente Romano. Idéq;
recognit. et Petrus ludæis ad fidẽ conuersis, & zelo quo-
de act. Pet, dam verbi dei ac legis Mosaicæ secum disce-
Act.11. ptantibus, vt est in actis Apostolorum, non ni-
si visi & præcepti diuini expositione, quàm
consecuti in domo Cornelij miraculi enarra-
tione satisfecit, ac verbum esse dei, quamuis
non è scripturis legis diuinæ petitum, vt gen-
tiles quoque in consortium Euãgelij recipe-
rentur, comprobauit. Proinde Marcus etiam
concludens euangeliũ suum scribit, Apos-
tolorum sermonem & prædicationem confir-
Eus. hist. matam esse à domino sequẽtibus signis, hoc
eccl. lib. 3. est, miraculis. Adstipulatur his & Eusebius
cap. 24. Cæsarien. Sed in re manifesta testibus opus
non est. Hæc igitur tunc erant documenta
veræ Christi doctrinæ & verbi dei: Quod nõ
in chartis vel membranis, vel æreis lapide-
isue tabulis, sed in auribus & cordibus ho-
minum Dei digito per ministerium homi-

num

rum scribebatur. Nempe testimonium Apostolicum, consequentium præsidum Ecclesiæ consensus, & miracula. Alioqui nihil fuisset religione nostra perplexius, multis, vt dixi, iam tunc existentibus, qui & ipsi Euãgelium & verbum Dei crepabãt, sed vel somnia sua pro verbo dei venditabant, vel ad Mosis & Prophetarum scripta inconueniẽter prouocabant. De quibus quæritur aliquoties Paulus, itemq; alij Apostoli. AVL. At Apostoli & Apostolici viri iampridem dormierunt, & miracula cessarunt. MON. In pseudeuangelicis tuis non iniuria requiras reliquiorum Apostolorum authoritatem & miracula, qui se doctrinam à multis seculis ignorantam, nunc demum è tenebris proferre gloriantur, & apostolicam eam esse contendunt, cum nihil minus sit, sicut ostendi heri. Nos verò, qui vnà cum maioribus nostris insitos greminum ecclesiæ catholicæ ab Apostolis conditæ, & hucusque perdurantis, atq; ad consumationem seculi perduraturæ, nos cõtinemus, idipsum Euangeliũ, per quod cũ illorum quoque parentibus & maioribus in Christo regenerati sumus, & eã ipsam doctrinam retinemus, quæ ab Apostolis & Apostolicis viris tradita, & innumerabilibus ac stupendis miraculis, consensuque perpetuo

Miracula requirenda ab hæreticis.

Chri-

Christianorum populorum, atque concilio-
rum in spiritu sancto congregatorum com-
probata, per continuatam ad nos vsque succe
dentium sibi inuicem ætatum & sacerdotum
traditionem in Ecclesia Christi conseruatur.
Hoc igitur Euangelio ac verbo Dei nos sine
vllis nouis miraculis, & rediuiua apostolorũ
authoritate rectè nitimur. AVL. An non re-
ctius autem ac tertius id ex ipsis apostolorũ
& Euangelistarum scriptis petitur? Inanũ igi-
tur scribendi laborem sumpserunt Euange-
listæ ac cęteri Apostoli. Aut non videntur ti-
bi eorum scripta habenda esse proverbo dei?
MON. Apage. Mihi verò idem videtur, quod
tibi, & omnibus verè Christianis: Ea item esse
germanã & falsi expertẽ veritatẽ, & ipsissimũ
verbum Dei, spiritu Dei ab Apostlis conscri-
ptum. Sed dubium nõ est, id aliquanto pòst,
cùm late iam viua voce propagata esset reli-
gio Christiana, factum esse, & non in hoc fa-
ctũ, vt ijs scripturis omnis Christi doctrina
& religio contineretur, & nobis proderetur.
Ac Matthæus quidem post octauum, vel, vt
alij volunt, duodecimum, vel, vt Irenęus, post
vicesimũ demum à Christi ascensione annũ
in Aethiopiam iturus, primus omnium Euan
gelium Hebraica lingua conscripsit, Hebræ-
isque monimẽti loco reliquit. Hunc secutus

Scripturæ sacræ uerbum Dei.

Euangelia quando conscripta sint.

Irene. lib. 3. aduer. hæreses.

Mar-

Marcus, Romæ, quæ cum alijs pariter à Petro audiuerat, breui scripto complexus est. Post hunc Lucas scripsit in Græcia, quemadmodũ non ipse Christus, verùm discipuli eius tradiderunt. Ad extremum Ioannes, amplius sexaginta annis, vel non minus quadraginta post Christi ascensionem, sicut alij volunt, in Asia suum edidit Euangelium. Quæ ita memorant vetusti ac temporibus illis propinqui scriptores, Papias Hierapolitanus episcopus & martyr, Clemens Alexandrinus doctor insignis, Origenes Adamantius, Eusebius Cæsarien. episcopus, Hieronymus, & alij. Idem existimandum est de Pauli & aliorum Apostolorum epistolis: Eas diuersis temporibus post prædicatum ac disseminatum iam multis in locis & gentibus Euangeliũ, ad eos, qui Christi fidem atque doctrinam susceperant ac tenebant, scriptas & missas esse. Atque hoc est, quod nostri contendunt & euidẽter ostẽdũt, ecclesiam Christi antiquiorem esse scripturis euangelicis & apostolicis: non verbo dei prorsus, quemadmodum impudenter calumniantur nonnulli ex istis vestris pseudeuangelicis, & verè malignantium Concilium Luneburgi nuper habitum. Verbo enim dei à condita, semperque gubernata est: Non tãmen scripto tamen, quàm viua voce à filio Dei & discipulis

Euſ. eccl. hiſt. lib. 2. cap. 6.

Hier. de ſcrip. eccl.

Pauli Epiſtolæ diuerſis temporibus ſcriptæ

Eccleſia prior quàm ſcriptura.

Luneburg. cõciliabulũ

Eccleſ. uerbo Dei condita & gubernata.

discipulis eius, eorũq; auditoribus & successoribus prodito. AV. Quid igitur Euangelistæ ad conscribẽda Euãgelia impulit? Non aliud certè, quàm vt Christi doctrinã omnẽ cõmunem natã posteris relinquerent. MO. Nequaquam.

Euangelia cur sint prodita.

AV. Quid igitur? MO. Dicã. Vt ei doctrinæ prædicatione apostolorũ & aliorum ad hoc delectorum latius propagandæ fidẽ adstruerent, & quasi viam munirent, simulque vt iam initiati & imbuti haberent, quo subinde etiam absentibus præceptoribus, eorum, quæ audierant ac didicerant, commonefierent, aduersus exoriẽtes iam tunc de Christo, eiusque doctrina falsas & peruersas opiniones vera ac certa narratione & historia, quasi apparato quodã præmunirẽtur. Fuit enim necessariũ imprimis ad propagandã iuxta ac stabiliendã Christi doctrinã, omni ratione firmare, & in animis hominum penitus infigere, quasi fundamentũ quoddã certũ firmumq; omni illi ædificio substernere, quis nam ipse Christus fuerit, vnde extiterit, quid egerit, & cur ei, legatisq; eius de rebus tãtis, tamq; sensu & intelligẽtia humana remotis indubitãter credendũ sit, quamuis reclamãtibus Iudæis, philosophis, & quibusuis impostoribus.

Euangelistarũ propositum.

Atq; ideo Euãgelistæ nõ tã doctrinã Christi quæ diligẽter passim ab ipsis ac cæteris discipuli

pulis eius docebatur, scribẽdo persecuti sunt,
quàm prosapiã, ortũ, vitã, obitũ, resurrectio-
nem, ascensum ad cœlos, & miracula conscri-
serunt. Ne ea quidem absolutè, sed eatenus,
quatenus cuiq; opus erat ad id, qd sibi pro- *Euangelio-*
posuerat. AV. Quomodo? MO. Nempe, Mat *rum argu-*
thæus, quoniam Iudæis scribebat, volens eis *menta.*
demonstrare, Iesum Christum verũ esse Mes- *Matthæus.*
siam in lege ipsorũ promissum, & ab ipsis cu-
pidè expectatum, formam quidem doctrinæ
eius summo tantũ penicillo delineauit. Cæ-
terum genus eius è stirpe Dauid & Abrahæ
diligentius deduxit, testimoniaq; Propheta-
rum, & argumẽta præstantię ac dignitatis eius
conscripsit, ea, quæ circa ortum & obitum ei-
us, quæque intermedio tempore acciderunt,
quæq; ab eo patrata sunt miracula, ne quis fa
cile à scribis, pharisæis, & saducæis, authorita
tẽ eius euertere aut labefactare conãtibus, se-
duceretur. Et tamẽ is de his ipsis etiã, quę sibi
proposuerat describenda, multa prætermisit,
quæ extãt apud alios Euãgelistas. Quod Epi- *Epih. cont.*
phanius quoque antiquus & illustris scriptor *hæres. lib.*
q; Episcopus cõmemorat. Marcus, quoniã *2. to. 1.*
non Iudæis scribebat, verùm ethnicis, qui de *Marcus.*
Messia promissionẽ non habebãt, omissis in-
cunabilis eius, à baptismo ac testimonio Ioã-
nis orsus est, nec ferè quicquã prętermiracula

Christi, diuinitatis eius documenta, persecutus est, quò maiorem Romani fidem haberent eius doctrinæ, quam crebrò Petro concionante audiebant. Lucas cum vtrunque hoc Euangelium vidisset, historiam ortus Christi, quæ à Matthæo & Marco prætermissa erat, diligentius exposuit, ne Christiani Iudaicas fabulas, vel pseudapostolorum & græcorum impostorum nascentis Euangelij luminibus officere satagentium, commenta & nænias in eo sequerentur. Quin & ea, quæ ipse Christus in terris degens egit, & formâ doctrinæ eius, & quæ circa mortem & statim post resurrectionẽ eius acciderũt, luculẽtius is, quàm superiores duo attexuit, ne ea quidẽ omittens ferè, quæ illi iam conscripserant.

Lucas.

Euangelistæ tres, tertij tantũ anni acta Christi conscripserunt.

Euseb. hist. eccl. lib. 3. cap. 24.

Quoniam autem omnes hi tres ea modò persecuti sunt, sicut apparet è scriptis ipsorum, & attestatur Eusebius, quæ Christus tertio demũ anno, ex quo docere cæperat, egit, & quo nia exorti erant cum alij, qui ad Iudaismum Christianos transferre studebãt, tũ Ebion & Cerinthus, qui Christum hominem tantùm & Prophetam sanctum, sicut etiam nunc Turcæ & Saraceni, & Trinitarij nostri sentiunt, ac non Deum esse asseuerabant, eum errorem vt tolleret, & quod in cæteris euangelijs de actis Christi ipsius requirebatur, vt suppleret,

Ioan-

Ioannes, rogatu Christianorum in Asia Euan gelium suum longè pòst, quemadmodum au diuisti dudum, conscripsit, à baptismo Ioannis orsus. In quo & ipso tamen non multum extat doctrina Christi, præter, quæ is duobus sermonibus, altero cum Iudæis in templo, altero cũ Apostolis in vltima cœna disseruit, ad suam ipsius ac spiritus sancti diuinitatem, & cum Deo patre æqualitatem & vnitatem cõprobandam, concordiamque & amorem mutuum inter discipulos stabiliendum pertinentia. Vnde perspicuum est, Ioanni ac cæteris Euangelistis hoc in primis fuisse propositum, qui fuerit, & quid in mundo egerit Iesus, ac non quid docuerit, describere. Quare vide quid scribant vestri consarcinatores, seu verius corruptores historiæ ecclesiasticæ Magdeburgen. De hac parte, inquiunt, hoc est, de homine ante & post lapsum, admodum pauca literis ab euãgelicæ historiæ scriptoribus mandata sunt, quamuis non sit dubium, Christum de eiusmodi rebus crebrò ac singulari dexteritate suos auditores erudijsse. Habebant enim hoc propositi Euãgelistæ, vt historiam redemptionis humanæ posissimum memoriæ mandarent, totique posteritati relinquerent. Non igitur curiosius dogmatica omnia persecuti sunt. Hæc illi.

Ioannes.

Hist. eccl Magd. cẽt. 1. l. 1. ca. 4.

Tametsi ne quæ egit quidem Christus omnia descripserũt euãgelistæ, sed ea modo, quę faciebãt potissimũ ad adstruendã doctrinæ ipsius fidẽ: sicut ipsemet Ioannes testificatur, ita
Ioan. 20. scribens: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorũ suorũ, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hęc aũt scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus, filius Dei, & vt credentes vitã habeatis in nomine eius. AV. Hæc Ioannes de suo tantũ Euãgelio scripsit, qui non omnia acta, neq; omnẽ doctrinã Christi, quemadmodũ tu ipse fateris, cõscripsit: Ac ne cæterorũ quidem Euangelistarum vnus quispiã id præstitit, verùm oẽs eam pariter cõplexi sunt, spiritu sancto id agente, vt quod vnus prætermisit, alius suppleret. MO. Ita quidem est, quòd alius ab alio prætermissa suppleuit, quemadmodũ & ego dudũ dixi: Sed in eo tantùm, quòd quilibet eorum sibi proposuerat: nimirũ in actis Christi enarrãdis demonstrãtes, eum esse Christũ, vt ait Ioannes, hoc est, Messiã in lege promissũ, & Liberatorẽ ac Doctorẽ totius mundi, verũ Deũ ac hominem: Quidque is egerit, & quid perpessus sit verè, & sua sponte, non per vim adactus pro nostra salute. Quo alacrius Iudæi & Ethnici ea legentes, doctrinam eius, quæ in vniuerso orbe terrarum per Apostolos viua

Euangelistarum propositum.

voce disseminabatur, amplecterentur, tenaciusq; retinerent. Verum est & illud, de suo Euãgelio Ioannẽ scripsisse, nõ omnia in eo libro scripta esse, quę Iesus fecit: Sed illud quo que perpẽde, quod addit idẽ. Quòd si omnia scribãtur, mũdus ipse non posset capere eos, qui scribẽdi essent, libros: tantùm abest, vt ea quatuor hisce Euãgeliorum libris, quos perbreues habemus, comprehensa sint. Ac si maximè à Ioanne scriptum hoc non fuisset, tamẽ res ipsa indicat, Christũ dominũ, qui non ob aliud in mũdum venerat, quàm vt quæreret, saluumque faceret, quod perierat, tribus annis amplius assiduo iam turbis publicè, iam priuatim solis Apostolis concionantem, aliquanto plura docuisse, quàm Euangelistæ cõscripserunt, qui pauculas modò quasdam cõciones eius, easque ferè parabolicas, & ad cõgregandam magis, quàm informandã & gubernandam Ecclesiam pertinentes, descripserũt, atq; id perquàm breuiter. Ipse verò de se testificatur: semper se docuisse in synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conuenibant. Et apud Matthæum: Quotidie sedebã apud vos in templo docens. Certè nõ semper idẽ repetebat. Ea verò, quæ sunt ab Euangelistis cõscripta, vnica concione potuit enarrare, vel tunc sanè, cùm in deserto per totum

Euangelia non Christi doctrinam continere.

Luc. 19.

Ioan. 18.

Matth. 26

Mar.6. diem multa docuit turbam, quemadmodum scribit Marcus, vesperi autem quinque panibus ac duobus piscibus eam satiauit: Aut illo Matth. 15. triduo duntaxat, quando quatuor millia virorum, præter paruulos & mulieres, septem Mar.8. panibus & paucis piscibus saturauit. Nó toleraſſet profectò ea multitudo tamdiu famé & multa alia incommoda, si Christus eadem subinde repetiuisset. Nec sine graui causa Iudæi tantopere admirati sunt doctrinam eius Matth. 7. & sapientiam, sicuti prodiderũt ijdem Mat-
Mar.6. thæus & Marcus. Et tamen ibi nihil propemodum, aut certè paucula quædam ij cõmemorant, quæ ille tunc docuerit. Atque ita non vniuersa doctrina Christi quatuor his Euãgelijs descripta est. Quod ex illo quoque planè fit, quod in actis Apostolorum scriptum est: Act.20. Paulum, cum apud Milesios haberet sermonem, monuisse eos, vt meminissent verbi domini Iesu, quod ipse dixerit: Beatius esse dare, quàm accipere. Apud quem autem quæso Euangelistam hoc scriptum extat? Aut verò illa veteris testamenti scripturarum interpretatio, res, si qua alia, maximè necessaria, cuius mentionem facit idem Lucas in Euangelio Luc. 24. Quòd dominus Iesus cũ resurrexisset à mortuis, duobus illis discipulis Emauntẽ euntibus interpretabatur in omnibus scripturi

qu

quæ de ipso erant, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis? Aut illud etiam, quod idem scribit in actis Apostolorum, quòd Christus post passionem suam apparuit discipulis suis per dies quadraginta, loquens de regno Dei? Vbi quæso extant ij sermones, ac doctrina? A quo Euangelista ea conscripta est? A quo´nã autem illud, quod scribit Paulus, Christum, cum resurrexisset à mortuis, visum esse Cephæ, deinde plusquàm quingentis fratribus simul, deinde Iacobo, deinde Apostolis omnibus? AVL. At ea, quæ Euangelistæ prætermiserunt, Paulus, Petrus, alijque Apostoli in Epistolis & scriptis suis suppleuerũt. MON. Vnde hoc deprehendi potest? Certè è scriptis ipsorum id non apparet: præter, quæ Lucas in actis Apostolorum, Christum dominũ iamiam ascensurum in cœlum ad discipulos suos locutum esse mmorat: & quæ scribit Paulus Corinthijs de vsu donorum spiritualium, & quomodo se gerere debeant mulieres in Ecclesia, ea domini esse mandata: Et quod idem dixit, quemadmodũ à me dudum commemoratũ est, Mileti sermonẽ habens. Alibi nusquã eiusmodi quicquam extat, quod quidẽ ego meminerim. Atque hæc quoque illi obiter, oblata magis, quàm quæsita scriptis suis inseruere. Nec sanè id propositũ ha-

Act. 1.

1. Cor. 15.

Apostoli non supplecuerunt prætermissa ab Euangelistis.

Act. 1.

1. Cor. 15.

Act. 20.

buere cùm scriberent, vt prætermissa ab Euangelistis persequerentur, doctrinamq; Christi ad amussim conscriberent: verùm vt absentes quosdam cætus hominũ, siue etiam singulos homines, credẽtes iam in Christũ, doctrinamq; eius tenentes, pro re nata & vsu ac tempore cuiusque confirmarent, commonefacerent, consolarentur, aduersus impendẽtia pericula præmunirent, corrigerent, administrationis nascentium etiam tunc Ecclesiarũ fundamenta modò iacerent, controuersias atq; dubitationes tunc absentibus se suborientes extirparent, deniq; vt aliquid peterent, & aliquos commendarent. Quod quidem è scriptis eorum planum fit ac perspicuum. Vis ne autem explicatius id tibi ostendam? AVL. Maximè. MON. Principiò acta Apostolorum, quæ Lucas Theophilo cuidam scripsit, quid in se contineãt, ipse titulus indicat. Tametsi ea quoque, quæ per Apostolos post ascensionẽ Christi acta sunt, obiter & modicè attingunt. Vbi verò ad conuersionem Pauli ventum est, nihil ferè aliud, quàm peregrinationes & successus eius solius persequuntur, cæterorum actis omissis. Ac ne ea quidem omnia, quæ egit, & passus est Paulus, continent, quod ex ipsius Pauli epistolis cũ alijs, tum ad Corinthios posteriore, & ad Galatas per-

Apostolica scriptũrũ argumẽta.

Actorum Apostolorũ argumentũ

perſpicuum eſt. Iam Paulus ipſe quatuordecim ſcripſit epiſtolas: Ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Colloſſenſes ſingulas: Ad Theſſalonicenſes duas, Totidem ad Timotheum: Ad Titum, Philemonẽ, & Hebræos itẽ ſingulas. Quid igitur ſcribit in hiſce epiſtolis? Romanis, ne potentia, ſapientiaq; humana tumẽtes, oblatam ex Iudæa, gente tunc temporis contemptiſsima, ſalutarem doctrinam aſpernarentur, lapſum, & inde conſecutam auerſionem à Deo cæcitatem & miſeriam totius generis humani ob oculos ponit, faſtũque & arrogantiam eorum è ſecundis rebus, imperij amplitudine, & ſapientia exiſtentem, ſimulq; Iudæorum ſupercilium ex dignatione ac promiſsis dei natum, & ethnicos offendens, deprimit. Demonſtratoque communis liberatoris ac ſeruatoris Chriſti beneficio, ad pœnitentiam & fiduciam clementiæ ac miſericordiæ Dei per eum ipſum Chriſtum cõparatæ, eos excitat: Denique ad honeſtam piamque vitam, præcipuè verò ad obedientiam & obſeruantiã principum ac magiſtratuum, & ad vitãda quorumuis hominum offendicula cohortatur. Corinthios priore epiſtola reuocat à diſſenſionibus, arrogantia, & libidinibus: docetque quomodo ſeſe ge-

Pauli epiſtolarum numerus & ordo.

Ad Romanos.

Ad Corinthios priores.

gerere debeant aduersus delinquentes, & c
ca iudicia litesq;, quæ inter eos suboriebam
tur. Respondet etiam ad quæstiones ab ip
propositas de matrimonio, continentia, &
su earum carnium, quæ idolis immolabãtu
Perq; eam occasionẽ etiam de alijs quibu
dam actionibus exterioribus, velut de ratio
ne precationum, communionis mysticæ, su
cœnæ dominicæ, & vsu spiritualium Dei do
norum præscribit, quomodo se in publico
in Ecclesia gerere debeant, ad gloriam De
& utilitatem proximi, mutuamq; concord
am spectantes, exẽplo gratuiti ministerij su
Ad extremum de resurrectione à morte, quæ
tunc à philosophis cùm alijs, tum Epicure
apud Græcos ridebatur & exagitabatur, eo

Ad Corinthios posterior.

cõfirmat, & ad beneficentiam in egenos inu
tat. Posteriore verò, posteaquam excusauit
cur ad eos non venerit, sicut erat pollicitus,
consolatur eos, quos graui obiurgatione in
priore contristauerat, & ad honestatem vitæ
& subleuationem egenorum adhortatur: po
stremo increpat eos, qui de se non rectè sen
tiebant, potestatem & authoritatem Apostol
licam, ac dignitatem suam demonstrans. Ga

Ad Galat.

latas obiurgat, quod à religione Christianã
ad cæremonias legis Mosaicæ retrahi se patie
bantur: demonstrans eam legem esse imper
fectam,

fectam, & ad tempus datam: fidei verò ac doctrinæ Christianæ perfectionem & vtilitatẽ exponens: Deinde ad vitam spiritualem & officia mutua eos cohortatur, fructus spiritus, & his aduersa opera carnis enumerãs. Ephesios fideles confirmat in fide, admonens beneficiorũ Christi, suæq; functionis & vinculorum: & ad concordiam, emendationem, honestatem, & ad sua quenq; officia vitæ, deniq; ad mansuetudinem, constantiam, & vigilantiam eos excitat. Philippensibus scribẽs de statu rerum suarum, suoq; erga ipsos studio, consolatur eos, & ad concordiam, & modestiam siue humilitatem cohortatur, & ut à Iudæis sibi caueant, se verò imitentur, monet. Ad extremum gratias ipsis agit de subsidio misso. Colossenses item confirmat in fide, quam aliunde iam susceperant, & aduersus hypocriticam sanctimoniã, doctrinamq; præmunit. Ad hæc, genera quædã hominũ, quomodo se in societate vitæ gerere debeãt, obiter admonet. Thessalonicenses item prior epistola confirmat, & ad tolerantiam aduersorum erigit, cõmemorans officium suum & charitatem erga ipsos: & ab impuritate vitæ & otio ad sanctimoniam, vigilantiam, & alias virtutes eos reuocat. Deniq; spem & fidem

Ad Ephes.

Ad Philip.

Ad Colos.

Ad Thess. prior.

fidem resurrectionis à mortuis stabilit. Posteriore itidem eos cõsolatur & cõfirmat, admonens, ne se patiantur seduci ab ijs, qui aduentum domini ad iudicium instare, è scriptis & sermonibus suis perperàm intellectis occasione erroris accepta, docebãt: docetq́; quales esse debeant aduersus delinquentes, præsertim ociosos. Timotheum Episcopum obiter docet, quomodo is vitam suam instituere, & quid potissimùm in ecclesia sibi commissa administrãda ac regẽda spectare debeat, prauis dogmatibus suppullulantibus vt obsistat, cultus diuini curam habeat, presbyteros & alios ministros Ecclesię deligat & instituat, & aduersus quædam genera hominũ quomodo sese gerat. Hæc priore epistola. Posteriore itidẽ eum officij admonet, futura pericula è prauis dogmatibus exoritura prædicens. Ad Titum scribens, itidẽ obiter quædam attingit, quæ ad munus Episcopi pertinent circa delectum ministrorum Ecclesiæ, doctrinã, admonitionẽ, & correctionem populi, prauorũq́; dogmatũ deuitationẽ atq; propulsationẽ: Gratiãq́; & beneficẽtiã Dei erga homines obiter cõmemorat. Philemonẽ rogat pro seruo fugitiuo Onesimo, vt ei peccatũ & offensã cõdonet. Hebræos credentes quidẽ in dominũ Iesũ Christũ, sed ad le-

Ad Thessal. posterior.

Ad Timotheũ prior.

Ad Timotheũ posterior.

Ad Titum.

Ad Philemonem.

Ad Hebræos.

ge tamẽ Mosaicã respectãtes, cohortatur ad
stantiã fidei, proprijs ipsorũ scripturis de-
nstrãs diuinitatẽ Christi ac dignitatem sa
dotij, perfectionẽq; sacrificij ac legis ip-
s Mosaicæ verò legis imperfectionẽ: nimi
quòd ea peccata delere, & irã Dei placare
potuerit, sed ad Dominũ Iesum Christũ,
missum à Deo Messiã & Seruatorẽ, viam
monstrarit, ritibusq; ac cæremonijs suis
nibus dispensationẽ & functionẽ eius om
, & satisfactionẽ pro peccatis hominũ re-
sentarit. Ad extremũ, fidei dignitatem &
quitatẽ cõmendat, & ad tolerantiã, obe-
diam, & imitationem præsidum siue prę-
torum Ecclesiæ, & ad alias virtutes eos
ortatur. Hæc ferè Paulus. Sunt præterea
em aliorum Apostolorum epistolæ, quæ
onicæ & Catholicæ appellantur: Iacobi
. Petri duæ: tres Ioannis: Iudæ vna. Ac
bus quidem Iudæos ad fidem conuersos
iter & in genere commonefacit, quomo
vitam degere, fidemq́ue honestis & pijs
onibus ornare, & viuã repræsentare: quid
n vitare, & quid expectare seu sperare
eãt. Obiter etiã de sacramẽtis quibusdã,
vulgo fortassis iam tũc negligi cœperãt,
certè, quæ ipse tanto pòst ab istis pseude-
gelicis explosum iri diuinabat, admonet.

Canonicæ seu catholicæ epistolæ

Iacobi epistola.

Pe-

Petri prior Petrus quoque priore epistola eosdem Hebræos per nonnullas regiones dispersos consolãs & confirmans, ad pœnitentiã, sanctimoniã, & cõditioni cuiusq; congruentẽ vitã spe præmij proposita adhortatur. Posteriore etiã idẽ facit: & vt à prauis doctrinis ac hæresib. quæ multæ exorturæ erãt, sibi caueãt, præmonet: & quomodo cognoscendi sint tales corruptores, ostendit. Nec dissimulat is, quid sibi in scribendo propositum fuerit: Nempe obsecrare & contestari, hanc esse veram gratiam dei (quod perinde est ac si diceret, euangelium) in qua ipsi stent, suis videlicet, vel aliorum Christi discipulorum sermonibus & concionibus ipsis tradita. Ioannes charitatis vim & præstantiam prędicans, prima quidem epistola cunctos vniuersè, secunda matronam quandam, tertia verò Caiũ ad amorem dei, & cum hominibus mutuũ, & ad rectam doctrinã retinendam, falsam verò cauẽdam, peccataque vitanda hortatur: ac spem credentium confirmat. Iudas Thaddæus paruam scripsit epistolam, nec aliud agit, quàm falsos & peruersos doctores siue hæreticos depingit, ad cautionem Christianorũ. Scripsit etiam Ioannes Apocalypsim. Quid autẽ habet in ea propositum? Ipse indicat statim à principio, sic scribẽs: Apocalypsis Iesu Chri-

Petri posterior.

Ioannis 3. epistolæ.

Iudæ.

Apocalyp. Ioannis.

sti,

sti, quam dedit illi Deus, palam facere seruis suis, quæ oportet fieri citò, & significauit mittens per angelum suum seruo suo Ioanni. Ea verò ille non curiosè aut iactanter, verum ad constantiam & bonam spem Christianorum in rebus aduersis confirmandam conscripsit. Hæc ergo sunt apostolicorum scriptorum peculiaria cuiusq; argumenta, eorum ad quos scripta sunt, temporibus accommodata magis, quàm vniuersę ecclesię Christi necessariã & absolutam doctrinam complectentia. Accipe euidentius huius rei documentum. Scribit Paulus Colossensibus, præcipiens, vt epistola sua ad ipsos scripta, etiam in Laodicensium ecclesia legatur, & ea, quæ Laodicensiũ est, vt ipsis legatur. Hîc tu mihi illud primum obserua: Paulum ad Laodicenses quoq; scripsisse epistolam: Quæ non extat. Nam ea quæ vulgo circumfertur, pro genuina non habeatur, ne ab istis quidem tuis pseudeuangelicis. Quod si eodem prorsus ambæ fuerunt argumento, quorsum attinebat præcipere, vt ambæ vtrobique legerentur? Quorsum autem attinebat, spiritum sanctũ euãgelicã doctrinam per Paulũ supplentem eadem iterare? in diuerso, igitur & ad ea, quę Laodicenses scripta est, aliquod supplementum eorũ, quæ desunt in Euangelijs, & in doctrina Christi,

Colos. 4. Scripturis non omnẽ salutarem doctrinam contineri.

Ad Laodicenses epistola non Paulina.

continebat. Et quoniam ea perijt, vel idcirco deest salutari doctrinæ,& non carebit iusta reprehensione Christus & Spiritus sanctus, qui non omnia ad salutẽ nostrã pertinẽtia docuit, aut quæ Laodicenses tunc docuit, paulò pòst interire,& vniuersæ ecclesiæ subtrahi passus est,& mancã nihilominus secundum istos doctrinã salutarem nobis reliquit. Sed non sine diuina prouidentia id quoque factum est, præter cuius voluntatem ne capillus quidem capitis nostri perit, quemadmodũ ipsa veritas asseuerat. Voluit nimirũ sapientia dei scripturarios istos tãto post futuros retundere, qui solis scripturis nitũtur, traditiones Apostolicas repudiantes. Deinde verò, cur Paulus hîc solam Laodicensium, non etiam cęteras suas, imò & aliorũ apostolorũ epistolas Collossensibus legi præcepit, quę & ipsæ plurima (quod isti nõ negabunt sat scio) cõplectuntur à duabus illis diuersa ecclesiæque cognitu necessaria,& ad salutẽ hominũ pertinẽtia? Sed satis habuit, duabus illis ecclesijs vicinis inter se, nec multũ diuerso tẽpore & statu rerũ vtentibus, ambas velut non valdè diuerso argumento scriptas,& vtriq; accómodatas, proponere,& secundũ suum ipsius
Tit. x. præceptum Tito datum, quæ vtrobique deerant, addẽdo corrigere: quæ tamen & ipsa nõ in-

incredibile est, ab alijs apostolis discipulísue Christi viua voce vtrisq; tradita prius fuisse, ab ipsis verò neglecta & posthabita. Cernis iã, neq; Euãgelistas, neq; cæteros Apostolos eo proposito scripsisse, vt vniuersam Christi doctrinã, ac verbũ Dei scriptis suis cõplecterentur. AVL. At ea complexi sunt, quicunq; nobis sunt ad salutẽ adipiscendã necessaria. MO. Ridiculũ. Quasi Christus dominus absolutus magister superuacaneũ aliquid docuerit, ac discipuli eius idiotæ & piscatores, cẽsores eius doctrinæ fuerint, vt in ea seligerẽt, quæ essent ad salutẽ necessaria, quæ verò minus necessaria prętermitterẽt. Seruierũt ij, sicut dixi, in ea cõscribẽda suo quisq; proposito. In docẽdo aũt fideliũ legatorũ munere functi sunt, nihil de mãdatis eius detrahẽtes. AVL. Igitur ne addebant quidem quicquã ad eam. Non minus enim hoc ad fidẽ legati pertinet, quàm illud. Et vtrunq; simul Deus alicubi in veteri testamento complexus est, dicens: Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Hic ergo tu hæres. MO. Nequaquã. Acceperũt enim apostoli ab ipso Christo potestatẽ addendi, cũ eos ipse nõ omnia docuisset, sed postea doctũ iri promisisset. AV. Pugnantia loqueris. Dudũ dixisti, Christũ absolutum magistrum fuisse.

Apostolorũ scripta an omnia ad salutem necessaria complectantur.

Deut. 4. et 12.

Et est id verissimum. Nunc verò ais: Eum nō omnia, quæ erant ad salutem necessaria docuisse. Non minus certè imperfectū est, cui deest aliquid, quàm cui supersit: Imò magis etiam. MON. Fateor: non esse absolutum magistrum, in cuius doctrina aliquid requiratur, si id imperitia vel inuidia eius omissum sit: Non item, si is certo consilio & ad vtilitatē discentiū id faciat, quemadmodū fecit Christus, cùm rogatus à discipulis suis, an illo tempore restituturus esset regnū Israel? Respondit. Non eorum esse, nosse tempora & momēta, quæ pater in sua ipsius potestate posuisset. Atque hanc quidem doctrinā prorsus eis negauit, vt inutilem: Multas autem alias salutares in aliud tempus distulit. AVL. Quid ita? MON. Dicā. Quoniā ij tunc vniuersæ doctrinæ eius propter ruditatem suam capaces non erant. Et hoc enim diligentis & absoluti magistri est, non omnia simul & aceruatim, sed particulatim docere, & vt ait Cyrillus, nō trāscurrere, neque altiora priùs menti auditorū ingerere, quàm priora cognouerint. Quod facere solent & ij, qui per angustum infundibulū liquorē in vas infundūt. Ita Paulus quoque erga Corinthios Hebræosque se gessit, sicut ipse memorat, & ego fortasis postea recitabo. Vis´ne autēvidere, Apostolos siue discipu-

Absolutus magister quis.

Act. 1.

Christus nō omnia simul apostolos docuit.

Cyril. in Ioan. lib. 2. cap. 135.

1. Cor. 13. Heb. 5.

scipulos Christi, cum eos ille doceret, doctri- *Apostolo-*
næ eius vniuersæ capaces non fuisse? Ecce ti- *rum rudi-*
bi apud Matthæum, cum eis Dominus dice- *tas.*
ret: Non quod intrat in os, coinquinat homi- *Matth. 15.*
nem: Rogabant eum, vt sibi edissereret eam
parabolã. Respondet autẽ ille eis, Adhuc &
vos sine intellectu estis? Lucas item cõmemo- *Luc. 18.*
rans, quomodo eis Dominus passionẽ & re-
surrectionem suam pronunciarit, Et ipsi, in-
quit, nihil horum intellexerũt. Ioannes quo- *Ioan. 12*
que memorãs illud, quomodo Christus Hie-
rosolyma vectus est, deque eo longè antè per
Prophetã prænunciatum fuisse, ait: Discipu- *Luc. 24.*
los hæc initio non intellexisse. Lucas etiam
scribit, q̃ post resurrectionẽ Dominus Iesus
aperuit eis sensum, vt intelligerẽt scripturas,
nẽpe quas prius nõ intelligebãt. Quãuis autẽ
id tunc fecerit, nihilominus tamẽ scribit Mar
cus, eum iamiã discessurum ab eis, & ascensu- *Mar. 16.*
rum in cœlũ, exprobrasse eis incredulitatem
ac duritiã cordis. Igitur non potuit eos Chri-
stus, dum in terris fuit, omnia docere: non
quòd ipse perfectus Magister non esset, sed
potius quòd perfectus nõ ignoraret, quantũ
illi per inscitiam & ruditatem suam capere
possent, prius quàm spiritu sancto illustrati
essent, quẽ post decessum demũ suũ eis pro-
mittebat. Quod quidem ipse iam ad mortẽ *Ioan. 16.*

Apostoli docti à Spiritu sancto.

transiens eis indicauit: Expedit, inquit, vobis vt ego abeã. Nisi enim abiero, paracletus non veniet ad vos. Et paucis interiectis, in quem vsum id expediret, ostẽdit, dicẽs: Adhuc multa vobis habeo dicere, sed nõ potestis portare modò. E quibus verbis colligitur, ea magni momenti, difficilia, & necessaria fuisse.

Omnia nota feci vobis. Ioan. 15

AV. Et tamẽ idẽ dixit. Omnia quæ audiuisset à Patre, se eis nota fecisse. MO. Verum. Omnia quidẽ eis nota fecit, sed vniuersè & in genere, & quasi per transennã, vt solẽt mercatores merces suas exponere. Exquisitiorẽ autẽ explicationẽ in aliud tẽpus seruauit. Vel certè morè Prophetarũ, perinde dicebat, ac si iã fecisset, quod etiam tunc faciebat, & cumulatiùs postea facturus erat. Et quoniam ab eis discedebat, nõ prætermisit, quin ipsis indicaret, quomodo id facturus esset. Subiecit enim

Ioan. 16.

ibidẽ apud Ioannẽ: Si aũt abiero, mittã eum ad vos: hempe paracletũ. Et mox addit: Cùm autẽ venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem. Ac ne quis hoc fortè de eamodò veritate, quam ipse Christus eos docuerat,

Ioan. 14.

acciperet, qd probabiliter accipi potuit ex illis verbis, quæ paulò ante locutus erat: Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcũq; dixi vobis: præcauit id dicẽs: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nõ po-

testis

testis portare modò. Vbi frustra requirit Ochinus verbum, alia. Et mox adiecit Christus: Cũ aũt venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatẽ: Intellige, eã quoq;, quã ex me nondũ addidicistis. Et volẽs ostendere, illam doctrinam spiritus sancti à sua diuersam non fore, imò suam fore, addidit: Nõ enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annũciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & anunciabit vobis. En habes certum documentum, non omnem doctrinã euangelicam ore Christi traditam esse Apostolis, sed magnã eius partẽ post eius decessum spiritus sancti illapsu infusam, & secundũ Hieremiæ Prophetiam in cordibus eorũ inscriptã esse. Habes etiam diploma Christi, quo is Apostolis, hoc est, legatis suis fidẽ adstruit cũ plena & libera potestate. Eo igitur fretus, perinde fidẽ habere debes legatis, atq; ipsi domino, à quo sunt missi. Nec minus apud te põdus habeat, quicquid Apostoli siue scripto, siue sine scripto nobis pro verbo dei prodiderunt, quàm id, quod ipse dominus docuit, & Euangelistæ conscripserunt, quandoquidem is dedit eis eandem claritatẽ, quàm ipse à patre habet, quemadmodum ipse apud Iohannem affirmat. Apud Marcum verò ait non

Apostolicæ doctrinæ authoritas

Iohan. 17.

Mar. 13.

non ipsos esse, qui loquantur, sed spiritum
Luc.10. sanctum. Et apud Lucam: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me: hoc est, Deum patrem. Audis, quòd hic non præfinit eis, qui vos audit, aut qui vos spernit, in eo scilicet, quod ex me audiuistis: Sed nihil planè excipiẽdo, Qui vos audit: &, Qui vos spernit. Proinde præclarè sanctus
Cyprianus in serm. de ablut. pedũ martyr Cyprianus: Sicut, inquit, par est Spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est authoritas & potestas. Nec minus ratum est, quod dictante spiritu sancto apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit. Huius autem authoritatis ipsi sibi probè conscij fuerunt apostoli. Atque ideo quoties
Apostoli in defectu doctrinæ Christi de suo docebant. Christi doctrina destituebantur, magna fiducia & authoritate præscribebant Christianis, quæ sequi eos, quæque vitare vellent. Velut cum exorta esset Hierosolymis controuersia inter Iudæos & ethnicos ad fidem Christi cõuersos, an oporteret ethnicos fidem & religionem Christianam amplexos, seruare ritus
Act.15. ac cæremonias legis Mosaicæ: Decreuerunt Apostoli, quid eos in hac parte sequi oporteret. Vnde autem decretum id petitum est? Ex euangelio ac doctrina Christi? Nequaquam. Quod si quid eiusmodi illi de Christo didicissent,

ciſſent,nõ diſsimulaſſent procul dubio. Magnum certè põdus apud fideles habitura erat eius authoritas. Non ſic tamen illi: Sed ita reſcribunt Antiochenis. Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, q̃ hæc neceſſaria. Non Chriſto viſum eſſe aiũt: ſed ſibi. Spiritus aũt ſancti mentionem faciũt, vt homines illi, qui ſpiritũ ſanctũ deũ eſſe cognouerãt ſcripto ac decreto illi fidẽ haberent, perinde ac verbo Dei, & Chriſti ipſius Euangelio. Nec permittũt ipſorũ arbitrio, vtrũ ea ſic ſeruare velint, nec ne, ex liberrima (vt iſti veſtri dicere ſolẽt, nõ intelligẽtes ipſi quid dicãt) diſciplina Eccleſiæ; ſed velut neceſſaria præcipiunt. Et tamen negat Ochinus contra apertam ſcripturam, quicquam ſaluti neceſſarium à ſpiritu ſancto allatum eſſe. Ijdẽ apoſtoli conſtituerunt in ciuitatibus & eccleſijs epiſcopos, presbyteros ac diaconos, qui præeſſent cæteræ multitudini in rebus ad religionem pertinentibus, epiſcopisque, vt itidem ipſi deinceps facerent, præceperunt, quò doctrina ſana, & ordo, certaque politia, eorũ ſuccedentium ſibi inuicem cura & authoritate in eccleſia perpetuò conſeruaretur, eſſetque ea quaſi caſtrorũ acies ordinata. Vbi autem extat vlla de eo Chriſti doctrina? Scriptã quidem iſti nullam proferre poſſunt. Vtinam

Ochin. dialog. 25.

Tit. 1.

autem concedant nobis, docuisse quidem id Christũ, sed scriptũ nõ esse. Igitur Apostolica est ea doctrina, & per omne tẽpus in hãc vsq; diẽ pro necessaria ac diuina eam seruat vniuersa Christi eccles. Paulus quidẽ episcopos ait à spiritu sancto positos esse, vt regãt ecclesiã dei: Idẽq; eis peculiaria dat prẽcepta, quales deligi, & quales esse oporteat tum ipsos, tũ presbyteros, ac diaconos. Vestri quoq; isti euangelici, cũ initio hæc ministeria, & omnẽ ordinẽ ex ecclesia sustulissent, paulò pòst necessario reuocarunt & retinẽt, nõ sine nouatione tamẽ: non tam quod nõ probẽt pleraq; omnia, quę fuerũt recepta & seruata antiquitus, q̃ vt incõmodent papatui, quemadmodũ ipsi gloriãtur. AV. At hæc tamẽ doctrina scripturis apostolicis cõtinetur. Nulla est autem istis euangelicis vobiscũ controuersia, apostolicam quoq; doctrinã nomine verbi dei comprehendi: Verùm eam modo, quæ extet in sacris scripturis. MON. Quæ aũt scriptura hoc ita distinxit ac præscripsit, vt ea sola doctrina apostolorũ pro verbo dei haberetur, quæ in scripturis eorum extaret, non item, quæ non extaret? Dubium non est, multa eos docuisse, quæ scripta non reliquerint. Cur autẽ minus authoritatis habebunt dicta, q̃ scripta, cùm Christus eos non ad scribendũ, sed ad docendum

Act. 20. 1. Ti. 1. et. 3. Tit. 1.

Euangelicorum nouationes, ut incommodẽt ecclesiæ.

Apostoli sine scripto multa docuerunt.

dum & prędicandum, sicut ostendi prius, miserit? & non calamos, verùm os & sapientiam, cui non possent resistere aduersarij, ipsis promiserit? Vbi obsecro, extat in scripturis, quòd apostoli certa lege vniuersæ Christi ecclesiæ præceperint, quemadmodum dudum mẽ moraui, de instituẽdis episcopis, presbyteris ac diaconis? Paulus quidem in superius citatis à me locis nihil eiusmodi ex professo facit. Vbi autẽ quæso scriptũ est, qualia præcepta Paulus idem Corinthijs dederit, quorum facit mentionem in priore ad ipsos epistola, scribens: Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Nullum vsquam extat argumentum, quo colligi queat, eum quippiam ad eos prius scripsisse, vbi præcepta illa contineantur. Ac non de scriptis præceptis eum loqui, tradendi verbum indicat. Ibidem autem cùm per epistolam præcepisset nonnihil, quod nusquam est in Euangelio, quomodo videlicet se gerere debeant circa cœnam domini, siue communionẽ corporis & sanguinis eius, adscripsit: Cætera cũ venero, disponã. Quomodo autẽ disposuerit, nusquã quicquam scriptum comperimus. Credimus tamen ea non leuia & reiectanea fuisse, quæ promisit. Non temerè enim ille de se scribit alibi:

Pauli præcepta sine scripto tradita.

1. Cor. 11.

1.Cor.7. alibi. Puto quòd & ego ſpiritum dei habeã. Nec dici poteſt, quod è doctrina Chriſti ea, quæ ſe diſpoſiturum promittebat, petiturus fuerit. Nihil enim extat ea de re apud Euangeliſtas, quod ipſe eo loco prætermiſit. Quin adiecit is etiam de ſuo illa, Nunquid non habetis domos, &c. Et: Probet autẽ ſeipſum homo. Ne illa quidem vſquam in ſacra ſcriptura extant, quorum idem Paulus mentionem fa-

2.Tim.2. cit, ad Timotheum ſcribens: Et quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commẽda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. E quibus verbis deprehendere potes, non modò non omnia, quæ ad fidem & inſtituta religionis noſtræ Chriſtianæ pertinent, conſcripta eſſe, verumetiam viua voce, & per traditionem ſuccedentium ſibi inuicem idoneorũ hominũ, hoc eſt, epiſcoporũ & presbyterorũ potius, quàm per ſcripturam Apoſtolum ea tradi & cõſeruari in Eccleſia voluiſſe. Non enim ſcribit: Hæc commenda ſcriptis: ſed, fidelibus hominibus. Nec ijs, qui legere, vel ſcribere, verũ qui docere alios erunt idonei. Vbi autem in ſcripturis extant inſtituta illa, ſiue traditiones, quas idem Paulus ſcribit Theſſalonicenſes à ſe accepiſſe? Ac ne cuiquã leues & arbitrariæ eſſe videantur, addit: Per eas ipſos deo placere oportere. Ne quis verò du-

dubitet, de non ſcriptis traditionibus eum agere, poſteriore ad eoſdem Theſſalonicẽſes epiſtola ipſemet tollit hũc ſcrupulũ, ita ſcribens: Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrã. En exæquat ſcripturæ inſtituta per ſermonẽ à ſe tradita. Nec id ſatis eſt: verùm ſequenti capite eijcit etiam ex eccleſia eos, qui eiuſmodi inſtituta ſiue traditiones contempſerint: Idque non ſua libidine, ſed diuina domini noſtri Ieſu Chriſti authoritate facere ſe profitetur. Sic enim ſcribit: Denunciamus autem vobis fratres in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundũ traditionẽ, quã acceperunt à nobis. Vides, quàm ſeuerè animaduertat in tranſgreſſores traditionis ſuæ. Proinde non modò ea, quæ Euangeliſtæ, quæ ve cæteri Apoſtoli, cùm ſermonibus Chriſti didiciſſent, ſcriptis mandarunt, ſed etiã quæcunque ipſi ex ſe, ſeu ſcriptis, ſeu ſine ſcriptis eccleſię dei pręceperunt ac tradiderunt, amplecti nos oportet. Et qui ea amplectitur, verbũ dei amplectitur, qui dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quanquã enim Deus per Hieremiã Prophetã ſe in cordibus ac mentibus hominũ legẽ ſuã nouã ſcriptu-

2. Theſſ. 2.

2. Theſſ. 3.

Luc. 10.

Hier. 31.

rum

rũ esse promisit, Scripsitque adeò digito suo, hoc est, inspiratione spiritus sancti, tamẽ linguarum humanarum ministerio ad hoc vsus est, & vtitur etiamnum. Argumento est illud, quod in actis Apostolorum de Eunucho illo, qui erat super omnes gazas Candaces reginæ Aethiopum, memoriæ proditum est. Poterat quidem eum Deus ipse per se illustrare, vt & prophetiam Esaiæ, quam legebat, intelligeret, & in Christum crederet. Nec tamẽ id fecit. Verùm præcepit Philippo Euãgelistæ, vt accederet, & adiungeret se ad currum eius, docendi eius gratia. Corneliũ quoque centurionem poterat ipse per se spiritus sancti afflatu conuertere. Nec tamen id fecit. Ac ne per angelum quidem, per quẽ ei denunciauit, orationes & eleemosynas eius sibi gratas esse. Verùm præcepit ei, vt Petrum accerseret, & audiret ab eo verba, in quibus saluus fieret ipse, ac domus eius. Quo concionante, tum demum ille spiritu sancto afflatus credidit. De Paulo iam antea dixi, quod licet à Christo cœlitus vocatus, correptus, & conuersus esset, tamen ille ipse Christus ab Anania discipulo voluit eũ, quid facto opus esset, erudiri, ac per impositionem manuum eius spiritu sancto eum repleuit. Vides Deum non sine humano ministerio

Heb. 8. *Deus per homines voluntatem suam nobis patefacit.* *Act. 8.* *Act. 10.* *Act. 9.*

histerio salutem hominum perfeciſſe & perficere. Non quòd aliter non poſſit, cùm ipſe ſit, qui fecit verbo ſuo cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, ipſeque det ſapientiam: Sed vt eò magis mutua inter homines charitas coaleſcat & conſeruetur, quo magis homo homine vtitur, ac opus habet: neu quis infuſæ diuinitus ſapientiæ præfidēs, humanam diſciplinam atq; ſocietatem deſerat vel contemnat. Propterea Paulus ad Galatas ſcribens, oſtendit non ex reuelatione aut lectione, ſed ex auditu fidei accipi ſpiritum ſanctum. Et ad Romanos: Fides, inquit, ex auditu: auditus verò per verbum Chriſti. Id verò verbum per Apoſtolos, eiſq; ſucceſſores miniſtros & præſides eccleſiæ, quorum ſonus exiuit in omnem terram, & verba in fines orbis terrarum, propagatum eſt. Vbi illud quoque obſeruare debes, quòd Paulus Apoſtolorum verba & cōciones, Chriſti, atq; ita Dei verbū appellat. Nec dicit, ſcripta, ſed cum Dauide ſonum & verba eorum: vt non minorem habeamus fidē doctrinæ, traditioniq; Apoſtolicæ, quàm ipſi Chriſto, aut ſcripturæ diuinitus inſpiratæ. Olim id Deus ita definiuerat, & non ſolum per Dauidem, ſed etiam per Eſaiam euidenter prænunciarat, quòd lex & religio Chriſtiana viua voce

Pſal. 145. Prouerb. 2. Gal. 3 Rom. 10. Pſal. 18. *Apoſtolorum doctrina uiua uoce tradita.* Eſa. 52.

per

per Apostolos vniuerso mundo tradi debuerit. Iam tum studiosè cauens, ne homines posthea paterétur seduci se à falsis Prophetis, qui vel ex ementitis reuelationibus diuinis, vel è solis scripturis pendére vellent, asseuerantes ijs omnem doctrinã salutarem & institutã religionis Christianæ contineri, neque præter eas quicquam esse recipiendum. Quod sentire rectum non est. AVL. At contrarium sentiunt, & asseuerant multi veteris ecclesiæ patres, qui apud vos in precio sunt. Quorum testimonia recensentur ab euangelicis, authoritatem scripturarum aduersus traditiones vindicantibus. MON. Scio. Nec ego hîc ad illud istorum præsidium confugio, quo ij, quæ facile deprauare, cauillari, ac torquere suo arbitratu in scriptis sanctorum patrum nequeũt, incommodè scripta esse criminantur. Verùm illud dico: Torqueri ab istis eorum verba, & alienum à mentibus eorum sensum eis affingi, dissimulatis antecedentibus & consequẽtibus, & illa sic scribendi occasionibus. Constat enim vel ex ijs ipsis, vel ex alijs eorundẽ authorũ scriptis, idẽ plane nobiscũ, & cũ S. scriptura eos sensisse de scripturarum atque traditionũ diuinarũ & apostolicarum fide & authoritate. Sed cum aduersus eos homines scriberẽt, qui somnia sua pro reuelationibus diui-

SS Patrum scripta torquentur ab hæreticis.

diuinis, vel traditionibus Apostolicis vulgò obtrudebant, ad solas scripturas eos reuocabant. Non cogitantes tunc fore aliquando, qui omnibus prorsus etiam indubitatis traditionibus ecclesiasticis fidem & authoritatem derogaturi essent: Satis autem habentes præsentibus morbis medicinã afferre. Quẽadmodum & de filio dei, & de spiritu sancto ante exortos Arium & Macedonium nonnul si siue contraria tunc existentia dogmata refellendi studio & contentione prouecti, siue ua alia de causa ita quædam literis mandarint, vt ea pòst ab Ario & Macedonio stare derentur, si quis incommodius interpretavoluisset, neque ad alia illorum scripta receret. Ita Pelagiani quorundam orthodorum patrum, qui Manichæos oppugnarãt, timonijs sese tuebantur. Sic igitur ad illa nia SS. patrum testimonia, quæ ab istis cõ nos hoc in loco citantur, in genere respon habeto. Nam sigillatim ad omnia respõ- *Traditiones, quas recipiant hæretici.*
se perlongum esset. AVL. Concedunt etiã recipiendas & seruandas esse traditiones ostolicas. Verùm eas modò, quæ sint scriris consentaneæ. MON. Scio. Et in eo niti ostendũt maximè Irenęi authoritate, quòd cripium reliquit, vt est in Eusebij historia *Euseb. hist. eccl. lib. 5.* lesiastica, Policarpũ cum Apostolis con- *cap. 20.*

uersatum, commemorasse eorum sermones, & quæ ex ipsis de domino, de virtutibus & doctrina eius audierit, omnia scripturis consentanea. Vnde illud volunt conficere, quod tu dixisti. At hoc est primũ, vt verbis dialecticorũ vtar, è particulari siue singulari vniuersale colligere. Quod est in primis vitiosum & inefficax. Deinde, vt id etiã vniuersè valeat, Certè illud scripturis consentaneũ, nõ ita accipi debet, vt volũt isti. Nempe quod certum habeat & euidens è scripturis testimoniũ: Sed quod cum scripturis nõ pugnet. Si quid enim tale à Polycarpo traditionis apostolicæ nomine prolatũ esset, vel à quopiã alio proferretur, præsertim de dogmatibus fidei, & ijs, quæ cum Cypriano dicimus immobilia, merito cuiuis suspectũ esse deberet, tanquà falso apostolicũ. Cæterũ ipsa rei euidẽtia indubitatũ est, Apostolos viua voce nõnulla quasi per manus ecclesiæ Christi tradidisse, quæ literis non mandarint: Quæ parem cũ scriptis eorũ vim habẽt. Sunt enim non pauca dogmata & institutta ad religionem & salutem hominum pertinentia, quæ neque ab Euangelista, neq; ab Apostolo vllo scriptis mandata sunt. Qualia sunt: Deũ esse principij expertẽ: Christum de Mariæ virginis sanguine carnem sumpsisse: ac Deum simul & hominem natum esse,

Dogmata non scripta

&

& in vna persona duas naturas, duásque voluntates retinuisse. Eiusdem modi etiam sunt: Christi ipsius Dei, & hominis, & spiritus sancti adoratio & inuocatio: vnius Dei in tribus personis vna essentia, hoc est, Trinitas: baptisma infantium: & alia complura, quę nunc omitto. Quæ vniuersus per omnẽ orbẽ terrarũ Christianorũ cœtus iam inde ab initio summo consensu & constantia retinet atque conseruat. Quæ, qui ignorare vult, ignorabitur. Cùm autem in scripturis sacris nulla, expressa duntaxat, eorum fiat mentio, cur ea recipimus, constanterque retinemus, & maiores nostri semper amplexi sunt, & retinuere, non secus, quàm ipsum Euangelium & verbum Dei scriptum? Cur ijdem eos, qui in controuersiam ea reuocabant, Marcionẽ, Valentinum, Sabellium, Arium, Macedoniũ, Eunomium, Nestorium, Eutychen, & sectatores eorum pro hæreticis & Christi doctrinæ aduersarijs habuere? Nec nos aliter sentimus. Non ob aliud sanè, quàm quòd ea sic è doctrina atq; traditione Apostolorũ accepta pro Christi doctrina atq; verbo Dei habẽtur. Curaũt isti quoq; vestri Euangelici, Lutherani iuxta ac Sacramentarij, qui neq; in doctrina, neque in cultu diuino quicquam sine exresso & scripto Dei verbo recipiendum esse

1. Cor. 14

Cõf. Aug

contendunt, illa & alia complura dogmata, sicut heri quoque ostendi, quasi verbo dei tradita suscipiunt, illosque veteres & nouos eorum oppugnatores pro hæreticis habent ac damnant? Conantur ij quidem nonnunquam demonstrare, ea sacris scripturis esse prodita: Sed nihil agunt, & ridentur ab ijs, qui ea nunc exagitant. Quo in numero sunt Trideitæ & Memnonij. Et sunt reuera ridiculi. Quibus autem scripturis prodita nobis sunt symbola? Quorum tria, nempe, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum plerique omnes isti, Trideitæ verò Apostolicum duntaxat pari cũ scripturis dignatione suscipiunt. Vt aũtdem ipsis, pleraque dogmata, quæ ijs symbolis cõtinentur, è scripturis hausta esse, demonstrẽt ipsi, vnde petitum sit illud: Credo sanctã Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem. Vtque fiat & ecclesiæ catholicæ, & Sanctorum communis mentio, in scripturis, licet non expressa, nec disertis verbis, proferant ij vel tenuem significationẽ, vbi iubeamur hæc credere. Sed nunquam proferent. Concedãt igitur necesse est, vel reiectanea esse illa dogmata, vel salutaria quidem & necessaria, non tamen Christi doctrina prodita, ac ne Apostolica quidem, cùm non extent in Euangelicis Apostolicisque scripturis (Quod quidem

Symbola sine scripturis suscepta

dem concedunt nonnunquam vi veritatis victi) vel denique esse apostolicam doctrinam aliquam salutarem, quæ scriptis eorum prodita non sit. Quod nobis satis est in præsens. E quibus autem Euangelistarum, aut cæterorum Apostolorum, aut Prophetarum scripturis ipsi proferunt suam illam, qualem ipsi intelligunt, imputatiuam iustitiam? vel priuatam fidem, & securam certitudinem de gratia Dei, sine qua negant quenquam hominẽ saluum fieri posse? vel quòd sola fides iustificet? vel quòd peccatum in baptizatis non deleatur, sed non imputetur tantum? vel quòd infantes credant, aut sine baptismo vitam & regnum cæleste adipiscãtur? vel quòd in Eucharistia caro & sanguis Christi verè & substantialiter non sit (Quod Philippus quoque Melanchton annotauit) aut cum pane & vino sit, aut ipso vsu, ac non vi verborum Christi existat? Aut igitur his, quæ nusquam extant in scripturis, falsò verbi Dei nomen prætendũt, ac demẽtatis à se hominibus imponũt (quod quidem heri demonstratum est) aut nobiscũ fateantur necesse est, non omne verbum Dei & Euangelicam Apostolicamque doctrinam scripturis comprehensam esse: Nec minorem authoritatem obtinere eam, quæ viua voce, quàm quæ scriptis prodita sit. Attẽde autem,

Lutheranorum dogmata quædam sine scripturis.

Mel. ad Frider. Myconium.

quæso, quomodo nostras quidam Caluinista, Trideitas siue Gentilistas ad scripturas prouocantes refutet. Non reperiuntur, inquis, hæc in sacris literis. Eijce igitur & vocabulum coëssentialis. Eijce & credo: Eijce catholicam ecclesiam è symbolo: peccatum originale: sola fides iustificat. Omnia enim hæc expressè non reperies in sacris literis. An non videntur tibi isti ipsum doctrinæ suæ fundamentum conuellere, & arma nobis contra seipsos subministrare? Sed pergamus. Non solum autem scriptis ac viua voce docuerunt Apostoli: Sed Christum præceptorem imitati: cuius illa sunt verba: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Et apud Lucam: Hoc facite in meam commemorationem: nempe quòd me videtis facere. Hunc igitur imitati apostoli, & ipsi multa in mysterio, & signis quibusdam, ipsaque actione & representatione auditoribus suis seruãda tradebant. Sunt enim ritus & instituta nonnulla, iam inde à tempore Apostolorum apud Christianos populos recepta, quæ vt habitu quodam corporis & actione exercentur, ita demonstratione tacita, & insolentiori magis quàm scripto, vel sermone tradita esse existimantur. Nonnulla autem videntur ne describi

Ioan. 13.

Luc. 22.

Traditiones Apostolicæ in mysterio.

bi quidem aut enarrari commodè posse. Ea quoque non secus, quàm quæ scriptis mandata, aut viua voce tradita sunt ab Apostolis, & vt verbum Dei susci pi & seruari à nobis par est. Quod autem habeat religio Christiana antiquitus eiusmodi quasdam actiones & ritus, quæ à Græcis & Latinis appellantur mysteria, argumento est illud, quod scribit Paulus ad Corinthios: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Cæterùm si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amẽ tuam benedictionem? Hinc sanè apparet, tempore Pauli iam in ecclesia Christi ritus quosdam sacrorum & benedictionum fuisse. Quales autẽ ij fuerint, nihil scripto proditũ ad nos peruenit. Ad extremũ sic ille ibi cõcludit. Omnia autẽ honestè & secundum ordinẽ fiant in vobis. Quomodo autẽ honeste siue decẽter & ordine quicquã fieri debeat, nulla de eo extat scriptura, aut viuæ vocis traditio: vixq; aliter, meo quidẽ iudicio, quàm actione ipsa & vsu id statui potuit, aut potest. Honestas enim atq; decorum, sicut in actione magis, quàm in verbis aut scriptis spectatur, ita exemplo & actione ipsa potissimũ docetur ac discitur. Eodẽ illud pertinere videtur, quod seruator noster cum Samaritana mu-

Ritus externi in religione Christiana.

1. Cor. 14

Ioan. 4.

muliere loquens dixit: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate: Hoc est, Spirituali, siue interiori pariter & exteriori cultu, ita, vt is neque externis modò cæremonijs adumbratus, qualis apud Samaritanos & Iudæos tunc erat, neq; spiritualis tantũ, qualis est angelorum, futurus sit. Sed hominibus animo & corpore constantibus conueniens. Qui tunc demum in veritate fit, si cum externa actione spiritus & animus consentiat. AV. Non igitur respuit religio nostra externos cultus diuini ritus, ac cęremonias? MON. Nequaquam. Non mentes solas & animas, sed & corpora nostra Deus ad gloriam suam condidit & redemit. Atq; ita non modò interiore agnitione, mentisque & voluntatis erectione, verumetiam exteriori corporis habitu & adoratione coli à nobis vult & inuocari. Quod quidem, vt Moysi legem præteream, eorum, qui in lege naturali vixerunt, exemplis demonstrari posset. Legimus enim huiusmodi externos cultus ab Abele, Noa, Abraamo, Isaaco, Iacobo, Melchisedecho, Iobo, & alijs pijs ac sanctis hominibus Deo sæpe exhibitos, & ab eo probatos & acceptatos, atque adeò nonnunquam etiam exactos fuisse. Sed ea prætermittam, ne sim longior. E Christiana nostra religione aliquid eiusmodi

Adorare in spiritu & veritate.

Ceremoniæ externæ apud Christianos.

di proferam. Genuflexione inter precandum non modò Stephanus, Paulus, & Petrus, verumetiam ipse Christus vsus esse: idéque orans etiam oculos ad cœlum eleuasse legitur. De tribus Magis Matthæus non sine causa commemorat, quòd procidentes adorauerint eum, Christum videlicet puerum (qui tamen non in hoc, vt adoraretur in mundum venerat) & obtulerint ei munera, aurum, thus, & myrrham. Mariam verò Magdalenam ipse dominus, quòd pedes suos precioso vnguento inunxisset, & capillis extersisset, collaudauit, sempiternamque apud oēs Christianos populos eam ipsius laudem fore prænunciauit; discipulos autem suos ob id murmurantes increpuit. Collaudauit & peccatricem, siue ea illa ipsa Maria fuit, siue alia, quòd itidē pedes suos lachrymis lauit, capillis tersit, & osculata est. Approbauit & religiosam turbæ cum ramis palmarum se comitantis gratulationem, & acclamationem. Iam Paulus viros orantes puras manus attollere iubet: Et quidem virum aperto, mulierem verò velato capite orare vult. Nec temerè & sine causa Christus tam diligenter exprimit habitum orantis publicani: nimirum, vt illo exemplo discipulos suos informaret. Publicanus, inquit, à longe stans, nolebat nec oculos ad

Act. 7. Ephes. 3. Act. 9. & 20. Luc. 22. Mar. 7. Ioan. 11. Matth. 2. Ioan. 12. Luc. 7. Luc. 19. 2. Tim. 2. 1. Cor. 11. Luc. 18.

cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum.

Mar. 7. Quid illud, quòd cum multos idem Christus solo verbo sanasset, in surdi & muti auriculas digitos suos immisit, & expuens tetigit

Ioan. 9. linguã eius? aut quòd curaturus eum, qui cæcus natus erat, expuit in terrã, & fecit lutum è sputo, & liniuit lutum super oculos eius? An

Cæremoniæ circa baptismum non seruat aũt in hanc vsq; diem Ecclesia circa baptismum nonnullas ex his cæremonias, ab exẽplo sponsi sui petitas? Quas, licet euangelicis literis descriptas, isti tui euangelici exsibilant & explodunt. Multa eiusdem mo-

Dion. eccl. hier. & de diuin. nominum. Clemens recogn. di cõmemorant Dionysius Areopagita, & Clemens Romanus Petri discipulus, itemq; alij Apostolorũ auditores, quæ iã tunc Christiani sine scripturæ sacræ authoritate amplectebãtur, nec secùs, quàm præcepta Christi & verbũ dei venerabãtur, nõ disquirẽtes curiosè, quid ea sibi vellẽt. Qua de re, ac de traditionibus omnino ita scribit sanctus epi-

Basil. de spiritu sancto cap. 27. scopus Basilius, qui ante mille ducentos annos floruit. Dogmata quę in ecclesia seruantur ac prædicãtur, partim ex cõscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorũ traditione ad nos delata inmysterio recepimus. Quę vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.

habet. Si enim aggrederemur non scripto proditas cõsuetudines, velut nõ magnã vim habentes, reijcere, imprudẽtes etiã ipsis principalibus Euãgelij partibus damnũ inferremus, imò potius ipsam Euangelij prædicationem ad nudũ nomen contraheremus. Velut verbi grãtia (vt eius, quod primũ ac communissimum est, primam mentionem faciã) figura crucis signare eos, qui in nomen domini nostri Iesu Christi spem habent, quis scripto docuit? Ad orientem conuersos esse nos dum oramus, quæ scriptura nos docuit? Inuocationis verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euangelium mentionem facit, sed & ante, & postea alia quædam dicimus, velut magnũ robur ad mysteria habẽtia, ex doctrina scripto non prodita assumpta. Benedicimus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, insuperque ipsum qui baptizatur, è quibus scriptis? nónne è tacita & arcana traditione? Ipsã verò olei illitionẽ, quæ doctrina scripta docuit? At ter immergi hominẽ vnde est? Reliqua itẽ, quæ circa baptismũ fiunt: Renũciare satanæ & angelis eius, ex qua sunt scriptura? nõne ex hac nõ publicata & arcana doctrina? *Rituum arcanæ quam traditiones.*

quam in minimè curioso ac solicito silentio patres nostri conseruauerunt. Rectè illi, vtpote docti misteriorum reuerentiam ac authoritatem silentio custodiri. Quæ enim ne inspicere quidem fas erat non initiatis, horum doctrinam quomodo par erat in literis velut in triumpho ostentare? Aut quid tandem volés magnus ille Moyses, non omnibus omnia templi loca peruia esse statuit, verùm extra sacra septa profanos locauit, prima verò atria purioribus permittens, solos Leuitas Dei ministros ijs dignos iudicauit: Victimas verò & holocausta ac reliquam sacrorum celebritatem sacerdotibus assignauit, vnumque ex omnibus delectum in adyta admisit, & neq; hùc semper, sed vna solum anni die, atque huius hora certa ad ingrediendum ipsi constituta, quò propter nouitatem & insuetudinẽ, cum maiore admiratione inspiceret sancta sanctorum: probè gnarus ex sapiẽtia sua, ei, quòd conculcatum (siue tritum) est, & per se apprehendi potest, imminere contemptum: Quod verò remotum est ac rarum, ei naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem. Ad eundẽ modum etiam hi, qui ab initio res Ecclesiasticas sanciuerunt apostoli & patres, in occulto ac silentio mysterijs authoritatẽ conseruarunt. Neq; enim omnino mysteriorum

sterium est, quod ad populares & vulgares aures offertur. Hæc est ratio, cur aliqua tradita sint citra scriptum, vt ne dogmatum cognitio neglecta fieret, & in contemptũ veniret apud vulgus propter consuetudinem. Ita Basilius nõ modò de ritibus externis ac cæremonijs, sed in vniuersum de traditionibus Ecclesiasticis, siue eæ viua voce proditæ sunt, siue in mysterio. Nec diuersum scribit 1. Eusebius Cæsariensis: nempe Apostolos ecclesiæ doctrinam salutarem partim in scriptis, partim sine scriptis viua voce tradidisse. 2. Epiphanius itẽ: Oportet, inquit, nos traditione quoque vti. Neque enim omnia ex diuina scriptura possunt accipi, propterea q̃ quædã scripturis, quædam aũt traditione tradiderunt sancti Apostoli. Mitto 3. Origenem, & præceptorem eius 4. Clementem, Alexandrinum, 5. Athanasium, 6. Chrysostomum, 7. Hieronymum, 8. Augustinum, 9. Tertullianum, 10. Cyprianum, 11. Cyrillum Alexandrinum, 12. Gregorium Nazianzenum, 13. Theophilactum, & multos alios Græcos & Latinos, recentiores iuxta ac vetustiores: quorum eadẽ est de traditionibus

1. Eus. de monstr. Euang. li. 1
2. Epiph. aduers. hæres. in Catharis.
3. Orig. homil. 5. in Numer.
4. Clemstro. lib. 1.
5. Athan. de spiritu sancto.
6. Chry. cõtra Iudæ. homil. 5. & in 2. Thessal. 2.
7. Hieron. aduers. Lucif. & Vigil. & in

Eccles. ca. 10. 8. Augu. in Ioan. trac. 10. 9. & epist. 99. 9. Tert. de cor. mil. & de Virg. uelan. 10. Cypr. de ablu. ped. 11 Cyril. Alex. epist. 1. 12 Gregor. Nazian. de spiritu sancto. 13. Theophil. in 1. Corinth. 11.

ditionibus sententia. Ignatium quidem Petri discipulũ,& in cathedra Antiochena successorem memorat Eusebius,librũ etiam de traditionibus Apostolicis & Ecclesiasticis conscripsisse. Qui vtinam extaret,minus audacter fortassis garriret Brentius, humanũ aliquid illum in eo passum esse,& esse ea pudenda sancti illius patris, quæ tegi potius, quàm nudari conueniret: Quod non veretur scribere de Basilio. Tametsi non intelligo,cur Basilium sanctissimum ac doctissimũ Episcopũ,licet aliquanto posteriorẽ,contẽnendum sibi esse putet. Nihil autẽ prohibet, quo minus in ipsum quoque vas electionis Paulũ & Euangelistas, atq; adeò in Christũ Dominũ ab eo dictũ illud esse intelligamus: quandoquidẽ & ipse Christus cùm exẽplo suo, tũ verbis honorificis eiusmodi ritus & cæremonias nobis mirifice, sicuti dudũ ex me audiuisti,cõmendauit. Quid aũt potuit à Turca,vel Saraceno, vel incircũciso aliquo Philistæo dici irreuerentius? Quid porrò in eximios illos,quos dudũ cõmemoraui, & alios multos sanctos doctores(vt Paulum doctorẽ gentiũ prætereã)cõtumeliosius, quàm traditionarios atque traditores eos appellare,propterea quòd affirmant non minus traditione,quàm scriptura Apostololica salutarem

Euſ. hiſt. eccleſ. lib. 3. cap. 35.

Brentij petulantia.

rem & Euangelicã doctrinã esse cõprehensam? Satis ergo, vt arbitror, liquet, multa, quę ad fidẽ & religionẽ Christianã pertinent, Apostolos spiritu sancto moderante nobis nõ scripto, sed viua voce, multa ne viua quidem voce, sed in silentio, ipso vsu & actione prodidisse: Quæ non modò non sunt magicæ præstigiæ, quemadmodũ isti tui pseudeuangelici irreuerenter loquuntur & scribũt, sed parẽ, vt ait Basilius, & post eũ Bernardus, cũ ijs, quę scripturis cõprehensa sunt, vim habẽt ad pietatẽ, dũmodo seruetur in vtrisq; discrimen necessitatis & vtilitatis, eiusque perpetuæ & temporariæ, vniuersalis & certo hominũ generi accõmodatæ, alijsq; circũstantijs, quemadmodũ loquuntur dialectici, circũscriptæ. AVL. Explica hoc apertius, Non enim satis intelligo, quale´nã sit istud discrimen. MO. Alio fortasis loco de eo dicendũ erit susius & explicatius. AV. At enim Christus non ad viuę vocis, neq; ad arcanas istas, quæ actione cõstãt, traditiões, sed ad scripturas nos remittit, inquiẽs: Scrutamini scripturas. Et alibi. Nõne ideo erratis nescientes scripturas? MO. Ad quos´nam autem hæc locutus est? Certè non ad Apostolos, aut eos, qui iam in se crediderant: Verùm ad Iudæos, improbè se tentãtes, doctrinæq; suæ scripturarum prętextu aduersantes. AV. Quin discipu

Bernard. in cant. omil. 66.

Ioan. 5.

Mar. 12.

los quoque ad scripturas remisit: Nec modò
Luc. 24. duos illos Emauntem euntes, verumetiam omnes pariter congregatos, cùm eis post resurrectiõnem suam apparuit, sicut scribit Lucas, & aperuit illis sensum, vt eas intelligerẽt.

Ad scripturas cur sint remissi Iudæi & Apostoli.

MON. Benè mones. Remisit: sed dubitantes ac incredulos itidem, ac erant Iudæi. Ad quas verò scripturas vtrosque remittebat. Non ad eas certè, quas Euangelistæ & ipsimet Apostoli conscripserunt, quæ necdum extabant: verùm ad scripturas veteris testamenti, legẽ videlicet Moysi, Prophetas, & Psalmos. Cur autem remittebat? Vt inde formam doctrinæ suæ condiscerent? Minimè. Nam eam nouam
Malach. 3. futuram fuisse prophetæ prædixerant, & ipse Christus nõ dissimulauit. Sed vt inde discerent Iudæi quidem, ipsum esse promissum Messiam, & Prophetam illum magnum, nouæ legis latorem siue doctorem, ac filium Dei: Apostoli verò, impleta esse omnia, quæ in scripturis de ipso prædicta fuerant: Quo vtrique scripturarum illarum authoritate, quæ summa apud eos erat, adducti, doctrinam ipsius diuinam esse crederent, & susciperent, Apostoli verò etiam propagarent. Certè vel ratio ipsa dictat, si quis persuadere quid cuipiam refraganti, vel dubitanti, & in suam sententiam adducere eum velit, eò id facere eum opor-

oportere, quod apud illum pondus habeat. Quales erant apud Hebræos scripturæ sacræ, summam atque diuinam authoritatem obtinentes. Ac propterea Paulus quoque pædagogum legem appellat, quia per eam Iudæi ad Christum, perinde ac pueri ad magistrum adduci debuere, à quo demùm salutarē doctrinam perdiscerent. Itaque mox adijcit: At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo, hoc est, sub lege. Itaque nos quoque non inconuenienter subinde contentiosos istos & præfractos Euangelistas vestros, canonum & institutorum Ecclesiasticorū contemptores, solas autem scripturas sacras crepantes, ad eas ipsas scripturas remittimus, quę eccle- się & magistratuum eius authoritatem in doctrina præceptisque vitæ degendæ sanciunt. Verum inde nō rectè conficitur, omnem doctrinam salutarem non nisi è scripturis sacris vel tunc Iudæis & Apostolis petendam fuisse, vel nunc nobis petendam esse. Sophisticus nec rationi consentaneus iste est modus argumentandi, vestris istis Euangelistis valdè peculiaris, è particularibus velle vniuersè concludere. Scilicet, Quoniam Aethiops habet albos dentes, & vngues, si placet, totus igitur albus est. Ita quia Christus hic vel illa de causa Iudęos & Apostolos suos

Gal. 3.

Hæreticorū argumentationes.

scrutari scripturas iusit, proinde nulla cuiquã doctrina aliũde, quàm è scripturis, petẽda est. Hãc aũt talẽ argumentationẽ illa consequitur, qua itidẽ creberrime, & perquã libẽter vtũtur vestri. Hoc non est in scriptura, igitur credendũ & amplectendum non est. Ita Scribæ & Pharisæi Nicodemũ conuincere volebant: Christũ non esse prophetã. Scrutare, inquiunt, scripturas, & vide, quia à Galilæa propheta non surgit. Nusquã sanè hoc ita docẽt scripturę: E Galilæa prophetã proditurũ non esse: Sed non ideo fieri non potuit, quia scripturę non docent. Quemadmodum nec ideo spiritus sanctus adorandus nó est, quia scripturæ hoc non docent. Videsigitur nos non vrgeri illis Christi verbis, quibus is Iudęos & Apostolos scrutari scripturas iussit, etiamsi de noui testamenti scripturis ea intelligas. Quod profectò non potes. Nam de scripturis legis, quam Paulus ait pædagogum fuisse ad Christum, ea Christus ipse intelligi voluit. AVL. Licet´ne tribus verbis interpellare? MON. Arbitratu tuo. AV. Nunc nunc è Paulo recitasti, quòd lex vetus fuerit pædagogus ad Christum. Addit autem Paulus: At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Iam ergo nos Christiani veteris testamenti scripturas amplę-

lecti non debemus? Cur igitur eæ legun-
r, ac in scribendo atque disputando, & in
ncionibus cultuque diuino subinde mul-
inde promuntur? MON. Antinomorũ hic
error: Quem Lutherus etiam tandẽ dam-
nit, licet ipse eius author fuisset initio. Tu
de veteris testamenti scripturis accipe.
m eæ sint verbũ domini, quod (Esaia te-
manet in æternum, & mandata domini,
æ fidelia sunt, confirmata in seculum se-
, facta in veritate & æquitate, con-
eant, sedulò eas amplecti debemus: Ve-
ta, vt Deus ipse author earũ id fieri vult.
L. Quo pacto? MON. Vt secundũ respon
n diuinum, non minor maiori seruiat, sed
ior minori: Hoc est, vt vetus testamentũ
nouum, non nouum ad vetus adaptemus.
c enim Paulus oraculũ illud interprætatur,
que enim propterea deus dedit populo
el vetus testamentũ, vt per id iustificare-
& seruaretur. Quin statim post transgres-
nẽ & peccatum primorũ parentũ nostro-
promisit is non Hebræis, qui necdum
in rerum natura erant, verùm vniuersæ
ritati illorum ipsorum primorum ho-
num, hoc est, vniuerso generi humano ser
torẽ, & necatorem serpentis siue diaboli,
i genus humanum deceperat, & in pote-

Veteris testamenti scripturæ an & quo modo scri- tandæ Christianis Esa. 40. Psal. 110. Gen. 25. Rom. 9. Rom. 3. & 4. Gal. 2. Heb. 7. Missias promissus humano generi. Gen. 3.

statem suam redegerat. Itidem & Abraæ promisit semen, in quo benedici debebant omnes tribus terræ: Itemque Isaaco, & Iacobo aliquot seculis ante legem datam. Ad eundem modum & Hebræis omnibus, cùm eis legem dabat per Moysen, promisit, suscitaturum se esse prophetam de fratribus ipsorũ, & in ore eius positurum verbum suum: Addita interminatione: Si quis verba eius non audierit, se vltorem fore. Post datam quoq; legem itidem per Prophetas promisit non solis Hebræis, verùm cunctis populis Messiam, doctorem iustitiæ, sacerdotem & regem sempiternum, qui iram Dei aduersus eos placaturus, & nouam legem, priore illa abrogata, seu potius impleta, conditurus, per eamque ipsos in sempiternum gubernaturus, & beaturus esset. Quod prolixum esset enumerare. AVL. Cur igitur, & in quem vsum prior illa lex Hebræis data est, quando aliam eos expectare oportebat? MON. Respondebit tibi pro me Paulus ad confirmandas promissiones patrũ, de venturo videlicet Messia: Et propter trãsgressionem: Hoc est, ad coërcionem præfractorum & contumacium Hebræorum, & ad omne vitiorum genus, maximè verò ad idolorum cultum procliuium, donec ille, Messias inquam, & Seruator promissus, veniret suo

Gen. 22. 26. & 28.
Deut. 18.
Ioel. 2.
Psal. 109.
Esa. 33.
Lex uetus cur data sit Hebræis.
Rom. 15.
Gal. 3.

suo tempore. Quin dogmata quoque fidei de Deo, cultuque eius vero, & salute generis humani alicubi in ea interserta sunt, sed ita tenui penicillo, quod dicitur, adumbrata siue delineata, vt eruditos & sapientiores nõ tam docerent, quàm obiter eorum, quæ à maioribus suis Deo charis patriarchis quasi per manus tradita acceperant, admonerent: vulgo autem non intelligerentur, per Messiam venturum reuelanda suo tempore, & explicãda. Quod etiam Paulus inuere videtur, cùm scribit: Moysen posuisse velamen super faciẽ suam, vt non intenderent in eam filij Israel. Idque velamen vsque in hodiernum diem in lectione veteris testamenti manere non reuelatum: In Christo autem euacuari. Eodẽ pertinet, quod scribit Ioannes Chrysostomus Iudæis dictum esse: Dominus deus tuus, dominus vnus est. Quòd autem habeat etiam filium, prophetas posteà scriptum reliquisse. Nec id tamen valdè apertè, ne imbecillitatem Iudæorum offenderent: Nec celasse tamen, vt post hæc è proprijs libris ij possent colligere decreta veritatis. Proinde Paulus etiam, vt dixi, legem pedagogũ in Christo, vel ad Christum fuisse ait. Pædagogi enim officio ea fungebatur, ad Christũ rudes & crassos Hebræos, quasi pueros ad magistrum manu ducens,

2. Cor. 3.

Chrys. in Psal. 109.

Gal. 3.

eiusq́; doctrinæ facilius percipiendæ crassio ribus externarũ actionũ atque cæremoniarũ præceptis, ac temporariæ mundanæq́ue fœli citatis promissis atq; prœmijs teneros & hebetes eorum animos præparans, & quasi subigens. Ne verò erres, legem hîc appello cum Paulo, non modò quinque libros Mosis, verumetiam omnia Prophetarũ, & aliorũ sanctorum virorum scripta, quæcunque in canone scripturarum veteris testamenti censentur. AV. Quis igitur nobis eius legis vsus est, posteaquã Messias ille promissus venit, & salutarem doctrinam nobis tradidit? MO. Permagnus, quemadmodũ testificatur Paulus ad Roman. ita scribens: Quæcunq; enim scripta sunt (intellige in lege, de ea nanq; ibi agit) ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Licet enim Christus dominus in mortali corpore suo legẽ impleuerit, tamẽ restãt adhuc nonnulla cum in eo ipso, sed ad immortalitatem & claritatẽ Dei transformato, tum in mystico eius corpore, quod est ecclesia, & in nobis ipsis, membris eius, implenda. Vnde & Paulus adimplere se profitetur ea, quæ desunt passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est ecclesia. Alios itẽ vsus eiusdẽ legis idẽ Paulus alibi

Legis nomine quid ueniat.

Legis usus apud Christianos.

Rom. 15.

Coloss. 1.

2. Tim. 3.

alibi enumerat, inquiés: Omnis scriptura diuinitus inspirata (de lege autē loquitur) vtilis est ad docendū, ad arguendū, ad corripiēdum, ad erudiendū in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Quòd si exactius nosse vis ea cōmoda, scire te oportet, cōtineri ea lege, siue scriptura sacra veteris testamenti, non solū precepta & interdicta dei, & quandā, sicut iā ostendi, doctrinæ salutaris delineationē, sed etiā rerū futurarū iuxta ac præteritarum, partim ad omne genus humanū, partim ad vnū populū Israēliticum, quem Deus sibi peculiariter delegerat, pertinentium, diuinas reuelationes. Earum item, quæ quibusq; temporibus (in illo ipso populo prę sertim) diuinitus humanitusq; gerebātur, & bonorū iuxta ac malorum successuū certa dei prouidentia dispēsatorum certas descriptiones. Adhæc psalmos, laudationes, & inuocationes Dei: & quæ quoquo modo ad excolendā humanā pietatem & sapientiā pertinent. Hæc omnia conscripta sunt, præcipuè propter Hebræos, quò Dei potestatem, sapientiam, prouidentiam, bonitatem, beneficiaq; erga se præ oculis haberēt: Eaq; recognoscendo, præceptis Dei, spe præmiorū, ac pœnarum metu, & bonorum atque malorū exemplis in officio

continerētur, Et voluntati Dei conuenienter viuendo, ab ipso opem, præsidium, & omnia bona expeterent. Et quoniam, vitiata peccato natura hominum, ad malum procliues, voluntati & præceptis Dei non vsq; quaque obtemperabant, & erant sempiterno exitio obnoxij, cœlitus promissam salutem, & salutis
Rom. 15. authorē certa spe expectarent. Sic igitur propter
Heb. 7. Hebræos potissimū illa omnia conscripta sunt. Deinde etiam propter nos, quemadmodum scribit Paulus, hoc est, propter confirmationem nostram, Christianorū videlicet, quò certius ac firmius credamus, dominum Iesum Christum, esse Dei cœli ac terræ conditoris filium, & filium hominis: seruatorem & magistrum totius mundi: illum, qui in lege illa fuit longe ante promissus, sacrificijs & ritibus varijs repræsentatus, à sanctis patribus & Prophetis expectatus & prænunciatus: veramque ac salutarem ab eo doctrinam hauriamus. Huc nimirum pertinet illud, quod
Ioan. 5. ipse dixit: Scrutamini scripturas. Illę sunt quę testimonium perhibent de me. Neque hîc sistendus est gradus. Pergendum est porrò, vt ijsdem scripturis fidem & spem nostram confirmemus, quemadmodum illa sic longè ante prædicta, impleta sint, ita proculdubio cætera quoque, quæ cùm ab ijsdem patribus &

pro-

prophetis, tum ab ipso Christo domino, vel Apostolis eius prænunciata & promissa sunt, impletum iri: Atque hæc meditando, Deiq; erga nos clementiam & beneficia nobiscum reputando, ardentius eum diligamus, præceptisq; eius pareamus, & cùm bonitatem eius, neminem lædendo, bene autem merendo de omnibus, tum sanctitatẽ in omni vita ab omni flagitio nos abstinendo imitemur: quò secũdum Pauli dictum perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus. AVL. Igitur & circumcidi, & sacrificia boum, hircorum, arietum, ouium, vitulorum & auium offerre, & omnes alias cæremonias ac præcepta legis implere nos oportet? Verùm pugnaret id cum doctrina Pauli, ac decreto Apostolorum, cuius antea mentionem feci sti. MON. Obseruandum hîc tibi est præceptorum discrimen, si non vis errare. Sicut enim ea non vniusmodi sunt, ita & vsus eorum varius est. AVL. Expone hoc planius. MON. Faciam. Sunt quædam præcepta ad informandos hominum mores ac volũtates pertinentia, quomodo videlicet homo quilibet animo, affectione, & actione erga Deum, seipsum, & proximũ se gerere, & quid vitare debeat. Hæc non sunt propria legis Mosaicæ, verùm iam inde ab initio conditi generis humani in

Legalium præceptorum discrimen. Moralia.

animis omnium insita sunt à Deo. De quibus illud Paulinum accipi oportet, quòd
Rom. 5. is scribit ad Romanos: Cùm enim gẽtes, quę legem (subaudi scriptam) non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legẽ non habẽtes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis. Verùm enimuero corrupta per peccatũ natura humana, cùm ea pręcepta obscurata ac pœnè deleta fuissent ex animis hominũ, Deus dimittens cæteras gentes in præteritis generationibus ingredi vias suas, vni populo Hebræo per Mosen & prophetas iam scriptis, iã cõcionibus inculcãs, ea renouauit. Hæc omnibus populis ac seculis apta sunt. Cuius generis sunt decem illa, in duabus tabulis lapideis Mosi à Deo tradita, & si qua sunt alia eiusdẽ generis, quæ moralia vocantur. Eaq; omnia dilectione Dei & proximi continentur, quemadmodũ testificatur Paulus ad Romanos, & ad Galatas scribẽs, & Christus ipse apud Matthæũ. Ad huiusmodi pręcepta seruanda nos quoq; Christiani adstringimur, quemadmodũ & Ioãnes ostẽdit, ita, scribẽs: Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit deum, diligat & fratrem suum. Et Christus ipse: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Eaq; mox enumerat. A talibus igitur

Hcb. 14.

Moralium prœceptorum summa & usus.

Rom. 13.
Gal. 5.
Matth. 22.
1. Ioan. 4.
Math. 19.

præ-

præceptis Paulus & alij Apostoli nos liberos non reddiderunt. Tametsi illud simul indicant, quamuis renouati simus per baptismũ, non posse tamen per ea, quantum in ipsis est, refrenari cogitationes & cõcupiscentias nostras, voluntati dei repugnantes. AVL. Quã igitur vtilitatem nobis afferunt, quãdoquidem prauas cogitationes & concupiscentias non refrenant? MON. Voluntatẽ dei nobis declarãt, & imbecillitatem nostrã coarguũt, quo maiori desiderio auxilium quæramus: Quòd nobis Prophetæ quidẽ ac cæremoniæ legis tectius, Euangelium verò ac doctrina Christi apertius commonstrant. Ea verò est gratia dei per dominũ nostrũ Iesum Christũ nobis parta: quæ non tãtum delet, quicquid aduersus præcepta dei cõmisimus, sed voluntates etiã nostras corrigit, alacritatẽq; & vires nobis ad obtemperãdum voluntati dei suppeditat, vt in præceptis eius ambulemus: Deniq; q̃ per humanã infirmitatẽ minus exactè præstare possumus, id ea ipsa gratia merito Christi supplet in nobis, & imperfectioni nostrę clemẽter indulget. Hic est verus, bonus, & Christianus moraliũ pręceptorũ vsus. Etenim finis legis est Christus ad iustitiã omni credẽti, quẽadmodũ idẽ Paulus Roman. scribit: Habes de primo genere pręcepto-

Rom. 7.

Gratiæ dei uis & efficientia.

Rom. 10.

cepto-

ceptorem. AVL. Quod nam est alterũ? MO. Alia sunt præcepta ad externum cultum diuinum, & alias hominũ actiones eas, quibus cum altero non contrahitur, neque alter læditur, pertinentia. Qualia sunt, circumcisio, sacrificia, expiationes, dies festi, vestitus sacerdotalis, vasa, & omne instrumentum cultusque tabernaculi, animalium mundorum & immundorum delectus, & multa eiusdem modi alia. Quæ à Deo instituta sunt, partim propter decorem ac maiestatem cultus diuini, ne is vulgo contẽptibilis redderetur, & vt per ea, ab idololatris gentibus ferè translata, & ad vnius veri Dei cultum accõmodata populus ille à superstitionibus & impio dæmonum idolorumque cultu, ad quem magnopere propendebat, auocaretur, partim ad refrenandam vulgi intemperantiam, politiamque excolendã, & à cæteris gentibus segregandã ac distinguendam, partim etiam ob monimẽtum rerũ quarundã magnarũ diuino numine in populo illo gestarũ gerendarũ ve. Hæc præcepta vocantur cæremonialia, solisque Israelitis seruiebant, neq; omnia tamen omnibus, nec vbique, neque semper: sed ab ipso Deo certis locis, temporibus, personis, & alijs circumstantijs adstricta fuere, sine quibus nõ obligabant. AVL. Edissere ista planius. MO.

Cæremonialia præcepta.

Age.

Age. Circumcisio Abraæ soli cum posteris ipsius,& seruis, idque maribus tantum præcepta fuit. Itaque alias nationes id præceptũ non obligabat. Quod autem neque apud Abraæ posteritatem,hoc est,apud Hebraicum populum,sempiternum id futurum fuerit,inde colligitur,quod datum id est in signũ peculiaris fœderis inter Deũ & Hebræos,quo à cæteris gentibus distinguerentur,Messiamq; de suo semine nasciturum certiore spe expectarent. Cùm autem Messias iam extiterit, & fœdus illud alio nouo fœdere,per Hieremiam & alios Prophetas prænunciato, antiquatũ sit,signũ quoq; & monimentũ earũ rerũ,ipsa inquam circũcisio,cessare debuit. Vbi enim cessat ratio legis, ne lex quidẽ ipsa locũ habet. Iã de sacrificijs ,quomodo fieri debeant,nõ vniuerso populo Hebraico, verùm sacerdotibus ferè præceptũ datũ est. Quòd aũt non vbique locorũ Hebræi pecudes immolare,festosque dies agere debebant,non obscurè id deprehendes in Deuteronomio. Igiter nunc ij,quando electi & exclusi sunt eo loco,in quo eis Deus immolare præcepit , nullas pecudes immolant,neque vestitu sacerdotali vtuntur:Nec se in eo peccare arbitrantur. Peccarent autem,si alibi, quàm vbi præcepit Deus,ea seruarent. Cùm autẽ nunquã ij deinceps

Gen.17

Hier.31.

Sacrificiorũ legaliũ ratio.

Leuit.6.7. &c.

Deut.12.

ceps ad locum illũ, & ad arcã Dei reuersuri
Dan.9. sint, secundũ Danielis vaticiniũ, hoc argumẽto est, penitus iã cessasse sacerdotiũ illud
& sacrificia, nec sempiternũ id fuisse præce-
Heb.7. ptum. Quod Paulus quoq; cõfirmat ad Hebræos scribẽs: Hoc ipsũ de alijs quoq; cæremonialibus pręceptis demõstrari posset. Sed satis est, de duobus præcipuis demõstrasse, ea solos Hebræos obligasse, & quidẽ ad tẽ-
Ioan.4. pus: Quod iã præterijt, parta vniuerso gene-
Heb.10. ri humano per Christũ salute, veraq; religione, qua adoramus patrẽ in spiritu & veritate, prodita. Vmbrã enim futurorũ bonorũ, non
Eccl.1. ipsam imaginẽ rerũ lex habuit. Et tamen &
Cæremoniahæc, & omnia pręcepta Dei ęterna sunt, quẽ-
liũ præce- admodũ testificatur sapiẽs: Nec solos He-
ptorum u- bræos, verùm nos quoq; Christianos in om-
sus. ne tẽpus obligant: Sed spritualiter. Lex enim
Rom.7. spiritualis est, quẽadmodũ ait Paulus. Quin etiã tunc cũ cæremonias illas, ita vt sunt descriptæ, peragi Deus à populo illo voluit, ma-
Esa.1. gis tamẽ ab eo exigebat id, quod per eas significabatur, sicut ipse per Esaiã ostẽdit. Quo mihi multitudinẽ victimarum vestrarum, dicit dominus? Et paulò inferius: Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abomination est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias nõ ferã. Iniqui sunt cœtus ve-

stri.

stri. Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta; laboraui sustinens. Itidem alijs multis in locis. Alibi verò apertè ostendit, eas ipsas cæremonias sibi gratas esse, si spiritualiter peragantur. Velut de circumcisione per ipsum Moysen disertè expressit. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, &c. Alibi autem apertius exponit, hanc cordis circumcisionem nihil aliud esse, quàm coërcionem cogitationum siue voluntatum ab illicitis concupiscentijs & amore rerum terrenarum, sic dicens; Circũcidet dominus Deus tuus cor tuũ, & cor & seminis tui, vt diligas dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. De hac ipsa circũcisione Hieremias quoq; facit mentionẽ: Itemq; Paulus ad Romanos scribens, quòd laus eius non ex hominibus, sed ex Deo sit. Et ad Philippẽses: Nos enim sumus circũcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu. Vbi innuit, q̃ à nobis Christianis circũcisio spiritualis seruetur, & quomodo id fiat. Ad eundẽ autem modum qualibus sacrificijs Deus delectetur, ipse per Dauidem compluribus in locis ostendit. Vt psalmo 49. aspernatus, itidem atque apud Esaiam sacrificia taurorum, hircorum, & vitulorum, subdit:

Circumcisio spiritualium.

Deut. 10.
Deut. 30.
Hierem. 4.
Rom. 2.
Phil. 3.

Sacrificia spiritualia.

Psal.49. Psal.4. Psal.10. Psal.140. Ozeæ.14. 1.Pet.2. Heb.13. Esa.58.

subdit:Immola Deo sacrificiũ laudis,& redde altissimo vota tua.Et alibi: Sacrificate sacrificiũ iustitiæ,& sperate in domino. Et alibi : Sacrificium Deo spiritus contribulatus cor contritũ & humiliatũ Deus non despicies. Et alio loco:Ascẽdat ad te domine oratio mea,sicut incensũ in conspectu tuo:Eleuatio manuũ mearũ sacrificium vespertinũ. Ozeas quoque dicit:Reddemus vitulos labiorũ nostrorum. Petrus etiã scribit ad Christianos. Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.Paulus item ad Hebræos Christo initiatos:Per ipsũ ergo (Christum videlicet)offeramus hostiã laudis semper deo,id est,fructum labiorum confitentiũ nomini eius.Beneficentiæ autem & cõmunicationis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur Deus. Quæ congruunt cum ijs, quæ Deus ipse per Esaiã pronunciauit. Frange esuriẽti panẽ tuum,& egenos,vagosque induc in domũ tuã. Cùm videris nudũ, operi eum,& carnẽ tuã ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur,& anteibit faciẽ tuã iustitia tua,& gloria domini colliget te,&c. Hęc sunt sacrificia,secundũ vnicũ hæc omnia Deo accepta,faciens Christi Iesu sacrificium (quod nos ex ipsius Christi & apostolorum eius traditi o-

ditione continenter secundum Malachiæ va ticiniũ repræsentamus) per legalia illa sacrificia significata, quæ Deus præcipuè cùm ab Hebræis, tũ à nobis quoque Christianis exigit. Ad eundem modũ intellige de omnibus alijs cæremonijs legis veteris, quòd habeant suas significatiões spirituales, & spiritualiter in nobis & à nobis peragi debeãt. Quod illis etiam verbis dei ad Mosen in conformatione arcæ, sacrorum, & sacerdotij significatur, quemadmodum interpretatur Paulus: Inspice, & fac (vel, vt est apud Paulum, vide facito) omnia secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Atque hæc de cæremonialibus præceptis nunc sufficiant. Tertium genus præceptorum legalium est, quæ vocãtur iudicialia: pertinentque ad tuendam iustitiã in repub. & concordiam multitudinis, & ad prohibendam actionum deformitatem ac turpitudinem, coërcendosque delinquẽtes. Cuius generis sunt illa de seruis, emolumentis, damnis, contractibus, iniurijs, alijsq; debitis ac delinquentibus. Quorum facit mentionem Christus apud Matthæum: Quicunq; dimiserit vxorem suam, det ej libellum repudij. Et illud: Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente, & alia multa. Hæc quoque secundum literam ad solos

Mal. 1.

Exod. 25. Heb. 8.

Iudicialia præcepta.

Matth. 5. Deut. 24. Exod. 21. Deut. 19.

Hebræos pertinebant, nec nos Christianos obligãt. Quod quidẽ ex Euãgelio doctrinaque Christi colligitur, quãdo adulterã cõtra præceptũ legis à lapidatione liberauit: diuortijs à lege permissis interdixit: malum pro malo reddere vetuit. Neque tamen hoc sic accipiendum est, quasi eiuscemodi præcepta iudicialia, mala & inutilia nobis sint, sed quòd vnius illius populi moribus & ingenijs, & formæ reipub. potissimũ accõmodata, & quòd maioré perfectionẽ à suis requirat Christus. Multa enim, quæ permissa fuerunt Hebræis, nobis vetãtur. Quod quidem illis verbis domini significatur: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Animaduersiones quoq; insontes acriores sunt apud nos, quàm apud illos fuere. AV. Quid ais? MO. Ideo fortasis hoc tibi mirũ esse videtur, quòd mortẽ grauissimũ & acerbissimũ suppliciũ esse ducis. AV. Quæ nã autẽ pœna morte grauior esse potest? MO. Non vna, vel gentilium philosophorũ & legislatorum iudicio, qui atrociora scelera alijs, quasi atrocioribus morte suppliciis puniunt. Apud nos Christianos excõmunicatio longè est atrocior pœna, quàm mors. Etenim ad animã, quæ corpore lõgè est præstãtior, vis eius sese exerit, separatq; hominé à ve-

Ioan. 8.
Matt. 5. 9.

Iudicialiũ usus apud Christian.

Matth. 5. Christianæ legis perfectio.

Matth. 19.

Pœnas noui testamẽti grauiores esse, quàm ueteris.

Excommunicationis uis.

à vera vita, domino inquã nostro Iesu Christo. Quam quãti fecerint maiores nostri, veri & probi Christiani, non modò ex annalibus & historijs nouimus, verùm ipsi quoque aliqua ex parte meminimus. Nunc, proh dolor, in risum iocumque ea vertitur, popularibus ac turbulentis pseudeuangelicorũ istorũ cõcionibus temerè & acerbè exagitata. Nec scio, an nos ipsi eius administri causam contemptui præbuerimus, ac præbeamus. Illi quidem eam restitutã cuperent, sed serò, & frustra. Non facile homines excussũ semel iugũ recipiũt. Est aũt ea verbo Dei cõsentanea, & cum ipsa Christi ecclesia nata & adulta. Hac fanè pœna Paulus in Corinthium illum, qui nouercam duxerat, animaduertit: itemque in Hymenæum & Alexandrum, qui circa fidẽ naufragauerant, & blasphemabant. Hac ipsa Christus ipse magister noster animaduerti præcepit in eum, qui non audierit Ecclesiã. AVL. Hac ratione durior erit lex Christiana, quàm Mosaica. MON. Ita quidem sentit etiam Greg. Nazanzenus, qui propter præstãtiam theologi nomen apud Græcos meruit. AVL. Cur igitur scriptura vocat eam legem libertatiæ & libertatis? Aut cur dominus ipse affirmat, iugum suum suaue esse, & onus suũ leue? MON. Non ideo lex Christiana

Excommunicationi contemptus

Excommunicatio uerbo Dei consentanea.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1.

Matth. 18.

Lex Christiana dura & suauis.

Naz. in ser mon. paschatis.

Ioan 1.

Matth. 11.

vocata est lex libertatis: qp liberum ac licitum sit homini Christiano facere quicquid velit. Hæc enim est libertas carnis, à qua nos auocat Paulus, ad Galatas ita scribens: Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis: sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Ad eundem modum & Petrus: Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: Sed sicut serui dei. Quin Paulus præcipit nobis: Sicut enim exhibuistis mẽbra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationẽ. Eiusque rei causam præmisit, dicens: Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Non igitur lex Christiana eam libertatem præstat, qua liceat nobis quicquid libet. Sed est lex libertatis propterea, quòd per eam liberati sumus à peccato, sicut ipse Christus eius libertatis author affirmat, & attestatur Paulus verbis dudum à me citatis: Et quòd Christianus homo non inuitus & pœnæ metu coactus, verùm lubens & ex amore infuso diuinitus ei paret, ac parẽre debet. Ac propterea Christus, cùm nos vinculis præceptorum legis soluisset, iugum suum suaue, & onus leue esse affirmat. Non quod iugum & onus non sit, sed quòd amor id

Lex libertatis. *Gal. 5.* *1. Pet. 2.* *Rom. 6.* *Ioan. 8.* *Rom. 6.*

id suaue & leue faciat. Amanti enim nihil est difficile. Lex autem gratiæ dicitur, quòd per eam condonata nobis offensa, in gratiam dei reponimur, & infunditur nobis diuinitus gratia, quæ in nobis, vel (vt rectius dicam) per quam, & qua adiuuante nos legi Dei satisfacimus, vereque iusti efficimur coram Deo: nõ solum accepta ipsi fiunt rectè facta nostra, verumetiam certam habent, æternamq; remunerationem. Quotiescunque enim conuertit, vt deum quamlibet grauibus & enormibus peccatis offendamus, quàm primùm ad eum ex animo reuersi fuerimus, & admissorum nos pœnituerit, recipit nos in gratiam. Atque hac in parte clementior est noua lex per Christum, quàm vetus per Mosen data. In illa enim non tam facilis erat condonatio culpæ & pœnæ, quàm est in hac. Quò clementior autem ea est in eos, qui cùm peccauerint, agnoscunt culpam, & pœnitentes à Deo veniam petunt, eo seruerius auimaduertit in eos, qui tam exuberanti gratia abutuntur, aut aspernãtur eam, sicut testatur Paulus: inquiens: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxe-

Lex gratiæ.

Euangelicæ legis seueritas.

Hebr. 10.

rit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliã fecerit? Hîc certe animaduertere potes, atrociores esse pœnas noui testaméti, quàm veteris. Atq; ita huiusmodi præcepta legis veteris, quæ ad coërcionem peccatorum attinent, cęteraq; iudicialia, nõ sunt dãnata per Christũ, sed ad perfectionẽ reducta. Quanquã ea quoq; habẽt mysticas significationes, quibus nos Christiani adstringimur. Quale est illud: Nõ alligabis os boui triturãti, vel Paulo interprete. Quod aũt ad externã eorũ obseruationem attinet, nihil vetat, quo minus communitates atq; respub. hominum Christianorũ ijs vtãtur, quatenus ea sibi vilia & rationibus suis, suorũq; ingenijs accommodata esse iudicãt: Et vtitur nonnunquam publicè ipsa Christi ecclesia, canones ac decreta, institutaq; inde mutuans. Ac ne à cæremonijs quidẽ eiusdẽ legis, quæ ad externum cultus diuini splendorẽ decorẽq; pertinent, abhorret, fundatores suos apostolos imitata, qui cùm alios quosdã ritus sacros, tũ impositionẽ manuũ ad sacramẽta quædã euãgelica inde trãstulerunt, & illa, de nõ vescẽdo suffocatis, sanguine, & idolothytis, velut necessaria sanxerunt. Necessaria verò ad alendã inter homines Christianos concordiam mutuam, ordinemq; ac decorem politicum pub-

Deut. 25. 1. Cor. 9. *Iudicialia & cæremonialia præcepta licet seruare Christianis*

publicè conseruandum, non autem ad salutẽ adipiscendam, quemadmodum sibi persuadebant Iudæi: Quod solum Paulus in ijs insectatur, quemadmodum cùm ex alijs epistolis eius, tum ex ea, quam scripsit ad Galatas, planè apparet. AVL. Iam de tribus præceptorum generibus, quæ sit eorum ratio, quiq; vsus apud nos Christianos esse debeat, dicito. Quid? Psalmorum & aliarum veteris testamenti precationum atque laudationum Dei, itemque eorum, quæ ad excolendam pietatem & sapientiam pertinere dixisti, est ne aliquis vsus? MON. Perinde id quæris, quasi Christianos pecudes vel stipites esse oporteat, ac non de ijs Paulus illud scripserit: Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonũ instructus. Quod quidẽ partim sapientia, pietate, & gratitudine sua erga Deum, partim ope ipsius, eiusque opis imploratione assequitur. Quamuis autem aliunde quoque nõ modò ad sapientiam, sed etiam ad laudandũ & inuocandum Deum eruditi possimus, tamen absolutiora & efficatiora sunt ea, quæ diuinitus prodita esse constat, aut ab ijs certè hominibus, qui Deo placuerunt, quàm quæ à quibusuis alijs excogitantur. AVL. De rebus porrò gestis & actionibus hominũ rectis ac prauis in veteri lege cõscriptis, quid dices?

Psalmorũ orationũ, & aliorum veteris testamenti scriptorũ usus.

2. Tim. 3.

Historiarũ veteris testamenti usus.

dices? Cui nobis vsui sunt? MON. Vel illa certè vtilitas ex ijs hauriri potest, vt inde discamus: Prouidentia diuina res humanas gubernari, & peculiarem habere Deum curam eorum, qui ab ipso dependent, & ad eius voluntatem voluntates suas aggregant, quemadmodum & Iosephus historicus memoriæ prodidit. Sed aliam quoque diuus Paulus memorat, Nimirum ea scripta esse ad correptionem nostram: hoc est, propter exemplũ rectè quidem facta imitandi, contraria verò fugiendi. Exempli gratia: Ex Abraæ peregrinatione, & immolatione Isaaci filij, addiscimus obediẽtiam & amorem dei charissimis quibusq; rebus anteponendum. E Solomonis lapsu, ne innitamur sapientiæ nostræ, ne´ue libidinibus indulgeamus, quę hominem in barathrũ vitiorum demergunt. E Dauidis pœnitentia, ne post peccatum desperemus de misericordia Dei. Ad eundem modum de cæteris historijs existimandum est. AVL. Quale verò exemplũ accipiemus è gemellis illis Rebeccæ vzoris Isaaci, qui in vtero matris se inuicẽ collidebant, & in ortu suo alter alterius plantam tenebat? Aut ex eo, quòd Sara Agar ancillam Abraæ viro suo ad vsum coniugalem tradidit, ac postea pariter cũ puero, quẽ illa inde pepererat, eiecit? MON. Licet possint hinc quoq;

Ioseph. in præfati li. antiq. iudaic.

1. Cor. 10.

Gen. 12. 22

3. Reg. 11.

2. Reg. 12.

Gen. 25

Gen. 16.

quoque exempla peti, vt sunt petita à magnis quibusdam Theologis, sed ea nunc omittã. Illud modò dicam, quod scribit Paulus ad Galatas: Hæc esse per allegoriam dicta. Quãuis enim ea sic acta sint, vt sunt literis mandata, aliud tamen quiddam significabant, quemadmodum Paulus in eo ipso loco, & ad Romanos, & in priore ad Corinth. epistola, & alijs in locis interpretatur. Atque ea spiritualis interpretatio magna religionis nostræ mysteria, præclaraque promissa Dei in se cõplectitur: De quibus non est locus dicendi modo. Satis est, quod & hæ, & omnes aliæ res gestæ & euenta, & pleraque omnia iudicialia ac cæremonialia præcepta spiritualẽ & mysticam rerum præteritarum, præsentium, & futurarum interpretationem habẽt: quam nos amplecti conuenit. In qua explicanda multũ operæ posuerũt apud Hebræos quidem Philo, apud Christianos verò Origenes. In summa, hoc de vniuersa veteris, atque adeò noui quoque testamẽti scriptura sentire nos oportet, tria esse eius genera, sicut & Augustinus & Chrysostomus memoriæ prodidere, & res ipsa indicat. Est enim quæ nullum habet reconditiorem sensum, præter eum, qui est secundum literam. Qualis est illa: Audi Israel, dominus Deus vester, deus vnus est. Et illa:

Gal. 4.

Mystica interpretatio scripturæ.

Rom. 9. 1. Cor. 10.

Scripturæ sacræ intelligendæ triplex ratio.

August. in serm. de assump. Mariæ

Chrys. in psal. 9.

Deut. 6.

Bona, est oratio cum ieiunio & eleemosyna.
Tob. 12. Alia est, quæ & ipsa quidem sensu literali accipitur, sed præter eum aliam habet reconditiorem interpretationem. Qualis est
Gen. 7. illa, quòd Noë cum septem alijs hominibus in arca seruatus est à diluuio. Et illa, quòd
Num. 20. Hebræi de petra aquã biberunt. Vtraq; enim
1. Pet. 3. hæc scriptura & eo sensu accipienda est, quo
1. Cor. 10. Moses memorat, & eo, quẽ Petrus & Paulus mysticum prodiderunt. Tertium scripturæ genus est, quod literalem sensum non admit
Gen. 3. tit, sed mysticè tantum accipiendũ est. Qualis est illa, quòd Adam & Eua audierũt vocẽ domini Dei deambulantis in paradiso. Aut,
Esa. 6. quòd Esaias vidit dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Vtraque hæc scriptura nõ potest ita accipi, vt intelligamus
Ioan. 4. sic esse factũ vt scribitur: cùm Deus spiritus
Luc. 24. sit, nec habeat corpus aut mẽbra, nec loco vl-
2. Par. 6. lo cõprehendatur. Habes igitur quomodo veterẽ legẽ intelligere, & seruare debeamus.

Christiani quomodo liberi sint à lege ueteri

AV. At Paulus scribit: Quæcũq; lex loquitur, ijs qui sub lege sunt loquitur. Hîc sanè nõ excipit ille huius vel illius modi præcepta, sed
Rom. 3. vniuersè dicit, ꝙ eos tantũ obligẽt, qui sunt
Rom. 6. sub lege: hoc est, Hebræos. Christianos enim non esse sub lege, idem Paulus in eadẽ epistola testis est, ita scribens: Non enim sub lege

estis,

estis, sed sub gratia. Igitur Christiani nullo modo obligãtur ad vlla legis Mosaicæ præcepta seruãda. MO. Nõ raro hîc peccãt hæretici, & in multa absurda prolabũtur, dũ verbũ idẽ nõ eodẽ semper modo & significato proditum in scripturis, eodem modo intelligũt. Ad rem autem propositã ita tibi respondeo. Priorem quidem illum Pauli locum: Quæcunque lex loquitur, &c. non de Mosaica tantum, sed in genere de quauis lege recte intelligi: Nimirum quòd lex quæuis nonnisi ijs, qui sub ipsa sunt, loquitur. Constat autẽ, omnes homines sub lege naturali esse, ex qua præcepta moralia tanquam è fonte emanant. Proinde ea sicut omnes alios homines, ita Christianos quoq; obligant. Hinc est, quòd Paulus idem gentes dicit esse inexcusabiles, propterea, quòd ostendant opus legis scriptũ in cordibus suis. Alterũ verò, vbi Paulus idẽ Christianos negat esse sub lege, propriè de Mosaica, hoc est, de cæremonialibus atq; iudicialibus præceptis accipi: quemadmodum & illũ: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini. Sed tamen de moralibus quoq; præceptis rectè accipi potest, nos sub ijs non esse, sed sub gratia, si attẽdamus hoc ad eos solos loqui Paulũ, qui spiritu Dei agũtur, quẽadmodũ ipsemet ad Galatas scribẽs interpretatur

Equiuocationes scripturæ.

Rom. 2.

Gal. 5.

Gal. 5.

tatur: Quod si spiritu, inquit, ducimini, non
1. Tim. 1. estis sub lege. Quod alibi planius etiam explicat, inquiens: Lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, &c. Talibus enim lex est necessaria, vt à scelere & licentia reuocentur. Nec tamen ob id deo placent, quod inuiti faciunt quodāmodo. Cæterùm iusti, & qui spiritu ducuntur, non metu pœnæ, neque adacti à lege, sed lubentes & amore incitati, sitcui dudū dixi, omnia, quæ Deo legis authori placent, faciunt. Ac propterea
2. Cor. 3. scribit Paulus: Vbi spiritus domini, ibi libertas. Hcā autem iustitiā, & hunc spiritum non habemus ex lege, sed ex gratia dei per fidem
Gal. 3. in Christum, sicut idem Paulus affirmat. Hęc enim gratia operatur, & efficit in nobis charitatem erga Deum & proximum, quæ est finis præcepti, & plenitudo legis. Hinc planum
Legis usus fit, in quem vsum Deus legem dederit, & quomodo nos eam seruare, & secundum eā vitam instituere debeamus, tam in moribus & actionibus exterioribus, quàm in spirituali cultu Dei. Quæ cùm perinde sit verbū Dei, atque Euangelium, siue religio nostra Christiana, non minus pondetis atque dignationis apud nos eam habere par est: Sic tamen,
2. Cor. 3. vt non ex ea Euangelium, sed eā ex Euāgelio

inter-

interpretemur. Nam vsq; in hodiernũ diem velamen in lectione veteris testamenti manet positum super cor Hebræorum, sicut testificatur Paulus: Quod in Christo euacuatur. Et nunc enim vix, ac ne vix quidem lex rectè vt seruari, sic & intelligi potest sine noua Christi lege, doctrinaque: Quæ credendorum iuxta ac agendorum omniũ norma, & quasi cynosura quædam huius vitæ pelagus nauigantibus nobis esse debet. Sed nos procul ab instituto digressi sumus. AVL. Id & ego quidem animaduerto: sed libentet hæc audiui. Expedit enim ea nosse: & est ad id, quod instituimus, conducibile, an & quomodo Christianos legem, seu testamentum veterus seruare oporteat, & qui eius nunc sit vsus. Quin ego ipse eò te deduxi, cum tu veteris testamenti mentionem faceres, quòd de eo, ac non de nouo illa Christi verba accipienda sint: Scrutamini scripturas. Et illa: Nónne ideo erratis, nescientes scripturas? MON. Sic est. Et fuit mihi obiter explodendus error Manichæorum, quem Lutherus etiã tuus ab initio secutus est, & sequuntur etiãnum Antinomi. Legem Mosis ad nos Christianos nihil penitus pertinere. Vt autem redeam ad rem: In veteri lege solã scripturã sequi nos oportere, minus absurde fortasse quispiã cõtenten-

Manichæorum & Lutheri error.

Luther. in serm. de Mose & lege.

Deut. 27. tenderit. Ea nãq; ipsius dei iussu in scriptis tradita est & cõseruata: & est in ea scriptũ: Ma ledictus, qui non permanet in sermonibus le gis huius: vel, vt est apud Paulum, in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Christus etiã ipse iussit nos scripturas scrutari, legis videlicet. Sed tamen in ea quoq; multũ est loci relictum viuæ vocis traditionibus. Ait enim sapiens: Non te prætereat narratio seniorum. Ipsi enim didicerunt à patribus suis. Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsũ. Et deus ipse per Hieremiã Prophetam: State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Et inuenietis refrigerium animabus vestris. Quibus verbis etiam Franciscus Stancarus nos Polonos cohortatur, ne patiamur nos seduci nouitijs dogmatibus Melanchtonis, Caluini, Geneuensium, Tigurinorum, & Pinciouianorum. Rectè hoc ille quidẽ. Sed multò rectius faceret, si quod nobis in vno aut altero dogmate suadet, idem ipse in omnibus sequeretur. Collaudat etiam Deus per eundem Hieremiã Rechabitas, & pollicetur eis præmium, propterea quòd secuti traditionẽ paternã, non bibebãt vinum, & in tabernaculis habitabãt, nõ ædificãtes, neq; seminã

Gal. 3.
Ioan. 5.
Traditiones in veteri testamẽto.
Eccl. 8.
Hiere. 6.
Stancarus de trinit. & mediat. in epist.
Hiere. 33. Rechabitarum traditio.

tes,

tes, neque plantãtes vineas. Quod quidẽ mãdatũ videri poterat, ac etiam nunc fortasse videtur istis scripturæ vindicibus esse cõtra expressum verbum dei, nõ modo noui, sed etiã veteris testamenti. Quin etiam per ipsum legis conscriptorem Mosen præcepit deus populo: Si difficile & ambiguum iudicium existeret de rebus legalibus, vt nõ scriptura, sed sacerdotum sententia requireretur, qui indicaturi essent cuiuis iudicij veritatẽ: Adiecta etiam pœna mortis, si quis superbierit, nolẽs obedire sacerdotis imperio. De quo postea fortasis mihi plura dicẽda erunt. Vide ũt obsecro, quid senserint apostoli de traditionibus veteris testamẽti. Profert Iudas Tadæus exemplũ de altercatiõe Michaëlis archãgeli cũ diabolo de corpore Moysi, apponitq; etiam verba Michaëlis. Citat idem vaticiniũ Enoch. Memorat Paulus, quòd Ioannes & Mambres restiterint Moysi. Vnde quæso hæc petita sunt, nisi ex traditione maiorum, per multa secula apud Hebræos conseruata? Scripturæ quidẽ nullã eorũ faciunt mentionem. Absit autẽ, vt confícta esse, aut Paulum & Iudam Apostolos Christi fabulas secutos esse existimemus. Quamuis aũt Iudæ epistolam vestri isti reijciant, de Pauli tamen secũda ad Timotheum non dubitant. Sic igitur,

Deut. 17.

De traditionibus quid senserint apostoli.

Iudæ epistola.

2. Tim. 3.

vc-

vetus quoque testamentum non ad solã scripturã contrahitur, nec abhorret à nõ scriptis traditionibus. Cæterùm in Euangelica doctrina, ab ipso quidẽ Christo Dei filio Deiq; verbo, sola viua voce & in mysterio ac silentio, ab Apostolis verò eius, eorumque discipulis & successoribus nõ magis scriptis, quàm viua voce itidem, & in mysterio tradita, & per vniuersum terrarum orbem disseminata, nihil est causæ, quin ex æquo verbum dei sit, & ex æquo authoritatẽ habeat id, quod ab illis viua voce, & in mysterio ipsa actione proditum, & in ecclesia catholica per longã successionem antecedentium ætatum seriem conseruatum est, quàm quod literis scriptisque mandatũ. Nõ minus igitur non scriptæ traditiones, quàm scripturæ Apostolicæ in religione, & ijs quæ ad salutem pertinent, nobis amplectendæ & sequendæ, imò, vt Bernardi verbis vtar, pari authoritate Euãgelij cunctis recipiẽdæ sunt. Atque ita hæc duo coniungenda, vt traditionem scriptura confirmet, vel certe non infirmet: scripturam traditio, quæ plerunque magis est perspicua, interpretetur. Ita fiet, quòd ænigmaticè sapiens Solomon scriptum reliquit, vt melius sit, duos esse simul, quàm vnũ. Habent enim, inquit, emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur:

Scripturæ sacræ atq; traditionis par authoritas.

Bernar. in cant. hom. 65.

Eccl. 4.

tur: Si dormierint duo, fouebuntur mutuo: Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei. AVL. At Christus & Paulus damnant traditiones. MON. Cur omittis hominum? Quod vterque adiecit. Et Paulus quidé etiam, auersantium se à veritate. Quod alioquoque loco in epistola ad Collossenses itidem exaudiendum esse illud argumento est, quòd cùm dixisset, secundum traditiones hominum, statim subdidit: Et non secundum Christum. Licet autem in sermone Christi nihil eiusmodi adiectum sit, recte tamen intelligitur. Scribas enim is & Pharisæos, qui auersabantur veritatem, compellans, eorũ traditiones reprehendit, vestras dicens. Quanquam nec tam eas reprehendit, quàm vsum earum peruersum. AVL. Verùm subdit, vtẽs Esaiæ testimonio: Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominũ. Hîc certè non abusus, sed ipsæ doctrinæ & mandata hominum quorumuis sine vllo discrimine reprehenduntur. MON. Reprehenduntur ergo & scripturæ, quæ & ipsæ doctrinæ sunt & mandata hominum. Ab hominibus enim, prophetis & apostolis, conscriptæ sunt. Nihil sanè interest in docẽdo & mandãdo, scripto ne, an viua voce id fiat, quemadmodum ostendi antea. AVL. Verùm non

Matth. 15. Col. 2. Tit. 1.

De traditionibus Christi & Pauli sententia.

Esa. 29

suas doctrinas, neq; sua, sed dei mandata cõscripserunt prophetæ & apostoli. MON. Totidem ego verbis tibi respondeo: Non suas doctrinas, neque sua, sed dei mandata ij tradiderunt. Sicut igitur diuinas vocamus scripturas eas, quæ à prophetis & apostolis conscriptæ sunt, ita non minus rectè diuinas traditiones appellare licet eas, quæ sunt ab ijsdem traditæ. De apostolicis autem nunc loquimur. Nam de humanis traditionibus alius erit, spero, dicendi locus. Vbi exactius illa, dudum abs te citata, Christi & Pauli loca explicabo. AVL. Non displicet hæc mihi distinctio de humanis & apostolicis traditionibus. Sed quid si traditio, quæ nobis videatur esse apostolica, non sit apostolica? MO. Quid si idẽ ego abs te quæram de scriptura? Nimirum ad eandẽ trutinã vtrunq; hoc expendendum est, de qua paulo pòst dicam. AVL. Quid verò si traditio cõtrariũ scripturæ vel diuersum doceat? MO. Quid si scriptura scripturæ videatur esse contraria? Sic nobis videtur nonnunquam. Sed homini Christiano persuasissimum esse debet, nihil falsum neq; pugnans esse in verbo dei, scripto iuxta ac non scripto. Sermo enim tuus veritas est, ait ipsa veritas. Cui adstipulans Propheta: Fidelia, inquit, omnia man-

Traditiones Apostolicæ & propheticæ diuinæ sunt.

Diuersitas & contrarietas an sit in uerbo Dei.

Ioan. 17.

Psal. 110.

mandata eius, confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate. Itaque ne traditio quidem apostolica pugnat vnquam cum scriptura, quandoquidem vtrunque, vtiam ostendi, ex æquo est sermo & verbum Dei. Cæterùm vt non quæuis traditio pro apostolica habenda est, ita in sensu scripturarum canonicarum cauendum est etiam atque etiam, ne temerè nostras ipsorum, aliorum´ve hominum falsas opiniones, vel etiã diabolicas fraudes pro verbo dei suscipiamus. Nam & Satan Christum dominum nostrum tentans, sicut iam priùs dixi, scripturis vsus est, verùm falso prauoque sensu eas peruertebat. Vtebantur & pseudapostoli, cùm Galatas & alias gentes Christo initiatas ad obseruationem legis Mosaicæ reuocabant. Et in hoc vsq; tempus idem faciunt serui eius hæretici, & magistri mendaces, atque etiam alij scioli & arrogantes homines, prauas opiniones suas pro verbo Dei venditantes: Idque partim malitia, sicut pater ac dominus eorum Satan, partim perignorantiã, & insciti am. Neq; enim continuò Dei verbum est, quem quisq; sibi sensum è scripturis colligit. De quo nunc iam dicendum est. AV. Rectè. Hoc enim erat alterũ ex ijs, de quibus dicere proposuisti. MO.

Scriptura non quolibet sensu dei uerbum est.

Sed differamus id, si libet, in tempus pomeridianum. AVL. Vt vis. Tu tibi accommoda. MON. Imò tibi quoque. Auidius sumuntur cibi, qui modicè apponuntur. AVL. Me quidem nondum tenet satietas audiendi tui. Imò nescio quomodo irritatur magis etiam appetitus meus audiendo. Verùm reficiēda sunt nobis etiam corpora. Quo melius autē te recrees, mittam tibi boni vini lagunculā. MON. Non est opus. AVL. Quin & cibi aliquid mittam. Ipse autem ad vicesimam horā, itidem atque heri, hīc adero. MON. Arbitratu tuo.

LIBRI SECVNDI COLLOQVIVM ALTERVM.

AVLIC. Vereor, ne tardius me sistam meo monacho. Nescio quomodo non solum in aures, verumetiam in animū meū influit eius oratio, quamuis nullis condīta illecebris. Ipsa me adeo delectat veritati amica simplicitas. Ni cu-

cuculla faceret, crederem vera prorsus esse, quæ dicit, omnia. Sed eccum. Progreditur. Iam ego hîc adsum. MON. Ego fortasse sum tardior. Muneribus tuis imputa. De quibus habeo tibi gratiam. AVL. At ego tibi nullam habeo, quòd me exvidente cœcum facis. Sed non capies me tamen, neque à verbo dei ad cucullam atque doctrinas hominum retrahes. MON. Ne cupio quidem. Quin à somnijs, diuinationibus, fraudulentijs, & seductionibus falsorum, & mendacium prophetarum, quas ij pro verbo dei & euangelio vobis venditant ad ipsissimum dei verbum te reuoco. Neque enim continuo verbum dei est, quicquid è sacris scripturis quouis sensu profertur. De hoc hîc nobis sermo instituitur. Nam non omne verbum Dei, seu Christi, apostolorumque doctrinam scripturis comprehensam esse, abunde, credo, hodie mane à me tibi demonstratum est. AVL. Amplius deliberandum censeo: & quod restat promissũ expecto. MON. Audi igitur. Non tam plana est, & facilis intellectu scriptura, vt eam quilibet nullo negotio intelligat. Nam vt interpretum hallucinationes, vt Hebraicæ linguæ concisam breuitatem, ambiguitatemq; verborum, vnius literæ, siue puncti mutatio-ne, atq; adeò sine vlla etiam mutatione non

Scripturæ difficultas.

rarò sese offerentem, vt eiusdem pariter atq; Græcè idiotismos, & modos loquendi ac scribendi peculiares, nobisq; inusitatos, præteream, ὁμώνυμα certè & καταχρήσεις, hoc est, æquiuoca, quemadmodũ appellant grammatici ac dialectici, & abusiones verborum, dum propria desunt rerum vocabula, siue
2. Cor. 11. per imperitiam sermonis, quam Paulus quidem non dissimulat, admissæ, siue etiam data opera exercendi & excitandi nostri causa spiritu sancto dictante à scriptoribus sacris adscitæ, sæpe lectorem fatigant. Quid ego allegorias & ænigmata, quid alias perplexitates memorem? Audi quid scribat Chry-
Chrysost. homil. 39. in Ioan. sostomus: Qui metalla, inquit, fodere aggreditur artis ignarus, auri venas non inuenit, Sed confunditur, & laborem subit incassum: Ita qui diuinarum scripturarum ordinem nó intelligunt, qui earum proprietates, qui leges nos disquirunt, sed omnia ad verborum sonum accipiunt, aurum terræ confundentes, nunquam reconditũ in his thesaurũ assequuntur. Et non multò pòst: Ita hæretici in errorem incidunt, neque sententiam, neque audientis habitũ inquirentes. Nisi enim tempora, loca, auditorem, & alia huiusmodi consideremus, multa sequerentur absurda. Hæc ille. Iam verò res tantæ tamq; sublimes

mes,& captum intellectus humani superãtes, quas scriptura sacra in se continet, ipse per se sunt difficiles & abstrusæ, nec vulgo tantum, verumetiam doctis ac sapientibus multum negocij facessunt. Per speculum enim adhuc videmus,& in ænigmate,quemadmodum ait Paulus,quoad sumus in hacvita:Post mortem demum in cœlis facie ad faciem contemplabimur. Ioannes verò in Apocalypsi scribit: Se in dextra eius, qui sedebat in throno,hoc est,Dei,vidisse librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem: Quẽ neq; in cœlo,neq; in terra, neq; subtus terrã aperire quisquam potuerit, neque inspicere, præter leonẽ de tribu Iuda, & agnũ, hoc est, dominum nostrum Iesum Christũ,sicut ipse Ioannes interpretatur. Hic liber licet aliam quoque possit habere significationem,tamẽ sacras etiam scripturas veteris simul ac noui testamenti repræsentare non ineptè existimari potest. Vbi cùm Ioannes eum intus & foris scriptũ fuisse dicit,nihil prohibet, quo minus per interiorem quidem scripturam vetus,per exteriorem verò nouum testamentum intelligamus. Nam illud quidem quasi clausum,ab oculis hominum,hoc est, intelligentia Iudæorum prorsus remotum fuit. Vsque in hodiernum enim diem, inquit

1.Cor.13.

Apoc.5.

2.Cor.3. Paulus, velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum. Hoc verò, nouum inquam, licet sit apertius, & quasi verberans luce sua aspectum hominum, signatum est tamen mysterijs, nec à quouis legi siue intelligi potest: vt non frustrà Christus dixerit: Nó omnibus datũ est nosse mysteria regni Dei.

Matth. 13. Atque hoc ita esse, testis est etiam Hieronymus ad Paulinum ita scribens: Totum quod

Hiero. ad Pauli de instit. monachi. legimus in diuinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem.

Psal.118. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas paruulos & penè lactentes inscitiæ

Luc.8. nocte circundari? Hoc autem velamen non solum in facie Moysi, sed & in Euangelistis, & in Apostolis positum est. Turbis saluator in parabolis loquebatur, & contestans mysticum esse quod dicebatur, aiebat: Qui habet aures audiendi, audiat. Nisi aperta fuerint vniuersa, quæ scripta sunt ab eo, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, nullo alio reserãte pandentur. Audis quid doctor hic sanctus, nec seculari tantùm doctrinæ præstãs, verũ etiam in sacra scriptura exercitatissimus, de scri-

scriptis Apostolorum, Euangelistarum, & Prophetarum scribat. Cyrillus verò Alexandrinus sic: Nulla nanque ferè verborum vis tanta est, vt exquisitè ineffabilem Dei gloriã posit exprimere. Non debemus igitur humilitate verborum turbari, cum sciamus, pieq; credamus, omne mentis acumen in re diuina hebescere. Sed mittamus sanctos doctores modò. De epistolis Pauli scribit Petrus in hæc verba: In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Animaduerte, quid hic scribat de obscuritate non modo epistolarum Pauli, sed etiam cæterarum scripturarum: Quas non esset procliuè peruersis sensibus deprauare, nisi essent intellectu difficiles. Negat Lutherus hoc verum esse: Cõpilatores verò & corruptores historię ecclesiasticæ etiam inter pseudapostolorum dogmata hanc Petri sententiam referunt. Vtrum igitur hîc magis est habenda fides Luthero homini effronti & perdito, eiusq; comparibus, an principi Apostolo, cui Christus dominus arcana sua concredidit, regnicq; cœlestis claues tradidit? Quanquam Lutherus quoq; ipse veritate adactus fatetur nonnunquam, sacram scripturam intellectu esse difficilem. Essecq;

Cyril. in Ioan. lib. 1 cap. 6.

2. Pet. 1.

Cent. 1. lib. 2.

Matth. 17. Mar. 9. Matth. 16.

Lutherus in præf. in postil. Spãgenb. & in præfat. in psal.

Esseque impudentissimæ temeritatis eũ, qui audeat profiteri vnum librum scripturæ à se in omnibus partibus intellectũ. Quin quis, inquit is, audeat præsumere, vnum psalmũ rotundè ab vllo intellectum? Sed quid opus est testibus? Euidentissimũ id est, si quis intueatur hæreses, quæcunque vnquã inter Christianos populos extiterunt, earumque authores. Omnes quidem ij sacras scripturas legebãt, sed perperã intelligebant, vel interpretabantur. Legendo autem non modò non correxerunt prauitatem suam, verumetiam inde prauitatis occasionem plerique sumpserunt. Certè omnes ferè scripturarum authoritate dogmata sua confirmarunt, & confirmant etiã nunc, quod heri ostendi. Et ipsi, inquit Tertullianus, de scripturis agunt, & de scripturis suadẽt. AV. At enim Petrus de veteris modò testamenti scripturis illud dicit, quòd eæ deprauantur ab indoctis & instabilibus. MON. Vniuersè scribit (sicut & cæteras scripturas) non distinguens, veteris aut noui testamenti. Iam autem extabant pleræque omnes noui testamenti scripturæ, cùm hæc scriberet Petrus, paulò ante mortem suam, sicut ipsemet indicat. De vtris q; igitur intelligit. Cui rei argumento est illud, quòd multi hæretici non è veteri testamento, neque

Hæreses è scripturis malè intellectis extitere.

Tertul. de præscript. aduers. hæret.

1. Cor. 3.

2. Pet. 1.

ex

ex epistolis Pauli, sed ex alijs noui testamẽti scripturis prauorum dogmatum suorum occasionem & confirmationem acceperũt, deprauantes eas ad suam ipsorum perditionẽ. Ac ne dubites : Cerdo, à quo Cerdoniani hæretici propagati sunt, non veteris testamenti, quod neutiquam recipiebat, sed euangelicis scripturis dogma suum defendebat, asserens, duos esse deos sibi inuicem aduersos, alterum malum, siue seuerum ac truculentum, huius mundi in maligno positi, sicut scribit Ioannes, conditorem, & veteris testamenti authorem, quem Christus principem huius mundi, Paulus verò Deum huius seculi appellarit: Alterum autem bonum, clementem, & benignum, patrem domini nostri Iesu Christi, cuius voluntas sit, vt nihil eorum pereat, quæ ipse pater ei dedit, sed quisquis crediderit in eum habeat vitam æternam. Manichæi quoque vetus testamentum reijciebant: Euangelicis autẽ solũ & apostolicis scriptis varias & portentosas opiniones suas confirmabant. Iam Paulus Samosatenus & Photinus famosi hæretici, ex illis Christi verbis à Ioanne Euangelista conscriptis: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solũ verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: dogma suũ peruersum hauserunt, asseue-

Cerdoniani ueteris testamenti reijciebant

I. Ioan. 5.

Ioan. 12. 14. 16.

2. Cor. 4.

Ioan. 6.

Manichæi repudiebãt uetus testamentum.

Paulus Samosatenus.

Photinus.

Ioan. 17.

uerantes Christum Iesum non esse verũ Deum, actum demum eum esse cœpisse, quãdo ex Maria natus est. Quod dogma iam olim ab ecclesia damnatum, à Gentili autem & Blandrata renouatum, nostrates nonnulli ad Mahometismum inclinantes amplectuntur.

Sabellius. Itidem Sabellius, non tres esse personas in diuinitate, sed vnicam, asserens, quæ tribus appelletur nominibus. Illa quoque ex eodem

Ioan. 10. euangelio verba subsidio sibi sumebat: Ego

Apollinaristæ. & pater vnum sumus. Appollinaristæ verò, qui affirmabant, homines bonos ac Deo gratos post resurrectionem corporis voluptatibus fruituros esse (quod dogma Mahometes

Mahometes. etiam à Sergio monacho haustum, Saracenis, Turcis, atque Tataris reliquit) vnde erroris sui occasionem acceperunt? An non ex

Luc. 14. euangelio Lucæ, vbi scriptum est: Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum. Quæ verba licet Iudæi sint, à Christo tamen reprehensa non sunt: imò alibi aqud eundẽ euangelistã confirmasse is videtur eam opinionẽ,

Luc. 22. ad discipulos suos ita loquens: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meã

Nouatiani. in regno meo. Nouatus quoque negans pec-

Heb. 10. & catoribus pœnitentiam, Paulum authorẽ se habere iactabat. Atque ob id Lutherus epi-

stolam

ſtolam eius ad Hebræos è canone ſacrarum ſcripturarum eijcit. Quid Circumcelliones? An non euangelicis Chriſti verbis nitebantur, cùm vltro vitam ſuam periculis obijciebant, & voluntariam mortem per præcipitia cædesque mutuas conſectabantur, obuiorũque manus & arma in ſe prouocabant? Dicit enim, inquiunt, Chriſtus: Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuã in hoc mundo, in vitam æternã cuſtodit eam. Sed mittamus veteres hæreſes, quæ iampridem extinctæ ſunt. Nouas aliquot attingamus. Sacramentarij Chriſtum in euchariſtia verè, & vt ſcholaſtici theologi loquũtur, realiter eſſe negantes, an non ſcripturam illam inficiantur? Chriſtum oportere cœlum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omniũ. An non Adamitæ, quos nunc vulgo alicubi Hortenſes fratres vocant, dum promiſcuos pecudum in morẽ vſurpant concubitus, ſcripturam pro ſe habent, non modò illam: Creſcite & multiplicamini, verumetiam illam ex actis Apoſtolorum: Quod Apoſtolis erant omnia communia? Et habent vetuſtum eius ſcripturæ interpretem Nicolaum, vnũ de primis ſeptem diaconis. An non illam quoque? Omnia munda mundis. Qua adulteria quoque & homicidia, & incæſtus, & quæ contra

Circumcelliones.

Ioan. 12.

Sacramentarij.

Act. 3.

Adamitæ ſiue Nicolaitæ & Hortenſes fratres.

Gen. 1.

Act. 2.

Tit. 2.

na-

naturam fiunt, defendi possunt. Ne Suencfeldius quidem ad euertendam authoritatem scripturæ, & externi ministerij verbi Dei scripturæ testimonio destituitur. Dicit enim Deus per Prophetam: Et erunt omnes à Deo docti. Non docebit vnusquisq; fratrem suũ, dicens: Cognosce dominũ. Quia omnes scient me à minore vsq; ad maiorem. Nec veteris modò testamenti, sed etiam noui. Scribit enim euangelista Ioannes: Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos. Nec aliò Trideitæ siue Trinitarij, quàm ad scripturas in impio suo dogmate, prouocant: Et in ijs intelligendis interpretandisq; SS. patres, quorũ magna semper in ecclesia Christi fuit authoritas, hallucinatos esse contendunt. Ad eundẽ modum plurimæ aliæ hæreses è peruersa scripturarum cum veteris, tum noui testamenti intelligentia extitêre, & existunt. Qua de re ego nonnullas S S. doctorum sententias heri protuli. Origenes quoq; peruetustus & eruditissimus author ita scribit: Quoniam diximus abominationem desolationis stantẽ in loco sancto esse mendacij verbũ, quod in loco scripturarũ sancto stare videtur, dicet aliquis: Et quomodo quasi non stante ea illic, ita dicet aliquis discipulus Christi: Ecce hîc Christus: ecce illîc. Alius aũt dicet: Ecce in soli-

Suencfeldiani.
Hierc. 31.
1. Ioan. 1.
Trinitarij.
Orig. in Matth. homil. 29.

solitudine est. Alius autem, ecce in domibus? Vide ergo, si ad hæc dicere possumus, quòd ait: Ecce hîc, ecce illîc: Quoniam ecce hîc, ecce illîc, non extra scripturam foràs adspicien dum est. Dicet enim, qui seducere voluerit nos, & defendere contraria veritati, Ecce hîc Christus, demonstrans, verbi gratia, hunc Euangelij locum: Alterius autẽ erroris author dicet: Ecce hîc Christus, offerens ad exemplum alterum textum, qui videtur defẽdere mendacij illius verbum, quod proposuit vindicare. Et sic ex lege, & Prophetis, & Apostolis profert vnusquisque, quæ videntur defendere mendacium illud, vt veritatem. Et mox: Erunt autem & alij plures, qui dicturi sunt discipulis ex diuinis scripturis, coniungentes illis suum proprium sensum: Ecce hîc Christus, ecce illîc. Audin' quid hîc scribat? Quod Augustinus quoque confirmat, ita scribens: Non aliunde natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiã temerè & audacter asseritur. Ipse adeò Lutherus vester, sacram scripturam hæreticorum librum vocat. Inde enim ferè omnes prauorũ & impiorum dogmatũ vel occasionẽs, vel argumen-

Aug. in Ioan. tract. 18.

S. Scriptura hæreticorum liber.

gumenta ac documenta sumpsere, sumuntq;. Quin fit nonnunquam, vt vnius atque eiusdē scripturæ authoritate nitantur ij, pugnantia inter se dogmata adstruentes. Quemadmodum illius, verbi gratia, vbi Paulus fidelium liberos sanctos appellat, Sacramentarij quidem infantum Baptismi necessitatem & vsum tollentes, Lutherani vero stabilientes. Vt est videre apud Caluinum, Ochinum, & mendacijs succenturiatos centuriatores. Vn est autem illa vestrorum istorum prophetarū varietas, quod omni vento doctrinæ circumferuntur, & pugnantia docent, quemadmodum heri luculentè ostendi, quodque dudū pro verbo dei venditabant, & scripturæ verbis confirmabāt, mox pro humana traditione, imò doctrina dęmoniorum damnant? Cōtrà, quod paulò ante oppugnabant, mox ipsissimū euāgelion esse asseuerāt? Negēt: Negēt, à difficultate scripturæ id ꝓficisci. Negēt se intellexisse aliquid in ea posterius, quod prius non intellexerint. Consequetur, Aliter eos docuisse, quàm senserint, ac data opera vobis imposuisse, obtendētes scripturas, easque deprauantes, hoc est, in prauū & falsum sensum torquentes. Quod ipsum quoque fieri non potuit, nisi essent eæ difficiles intellectu, si non ipsis magistris, certe vobis discipulis.

1. Cor. 7.

Cent. 1. lib. 2. cap. 6.

pulis. Nisi fortè vos quoque contra animi vestri sententiam eas ita deprauatas suscipitis. AVL. Absit. MON. Ne igitur patiare tibi persuaderi, quemuis hominem rectè intelligere posse scripturas, ijsque fretum errare nō posse. AVL. Verùm docti tamen & stabiles probè eas intelligunt. Petrus enim de indoctis modò & instabilibus scribit, quòd eas deprauāt. MON. Si doctos intelligis, doctrina seculari, vtpote acumine disputandi, elocquentia, & Philosophia instructos, aut etiam in scripturis sacris exercitatos, vtraq; ista doctrina excelluere omnes ferè prisci hæretici, dudum à me commemorati. Et tamen deprauabant ij scripturas ad suam ipsorum & multorum aliorum perditionem. Et Paulus Timotheo scribit, quòd quidam nō rudes & stupidi, sed promittētes falsi nominis scientiam, circa fidem exciderunt. Nostri quoque temporis hæretici complures eiusmodi scientia siue doctrina præditi sunt. Quin stolidus & indoctus homo vix nouum dogma cōminisci, aut ab alio inuentum tueri & propagare potest. Vt sanè ad quodlibet magnum facinus ingenio magno opus est. Ne dæmones quidem acumen illud ingenij & sapientiā, quàm à Deo cùm crearentur, accepêre, per peccatum amiserunt. Et vel tanti temporis

Hæretici docti & in scripturis exercitati.

Dæmonum scientia.

experientia, rerũque tam præsentiũ & futurarum, quàm præteritarum, cœlestium iuxta ac terrenarum notitia omnem humanã doctrinam longè superant. Proinde Moses ser-
Gen. 3. pentem cunctis animantibus terræ callidiorem siue sapientiorẽ esse prodidit. In scripturis quoque sacris exercitatissimi sunt. Quod
Matth. 4. quidẽ aliqua ex parte planũ fecit ille, qui filiũ Dei in deserto tentauit. Et tamen depraua bat is etiã tunc scripturas. Erat´ne autẽ illud verbũ Dei, quod is & vasa ac instrumenta eius hæretici supra memorati pro se facere iactabant, & iactant etiamnũ? Imò mendacia, siue, vt ait Origenes, mendacij verba, verbo dei contraria eo quidem sensu, quo illi ea volebant & volũt accipi. Atq; id quidẽ planũ est. Etenim Christus dominus, & ecclesia eius, quæ ex Deo est, & verba dei audit, scripturas illas eo sensu non audiebat, neq; audit. Et increpuit aũt diabolũ dominus. Ecclesia verò spiritu domini gubernata, vetustos illos seductores & hæreticos cũ dogmatibus ipsorũ dãnauit. Quòd si ea diuina ac verbo dei cõsentanea fuissent, durassent omnibus creaturis inuitis, secundũ illud, quod
Act. 5. Gamaliel ad principes Iudęorũ de doctrina Christi dixit: Si ex Deo est consiliũ hoc vel opus, nõ poteritis id dissoluere: Et secundũ illã Esaiæ scripturã: Verbũ domini manet in æternũ. Eadẽ-

que Ecclesia, ista quoq; nouitia dogmata ple
raq; etiã vobis ipsis cõtra vos inuicẽ subscri-
bẽtibus, vnà cũ authoribus suis dãnat, & sun-
ditus proculdubio Dei ope euertet. Proindè quantũcunq; doctus & in scripturis exercita-
tus quis fuerit, eius interpretatiõe niti nos nõ oportet. Vt enim is q̃ rectissimè scripturã in-
telligat, potest eã tamẽ improbè in prauũ sen
sũ detorquere, quò multitudinẽ seducat, ac
discipulos post se abducat. Quod sæpè hære-
tici faciũt. Tametsi nullus eorũ iurare dubi-
tauerit, ita se interpretari, vt intelligat. AVL.
Cur igitur Petrus, indoctos tantũ & instabi-
les deprauare scripturas ait? MON. Indoctos
hîc nõ eos intelligit, qui nulla doctrina prędi
ti sunt. Talibus enim difficile est deprauare
scripturas: Sed eos, de quibus etiã Paulus scri
bit: Si quis autem se existimat scire aliquid,
nondum cognouit quomodo oporteat eum
scire. Quasi dicat: Si quis doctrinam sibi ar-
rogat, & sapientia sua nititur, is nihil scit, eti-
amsi doctissimus esse videatur. Deus enim,
à quo est vera doctrina & sapientia, super-
bis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et
dominus ipse gratias agit Dei patri, quòd
mysteria sua absconderit à sapientibus & pru
dentibus, & reuelauerit ea paruulis, hoc est,
humilibus, qui licet sint docti ac sapiẽtes, nõ

Interpreta tioni & doctrinæ cuiusli- bet non fidendũ. *Act. 20.* *Indocti & instabiles.* *1. Cor. 8.* *1. Pet. 5.* *Iac. 4.* *Matth. 11.* *Paruuli.*

præfidunt tamen intelligẽtiæ ſuæ, ſed captiuant eam, & in obſequium Chriſti redigũt. Hæc eſt vera Deoque grata doctrina & ſapientia: quam quomodo nos adipiſci oporteat, docet Paulus: Si quis, inquit, videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiẽs. AVL. Quid hoc ſibi vult? Nunquid vult Paulus, vt quiſpiam obbruteſcat, nec vtatur præclaro Dei dono, doctrina, ac ſapiẽtia? MON. Nequaquam hoc requirit Deus. Imò Chriſtus oſtendit, quiſquis commiſſo ſibi à Deo talento non negociatur, eum extremũ commereri ſupplicium. AV. Quid igitur ſibi vult illud? Stultus fiat. MON. Ne de ſe ipſe arroganter ſentiat, neue præfidat intelligentiæ ſuæ: Quod facere plerunque ſolent ij, qui aliquam aſſecuti ſunt doctrinæ & ſapientiæ opinionem. Atque id Paulus ſignificat, cùm dicit: Scientia inflat. Eiuſmodi autem perſuaſionem, quam Petrus iuxta ac Paulus inſcitiam vocãt, inconſtantia comitatur. Quoties enim quis intelligentia ſua nititur, non acquieſcit in eo, quod aliũdè didicit, ſed eo reiecto, aliquid aliud ipſe excogitat, quo oſtentet ſapientiã ac doctrinã ſuã. Qua cùm ſuperbè tumeat, fit iuſto Dei ſuperbis reſiſtẽtis iudicio, vt lumine diuino deſtitutus, ac ſibi ipſi relictus, temerè quiduis amplectatur, re-

2. Cor. 10.

1. Cor. 3.

Matth. 15.

Stultus fiat

1. Cor. 8.

Indocti ijdem inſtabiles.

redargutusque à quopiã, aut ipse sibi displicens, illud quidẽ, quòd dudum asseuerabat, reijciat, aliud verò quippiã diuersum à priori absurdius etiam, vel contrarium arripiat, eademque temeritate & confidentia defendat, ne diuersum sentientibus cedere videatur. Hinc sanè existit hæreticorum inconstãtia: quã Lutherum, & cæteros nostri temporis hęreticos laborare, heri euidenter demõstratum est. Iure igitur ac rectè Petrus eiusce modi inscitiam, qualem ibi vult intelligi, & qualem ego è Paulo, & alijs scripturis explanaui, cum inconstantia coniungit. Quæ cùm ita se habeant, non temerè in vnius alicuius hominis intelligentia & interpretatione scripturæ acquiescere nos oportet: propterea quòd & errare is possit, & in errorem mittere. Omnis enim homo mendax, ait Psaltes. Quantumuis enim sanctus, doctus, ac sapiẽs quispiã sit aut fuerit, homo certè est vel fuit, ignorantiæ & errori, quæ duo mala omne genus mortalium ex originali peccato contraxit, obnoxius. Cuius sententiæ adstipulatorem habeo Augustinum, ita scribentem ad Hieronymum: Ego fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum authorem scriben-

Psal. 115. Non temerè acquiescendũ esse in cuiusquã hominis interpretatione scripturæ.

August. ad Hier. ep. 19

do aliquid erraſſe firmiſſime credã. Ac ſi aliquid in eis offendo literis, quod videatur cõtrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mẽdoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutũ eſſe, quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quãtalibet ſanctitate doctrinaq; prępolleant, non ideo verum putẽ, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione quod à verò non abhorreat, perſuadere potuerunt.

SS. patrum lapſus.

In eandem ſententiam ſcribit etiam ad Vincentium Donatiſtam. Aliquot exempla tibi proferã, vbi præſtantis ac probatæ doctrinæ viri, inſigni etiam vitæ ſanctimonia prædíti, in interpretatione ſcripturæ errarunt.

Tertulliani error.

Tertullianus ante mille trecẽtos annos celeberrimus vir, & inſigni doctrina ſcripturarũq; peritia præditus, multa præclarè ſcripſit contra hæreticos. Et tamen malè intellexit ſcripturam ſacrã, vbicunque membrorũ ac ſenſuum Dei fit mẽtio. Videtur enim exiſtimaſſe, deũ eſſe corporeum. Animã quoque humanam & angelos corporeos eſſe opinatus eſt.

Cypriani.

Cyprianus vterque error eſt ingẽs. Hallucinatus eſt etiã diſcipulus eius Cyprianus, ſanctus ac doctiſſimus epiſcopus, & ad extremũ pro nomine Chriſti martyr factus, aſſeuerans baptizatos

tos ab hæreticis, denuò baptizari oportere. Eumq; errorẽ scripturis malè intellectis confirmabat. Origenes Adamantius cùm profana doctrina, tum sacrarum literarum peritia præstans, tanta fuit dignatione & authoritate, quaqua sese diffundebat Christiana religio, vt magni & sapientes viri, nõ tantũ Christiani, sed ethnici etiam ad eum vndique cõcurrerent, nec secus, quàm in prophetica aut apostolica, in eius sententia & interpretatione scripturæ plurimi acquiescebãt. Vitę quoque integritate & sanctimonia iã inde à pueritia excelluit, ita vt puer etiam martyriũ expetiuerit. Denique sex millia librorũ conscripsit, sicut testificantur Eusebius, Epiphanius, Hieronymus. Et tamẽ perperàm sensit de resurrectione corporũ, de saluatione dæmonum & hominum damnatorum, de migratione animarũ è corporibus in corpora & quòd eæ pariter oẽs ab initio creatę à Deo, propter peccata in cœlo perpetrata in mundũ relegentur, & in corpora quasi in carceres quosdã includãtur. In his & nõnullis alijs dogmatibus vehemẽter errauit, authoritate scripturarũ, quẽadmodum videbatur, non destitutus. Mitto Lactantium Firmianum. Cuius scripta itidẽ atq; Origenis prauis dogmatibus respersa sũt. Augustini doctrina & scripta in

Origenes.

Euse. hist. eccl. lib. 6.
Epiph. contra hæres. lib. 2. to. 1.
Hiero. de uiris illust.

Lactantij.

Augustini.

in magno etiamnum precio sunt: nec modò apud rectè sentientes, verum etiam apud hæreticos. Scripsit is tamen libros Retractationum, in quibus errores suos in doctrina & interpretatione scripturarum corrigit. Quin & post eum alij nonnulli annotarunt quædã in scriptis eius, quæ ipse prætermiserat: recte ne an secus, nunc non disputo. Extant etiam epistolæ eiusdem Augustini & Hieronymi inter ipsos vltro citroq; scriptæ, quibus ij vehemẽter contẽdunt inter se de sensu scripturæ illius è Paulo: Cùm autem Cephas veniſſet Antiochiam, restiti ipsi in faciem: quia reprehensibilis erat. Quòd si tam præstantibus ac doctis viris accidit nonnunquam, vt in intelligentia & interpretatione scripturarũ hallucinarentur, quid existimãdum est de ijs, qui & acumine ingenij, & scripturarũ peritia minus valent? AVL. Sic est: Vnus homo omnia animaduertere & nosse non potest. Cæterùm vbi aliquot docti ac sapiẽtes in eadem sententia & interpretatione scripturæ consenserint, ibi veritatem esse oportet. Ait enim Christus: Vbi enim sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vbi verò Christus est, ibi veritas. MON. Conciliorum vsum & autòritatem, ab euangelicis istis prorsus euersam, reuoca-

Gal. 2.

Matth. 18.

re

re velle mihi videris. AVL. Non vestrorum quidem pontificiorum. In quibus non verbũ Dei, sed turba episcoporum regnat. Scriptura quidem vetat nos sequi turbam ad faciendum malum. Christus autem pusillum gregẽ consolatur, Quia, inquit, cõplacuit patri vestro dare vobis regnum. MON. Non est nouum, nec inusitatum hæreticis, de paucitate gloriari. Tametsi solent ij nonnunquam etiã paucitatem sibi inuicem exprobrare, vt est videre in cõcertationibus inter Ioan. Vestphalum & Caluinum, & apud nos inter Stancarũ & Pinciouianos. Ita is Trideitas & Gentilistas appellat: Et tẽpore Augustini inter Maximianistas, ac cæteros Donatistas. Cæterùm Christus in illis verbis, quæ tu modò recitasti, neque paucitatem, neque multitudinem spectauit, sed concordiam: nec eam quamlibet, sed quæ in nomine suo coaluerit. Id autẽ nõ ex verbis, aut manicis, aut vultu, totius ue corporis habitu, sed re ipsa iudicandum est. Illi quidem non in nomine Christi congregantur, qui consensum & concordiam Christiani populi, ad quam alendam & conseruãdam ipse Christus discipulos suos in primis exhortatus est, & pro qua Deum patrem magnopere orauit, rumpunt, & quæ ipse cũ discipulis suis eorumque successoribus Christia-

Exod. 23.

Luc. 12.

Schismatici non congregantur in nomine Christi.

Ioan. 17.

ni populi præsulibus per tot secula collegit, spargunt, singularesque opiniones atque interpretationes scripturæ comminiscuntur, ac pertinaciter tuętur. Qua de re etiam luculętè ac disertè scripsit sanctus martyr Cyprianus, & ego fortassis postea plura dicam. Ne te igitur moueat vel paucitas, vel multitudo. Perinde multi errare possunt ac pauci, ac vnus etiam, si non fuerint in Christi nomine congregati. Non exiguus fuit numerus eruditorum ac disertorũ episcoporum cum Donato in Africa, qui volebant, rebaptizari oportere baptizatos ab impuris: Nõ exiguus Tyri, Antiochiæ, Mediolani, Syrmij, Arimini, qui Arij dogma approbabãt. Ingens etiam fuit cœtus Ephesi in altero concilio, siue conciliabulo cum Dioscoro Alexandrino patriarcha, vbi peruersum Eutychetis dogma comprobatum fuit. Et omnes ij Christi nomen obtendebant, scripturisque sese tuebantur. Nec tamen verbum Dei erat illud, quod ij scripturarum authoritate adstruebant, sed falsa, ac verbo Dei contraria doctrina, quam damnauit Ecclesia catholica. Iam & cum Nestorio non pauci sentiebant Episcopi, χριστότοκον ac non θεότοκον Mariam dici oportere, è scripturis assueuerantes, Christumque diuidentes. Cesse-

Cyp. de unitate eccles.

Hæreticorum conciliabulum.

re

re tamen ad extremum veritati. Modo quoque non solus Zuinglius quatuor illa verba scripturæ: Hoc est corpus meum: peculiari quodam sensu interpretatur. Congruunt cum eo (tametsi non per omnia) Caluinus, Bullingerus, Capito, Beza, Ochinus, Lascus, Carolostadius, Oecolampadius, Berengarius: Nec scio an & Osiander, & Stancarus, & Suencfeldius: Nonnunquam & Bucerus, sicut heri ostendi, & multi alij. Dissentit Lutherus, quamuis inuitus, quemadmodum ipse alicubi non diffitetur. Cum Luthero autem faciunt Brentius, Vrbanus Regius, Iustus Ionas, Pomeranus, Amsdorfius, Illyricus, Nicolaus Gallus, Heshusius, Sneppius, Georgius Maior, Sarcerius, Ioachimus Vestphalus, & multi præterea. Vtrinque sunt docti, & in scripturis exercitati viri, speciem pietatis præ se ferentes, & qui non putant, sed certe sibi alijsq; persuadent, se spiritum Dei habere, & quasi è secretiore Dei consilio prodeuntes, in nomine Christi se conuenire. Vtrisque adhærent plurimi homines, ciuitates, atq; populi. Penes vtros igitur erit verus verborum illorum sensus, & verbum Dei? Penes illos ne, qui verbum, Hoc, accipiunt, pro hic panis: & pro est, erit, aut fiet, vsu scilicet vniuscu-

Hoc est corpus meum.

Luth. ad Argentin.

cuiusque sumentis: ita vt mendacij coarguatur veritas, quæ id manu tenens, prius quàm à quoquam Apostolorum sumeretur, dixit: Hoc est. Quid autem hoc est? Scilicet, quòd alteri irridẽtes eos dicunt: Deus impanatus, siquidem est ibi simul panis & corpus Christi: siue adeò ipse panis est corpus Christi: quemadmodum heri quosdam sentire memoraui. Penes hos´ne igitur est verbum Dei? an penes illos potius, qui ita interpretantur: Hoc, non est, sed significat, corpus meũ: vel, est quidem, sed non corpus meum, verùm figurá eius: vel, corpus quidem meum, sed nõ illud, quod pro vobis tradetur, & quod sedet ad dexteram patris: vel est quidem illud ipsum, sed non hoc, quod præsens exhibetur & manducatur, sed quod fide sola cœlos penetrante sumitur, ita vt nihilominus vmbra corporis potius sit, quàm corpus illud, quod traditum est in mortem, & non vno modo falsum dixisse videatur veritas: vel deniq;: Hoc, quod porrigit vobis panem, non quod porrigitur, est corpus meum. Híne igitur, an illi rectiùs nobis verbum Dei, & quidem breue, ac perspicuum, interpretantur? Soluat nobis hunc nodum nutabundus Melanchtõ, (quò se adduci in colloquia Vormacienſi passus nõ est) vel conciliator dissidentiũ Vergerius,

aut

aut Smidelinus non sine mysterio vbiquitatē corporis Christi crasis Lutheranis obtrudes. Equidem nolo hîc asserere, vtrosq; perperàm intelligere & interpretari, siue adeò deprauare scripturam, veritatemque mendacij, vel veteratoriæ cuiusdam peruersitatis, si non verbis, certè re ipsa coarguere, commenta humana, ne dicā diabolica pro verbo Dei sequentes, & alijs obtrudentes. Illud dico, secundū dictamē rationis fieri non posse, quin, si hi rectè scripturā illam intelligunt & interpretantur, illi errent: Sin illi rectè, hi perperàm. Esse quidem potest (vt est sanè) vtrique vt perperàm. Vt verò vtrique rectè, non potest, cùm inter se pugnent. Sed sequatur tandem, quis hos aut illos, an nō homines sequetur? An non erit obnoxius propheticę illi maledictioni? Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Nulla certè prophetia scripturæ propria fit interpretatione, quemadmodum scribit Petrus. AV. Vbi igitur veram istam ac certam interpretationem quæremus? MON. Aiunt isti, quòd scriptura seipsa interpretetur. Quod enim vno aliquo in loco obscurius scriptum est, aut minus plenè explicatum, alibi planiùs & lucu lentiùs expressum reperitur. Est id quidem nonnihil. Fit enim non rarò, vt rectè scriptu-

Hiere. 17.

1. Pet. 1.

Interpretationē scripturæ per scripturā nō semper esse certam & sufficientem

ra

ra vnà per aliam declaretur. Sed non satis tamen certa hæc est regula. Ita quidē est, quòd scriptura alia planior & luculentior est, quàm alia: Verùm crebro etiam vsu venit, inter diuersas scripturas, vt hæc vni videatur esse planior, illa alteri: Interdum non magis hæc, quàm illa. Et offerunt sese nonnunquam vna & eadem de re pugnantes in speciem scripturæ: Quibusdam etiam de rebus vnica extat, & ea quidem minimè plana. Quid igitur hic fiet? Vnde petetur interpretatio? Vis'ne autem exemplis hæc tibi probem? AVL. Imò plurimum te rogo. MON. En tibi. Pater maior me est, dicit dominus apud Ioannem. Et alibi: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Sunt rursus aliæ scripturæ: Ego & pater vnum sumus. Et apud Paulum: Qui (Christus videlicet) cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Hæ scripturæ duæ quidem priores congruunt inter se: itemque posteriores inter se: verùm hæ cum illis videntur pugnare. Quo'nam igitur modo aliam per aliam explanabis? Has'ne duas posteriores per priores, quemadmodum faciebant Ariani & Eunomiani, defendentes dogma

Ioan. 14.
Ioan. 20.
Ioan. 10.
Phil. 2.

ma illud suum, quòd filius Dei Christus Iesus non sit verus deus, aut non æqualis, neq; similis in diuinitate Deo patri? An priores illas per posteriores, quemadmodum Alexander & Athanasius Alexandrini episcopi interpretabantur Arium refellentes? In vtramlibet partem inclinaueris, quæram ex te, quare sic, an non aliter? Et cur istas scripturas per illas exponas, ac non illas potius per istas? Quanquam non esset hoc scripturam vnam per aliam interpretari, sed vnam ad aliam torquere, cùm eæ videantur esse inter se contrariæ. Contrarium enim contrario cedat necesse est. Quod si dicas, has esse planiores, quàm illas, alij verò cuipiam contra, illæ, quàm hæ, planiores esse videantur, quis inter vos controuersiam dirimet? Si pro te faciunt Alexander & Athanasius, pro illo Arius & Eunomius: Sin hi pro te, illi pro illo altero. Atq; omnes tamen hi, quamuis docti sacerdotes & episcopi, homines tamē fuerūt: Errare potuerunt. Quod si ad probabilitatem confugies, vtræ de illis scripturis planiores sint, Arij quidem iudicio, illa non admodum plana est: Ego & pater vnum sumus. Potest enim vnum hoc accipi, non de vna natura siue essentia, verùm de vna voluntate,

Ariana scripturarum interpretatio.

tate,amore,& concordia: ſicut alibi itidē illa
Ioan. 17. eiuſdem Chriſti verba accipiuntur, vbi Deū orat pro diſcipulis ſuis,& pro ijs, qui per eos in ſe crediderint,vt vnum ſint. Quæ nō poſſunt accipi de vnitate naturæ, ſed voluntatis, deq́ue amore mutuo & concordia. Statim autem ibi ſubdit: Sicut & nos (nempe tu & ego) vnum ſumus. Quibus verbis Arius & Eunomius potiſsimum nitebantur,aſſerentes,eam comparationem vnitatis hominum inter ipſos cum ea,quæ eſt inter Deum patrem & filium eius dominum noſtrum Ieſum Chriſtū, eodem modo accipi oportere. Cùm autem vnitas illa ſiue vnio,quam ſuis ibi petit Chriſtus,non niſi de vnitate voluntatis,amoris,cō cordiæq́ue,quam etiam inter diuerſas naturas,velut inter homines & angelos, reperire licet, accipi poſsit,ne illam quidem,quæ eſt inter Deum patrem & filium aliter accipi debere. Aliter,non apta nec bona eſſet ea comparatio: Non magis,quàm ſi quis dicat: Homo & aquila ſunt inter ſe ſimiles. Aquila enim cernendi, homo aut intelligendi acumine præditus eſt. Quin aptior etiam hæc eſſe apparet. Etenim viſus & intellectus vtrunq; tamen accidens eſt,quanquam non eiuſdem generis,eſt tamen inter ea nonnulla ſimilitudo: qualis inter eſſentiam & accidens (quo in

ge-

genere est voluntas, amor, & concordia) esse non potest: Longè minus vnitas. Altera quoque illa scriptura è Paulo: Qui cùm in forma Dei esset, &c. non admodum plana cuipiam videri potest. Posset enim sic accipi: Christũ dominum in forma Dei fuisse, hoc est, similẽ Deo intelligẽtia & sapientia: Sicut alibi scriptura dicit, hominem creatum esse ad imaginem siue formam & similitudinem Dei. Nec tamen homo est Deus. Spiritus etiã sanctus in specie siue forma columbæ post baptismũ Christi apparuit. Nec tamen is columba fuit. Quod si maximè per formam illam diuinitatem accipi oporteret, id quod reuera verbis illis (Nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo) significatur, aliquis tamen alius arripiens ea verba, quæ statim sequuntur: Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: posset contendere, Christum susceptam serui, hoc est, hominis formã, Dei formam amisisse, autvnam in eo naturã siue essentiã ex humanitate atque diuinitate commixtam & confusam extitisse. Quod quidem Eutyches videtur secutus esse: Nec desunt etiamnum, qui sequantur, quemadmodum heri ostẽdi. Vides vt neutiquam planæ & faciles intellectu sint hæ scripturæ. Sic item aliæ, quas Ecclesia pro se habebat aduersus hæreticos.

Gen. 1. *Mar. 1.* *Luc. 2.* *Eutychetis error.*

Planiores esse videbantur Ario & Eunomio illæ, quibus ipsi se tuebantur. Quid enim, inquiunt planius dici potuit illo? Pater maior me est. Non potest profectò ea maioritas (vt sic dicam) secundum staturam intelligi. Statura enim in corpore est, Deus autẽ corpore caret. Atque ita necessariò intelligenda est secundum essentiam, aut certè secundum eas proprietates, quæ incorpoream essentiam consequuntur: Quales sunt virtus, potestas, authoritas, sapientia, bonitas, &c. Quæ in Deo non sunt diuersa ab essentia, sed sunt ipsa Dei essentia. Id verò si affirmes, ademeris filio Dei diuinitatem, vt nunc faciunt Gentiliste, aut duos pro vno deos feceris. Nec minus aperta ipsis videbatur esse & altera illa scriptura: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum & Deũ vestrum. Quibus verbis videtur Christus ad Apostolos homines sese adiungere, & à Deo disiungere, appellans eum cum ipsis ex æquo patrem ac Deum suum. Cùm autem nos filij Dei, nec tamen naturâ dij simus, idẽ de Christo domino Photinus & Gentilis aliquis intelliget. Confirmabitque opinionem suã sequentibus illis verbis: Deũ meũ, & Deũ vestrum: Deus enim supra se alium Deum non habet, nec potest habere: quando quidẽ Dei

Iodn. 20.

no-

nomine id venit, quod est omniũ summũ, & à quo res omnes cæteræ existunt, conseruantur, & gubernantur. Quin adstipulabuntur ipsi etiam illa Pauli verba: Quem (Christum videlicet) suis temporibus ostendet beatus & solus potens rex regũ & dominus dominãtium, qui solus habet immortalitatẽ, &c. Aut illa: Quod Christus exinaniuit semetipsũ formam serui accipiens, & habitu inuentus est, vt homo. Contendetq;, Eum cùm homo factus est, deum esse desijsse. Et non minus impium hoc fuerit, quàm illud. Quod si dicas, Illud: Pater maior me est: Itemque illud, Deum meum, & Deum vestrum: secundum humanam naturam à Christo dictum esse. Rectè quidem. Sed hoc iam non fuerit scripturam per scripturam interpretari. Nihil enim eiusmodi extat in his vtrisq; scripturis. Viden' quò te adducit istiusmodi scripturæ per scripturam interpretatio, vt si hæresim & impietatem vitare velis, aliunde harum scripturarum interpretationem quærere necesse habeas. Quod sanè faciunt Stancarus, Caluiniani, & quotquot nouos istos Arianos siue Photinianos ac Trideitas, & Gentilistas oppugnãt. Nec tamẽ iure eis succẽsent quaslibet diuersas à suis interpretationes respuẽtibus. Nã ab ipsis, vel cũ ipsis pariter hoc illi

Deus quid sit.

1. Tim. 6.

Phil. 2.

didicerunt, quemadmodum heri audiuisti. Excutiamus autem & alias scripturas. Scribit Paulus ad Corinthios: Caro & sanguis regnũ
1. Cor. 13. Dei non possidebunt. Christus autem apud
Luc. 22. Lucam dicit: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Vtram ex his per alteram interpretaberis? Si posteriorem per priorem, illicò vnũ de duodecim articulis fidei, nempe de resurrectione corporum à morte, abieceris: Sin illã per hanc, in alium non minus grauem errorem incideris, quòd in regno Dei ac cœlesti comesturi ac bibituri simus, & alijs voluptatibus corporis fruituri. Tametsi cùm hæ scripturæ videãtur inter se esse contrariæ, neutra per alteram rectè exponere queas. Quemadmodum nec illas, in quibus de Leone allegoricè mentio fit. Cùm in confesso sit, alibi
Apoc. 5. Christum, alibi diabolum per id animal
1. Pet. 5. significari. Nec dissimile est id, quod etiam an-
August. notauit Augustinus de quærendi seu requi-
tract. 38. rendi animam Christi phrasi, diuersis modis
in Ioan. in scripturis vsurpata. In psalmis, inquit, ait
Psal. 141. ipse dominus per prophetam: Perijt fuga à
Psal. 39. me, & non est, qui requirat animam meã. Et alio loco: Confundantur & reuereantur requirentes animam meã. Culpauit, qui nõ requi-

quirerẽt, damnauit qui requirerẽt. Malũ est enim non quærere animam Christi, sed quomodo eam quæsierunt discipuli. Et malũ est quærere animam Christi, sed quomodo eã Iudæi quæsierunt. Possent plures eiusmodi scripturæ in medium afferri, quas per alias scripturas interpretari nõ liceat, aut si interpretêre, vix errorem effugias. Quale est de stirpe & genealogia Christi diuersè à Matthæo & Luca descripta: Aut vbi Euangelistæ fratrum domini mentionem faciunt: aut quis fuit primogenitus matris suæ. Non est igitur satis tutum istud præsidium, scripturã per scripturam interpretandi. Nec rarò ipsi ab eo pseudeuangelici isti discedunt, visiones cordium suorum, & arbitrarias interpretationes contra nos, & quos suis aduersarios suos summa contentione vrgentes. AVL. Iam & ego ipse animaduerto, ita se rem habere. Cum igitur neque humanis interpretationibus, neq; ijs, quæ per alias scripturas fiunt, niti & fidere prorsus nos oporteat, vnde verũ ac certum sensum sacræ scripturæ petemus? MON. Inde, vnde scripturã ipsam habemus. A Deo nimirum, cuius inspiratione euangelistæ ac cæteri apostoli scripserunt, quemadmodum testificatur Petrus. Dauid sanè ita canit: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia

Matt. 1. Luc. 3. Mar. 3. Luc. 8. Ioan. 7. Matt. 1.

Scripturæ interpretatio à Deo petenda.

2. Pet. 1. Psal. 118.

de lege tua. Et iterum: Seruus tuus ego sum,
Psal. 93. da mihi intellectum, vt sciam testimonia
tua. Et alibi: Beatus, quem tu erudieris domi
ne, & de lege tua docueris eum: Nempe sen-
Luc. 24. sum legis scriptæ, nõ ipsã scripturã omnibus
obuiam. Lucas verò scribit de apostolis: Tũc
Apoc. 3. aperuit illis sensum (nimirum Christus domi
nus leo de tribu Iuda, & agnus qui habet cla-
uem Dauid) vt intelligerent scripturas. AVL.
At enim Christus pridem in cœlum ascendit,
nec loquitur inde nobis: neque per angelos,
aut visa & somnia nobis voluntatem suam &
sensum scripturarum aperit. Nisi forte ali-
ter tu sentis cum Suencfeldio. MON. Absit.
AVL. Apostoli etiã, à quibus verã interpreta-
tionẽ earum, atque adeò traditiones quoq;
viuę vocis, & in mysterio in scripturis nõ ex-
tantes, de quibus manè locutus es, haurire
nos oportebat, pridẽ è viuis excesserũt. MO.
Vera sunt quæ dicis: Sed non habet tamen
deus derelictui populũ suum, quẽ sibi dele-
Hebræi nõ git. Hebręis temporariã legẽ dederat, scriptu
sola scri- ramque sequi eos iusserat, sicut audisti, &
ptura nitũ men diligenter eis hac in parte prospexit: si
tur. quid difficile & ambiguũ occurreret, de quo
nihil extaret in scriptura, aut quod inde ex-
Deut. 17. plicari non posset: Indicauit enim, vnde id
petendũ esset, iubens, vt sacerdotes præsidẽ-

tes loco, quem ipse elegerit, de eo consulerent. Qui indicaturi ipsis essent iudicij veritatem: Eorumq; sententiã omnino sequi eos voluit, non declinantes ad dexteram, nec ad sinistrã. Si in veteri testamẽto Deus Hebræis, quibus solis ad tempus id dabat, tã diligẽter prospexit, lõgè minus existimandũ est, in nouo, quod viua voce traditũ, cũctis populis atque seculis seruire debebat, nos in hac parte ab eo neglectos esse. AV. Ergóne nos quoq; Christianos in omnibus obedire sacerdotibus, & quicquid ipsis visum fuerit, pro verbo Dei recipere oportet? MO. Non propterea modò scripturã illã produxi: Sed vt intelligas, credibile esse, Deum, sicuti prospexerat Hebræis, quid sequerẽtur, si quid in scriptura expressũ non esset, siue de sensu scripturæ cõtrouersia existeret, ita neq; Christianos in eo posthabuisse. Olim quidẽ Christus in cœlum ascendit: Sed ascendens ait: Non vos relinquam orphanos. Et: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, id est, nõ modò apostolorũ tempore, aut per centum, ducentos, trecẽtósue annos deinceps, verùm omni tempore & omnib. diebus vsq; ad consumationẽ seculi. De spiritu quoq; sancto promisit: Ille vos docebit omnẽ veritatẽ. Atq; vt intelligas, promissum hoc nõ ad solos apostolos, qui pridẽ vita

Ioan. 16.
Matth. 28
Deum esse perpetuò cum Christianis.
Ioan. 16.

defuncti sunt, neque ad Montani, aut Lutheri, & nostra hæc nouissima tempora, sed ad omnes omnium temporum Christianos pertinere, subdidit: Et manebit vobiscū in æternum. Deum patrem etiam rogauit, non pro apostolis tantum, sed pro omnibus, qui per verbum ipsorum in se crediturí essent, vt eos sanctificaret & confirmaret in veritate. Vnde apparet, promissa illa & petitionem Christi ad vniuersos Christianos ab initio ad finem vsque seculi, ac non ad certos homines hos aut illos, certa´ue tempora, pertinere. Alioqui nihil certi in religione haberemus. Etenim difficile est homini nosse, quis à Deo ac spiritu sancto salutarem doctrinam, verumq; scripturæ sacræ sensum habeat, quis non habeat. Minus etiam certa est cuiusqiā de seipso asseueratio. Asseuerabat Montanus, habere se spiritum sanctum, nec aliter de ipso sentiebant plurimi mortales ab eo seducti: Atque adeò ipsum esse spiritum sanctum à Christo promissum, qui non modò sensum scripturæ, sed omnem veritatem hominibus patefacturus esset, persuasum habebāt. Et erat tamen id falsissimum. Simonem quoque magum Samaritani credebant esse virtutem Dei, quæ vocaretur magna, quemadmodum Lucas memoriæ mandauit. Nec soli Samaritani,

Ioan. 17.

Hæretici falso iactāt spiritum Dei.

Montanus.

Simon magus.

Act. 8.

tani, sed Romani quoque, & alij populi, sicut scribit Clemens discipulus & successor Petri apostoli. Et tamen is non erat, sed dementabat homines, nec habuit partem in hoc verbo, quemadmodũ Petrus pronunciauit. Menander item eiusdem Simonis discipulus affirmabat, se propter salutem hominũ à Deo missum esse. Nec tamen verum id fuit. Quin virtute Christi is vnà cum prauis dogmatibus suis extinctus est, vt scribit Epiphanius. Gloriatur Valẽt. Gentilis, se subobscurã & implicitã de Deo veritatẽ ab ipso Deo didicisse. Ad eundẽ modũ scribunt de seipsis Caluinus & Stancarus, quemadmodũ anteà recensui. De Carolostadio verò, homine furioso, vt Melanchton testatur, post multa ita scribit Erasmus Alberus Lutheranus. Tametsi Carolostadius hæc hominis nequã flagitia dissignet, at nihilominus gloriatur, se à Dei spiritu impelli. Scripsit & iactauit Lutherus, nihil esse in sacra scriptura, quod ipse non intelligeret: Doctrinã suã non esse suã, sed Dei, & instinctũ spiritus sancti. De Philippo autem suo, cùm primũ is cõmentarios in Pauli epistolã ad Romanos edidit, quòd eodẽ spiritu eos conscripserit, quo Paulus illã ipsam epistolã. Is porrò, vt mutuũ præceptori suo testi-

Clem. in li. recognit.

Menander.

Epip. adu. hæres. lib. 1. to. 2.

Valẽt. Gentilis. in lib. impiet.

Carolostadius.

Alberus cõtra Carolostad.

Lutherus.

Lutherus in præfat. comment.

Philip. ad Rom.

Phil. in declamation. moniũ redderet, scripsit & ipse: Pro sacris, ac pro doctrina Christi se dicere, cùm pro Lutheno diceret. Cæteri quoq; discipuli plerique omnes pro verbo dei doctrinam eius habent etiamnũ. Et tamẽ neq; Lutherus semper

Luth. in præfat. in Bib. poste. edit. in sua sententia priorique interpretatione perstitit, & non solum à nostris, verumetiam à Zuinglianis notatur multis in locis sacræ scripturæ in Germanicam linguam vertendis errasse, & ipse id minimè diffitetur, quemadmodum heri indicaui. Circa psalterij verò enarrationem ipsemet non au-

Philip. Melanch. det sibi sumere, vbique id à se intelligi. Philippus autem cùm alia scripta sua, tum commentarios illos subinde correxit, multaque in ijs mutauit, & quidem de rebus maximi momenti: & à Luthero atque Caluino, qui & ipsi eundem spiritum & verbum Dei, doctrinamque Christi sibi arrogant, imò & à seipso dissentire sibi permittit de libero arbitrio, hæreseos Manicheæ damnans priorem suam & præceptoris sui sententiam. Quod Brentius quoque, pari arro-

Brentius. gantiæ parem libertatem, seu verius licentiam adiungens, facit. Quin suo quenque iu-

Brent. in perleg. 20 dicio in dogmatibus & interpretatione scripturarum hic relinquit, summam inducens religionis & rerum omnium confusionem

at-

atque euersionem. Nec minorem ij, qui scripturas & sensum earum ad nescio quam analogiam fidei examinari debere volunt, vt Melanchton: idem Illyricus, & alij. Quanquam nescio an intelligant ij, quæ loquuntur, ac de quibus affirmant, perperàm Pauli verba ad Roman. torquentes. Eodem sanè relabi videntur, quò Brentius, & suo quenque relinquũt iudicio. Nec refert, num penes vnum quenque eam enarrandi ac iudicandi potestatem esse velint, an penes plures, quemadmodum dudum demonstraui. Quid autem obstabit, quominus secundum hanc eorum sententiam non solum penes Anabaptistas & Sacramentarios, & Trinitarios, & omnem hæreticorum vetustiorum iuxtà ac recẽtiorum colluuiem, verumetiam penes nos, quos ipsi infra omnes quãlibet impios hæreticos deprimunt, sit verus & germanus scripturarum sensus, æque ac penes ipsos: ne dicam magis etiam? Cur autem penes ipsos nunc magis, quàm cum diuersum atque contrarium in multis senserũt, quemadmodum heri, ac modò quoq; planũ feci? Negant ij quidem sine spiritu sancto scripturam posse intelligi: Sed qui fuit vnquàm, quamlibet deploratorum hæreticorum cœtus, qui eum sibi non arrogarit? Cæte-

Rom. 12.

Spiritum S. sibi arrogãt hæret.

terùm spiritus sanctus Deus est non dissen-
1. Cor. 14. sionis, sed pacis: Nec mutatur. Quòd si maxi-
Num. 23. mè signis aliquibus de quopiã vno homine,
Mal. 3. siue cœtu hominũ particulari probari posset,
quòd spiritus sancti non sit exors, nec ita tamen securè dictis & interpretationi eius stare nos oporteret. De Christo enim domino scriptum est, quòd spiritus sanctus mansit
Spiritus nõ semper adest singulis hominibus. super eũ, hoc est, perpetuò ac sine vlla intermissione cum eo perstitit. Cum cæteris hominibus non perpetuò permanet: sed sicut ait
Ioan. 3. Christus, siue de eo ipso, siue de hoc aëreo spiritu, vbi vult spirat, nec scimus vnde veniat, aut quo vadat. Ad tẽpus venit, & recedit: Id quod in eximijs illis, doctis ac sanctis viris Cypriano, Augustino, Hieronymo, quorũ mẽtes, linguas ac digitos nõ obscurè spiritus sanctus rexit, ostensum est. Nã de Origene, & Lactantio, in quibus extãt tamen quædam
Per malos quoq; Deus uoluntatẽ suam patefacit. peruersa dogmata, tam confidenter id affirmare non ausim. Quanquã cùm tam multa rectè docuerint & conscripserint, credibile est, non sine gratia spiritus sancti id eos fecisse: quandoquidem à solo Deo est sapiẽtia,
Iacob. 1. veritas, & omne bonũ, qui non modò per e-
Exod. 18. lecta & sancta vasa sua, sed etiã per Ietro le-
Num. 22. gis diuinæ ignarũ, Balaã auarũ, & asinã eius
Ioan. 11. mutã, Cayphã improbũ & impiũ, veritatem

&

& voluntatẽ suã hominibus patefecit. Tamet si quòd ad Origenẽ attinet, asseuerant nõnulli è vetustioribus, inter quos est Pamphylus martyr, scripta eius deprauata esse ab hæreticis, abutentibus nomine & authoritate eius ad confirmãda praua dogmata sua. Quod si hos tales, tãtosq; viros nonnunquã spiritus sanctus deseruit, ita vt minus rectè docerent, scripturas ue interpretarẽtur, quid existimãdũ est de alijs, qui longè absũt ab eorũ prestãtia? Lutherus quidẽ tuus non vult ab vllo id de se præsumi, quod nullus adhuc præstare potuerit sanctissimorum & doctissimorũ patrũ: id est, psalteriũ in omnibus legitimo sensu suo intelligere & docere. Rectiùs hoc, quàm quod alibi idem de se iactauit. Rectè igitur Moyses Hebræos monuit, inquiens: Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui sõnium vidisse se dicat, & prædixerit signũ atq; portentũ, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis. Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris. Quid ais Mose? Nónne si Propheta est, & euenit id, quod locutus est, habet spiritũ sanctũ, cùm Prophetia sine spiritu sancto non sit, quemadmodũ scribit Petrus: Habuerit spiritum sanctũ, quando prædixit signũ & portentũ quod eue-

Origenis scripta ab hæreticis deprauata.

Lutherus in præfat. in operat. in psal.

Deut. 13.

2. Pet. 1.

euenit: Tunc quidem eo destitutus est, quãdo homines à Deo vero ad idololatriam seducit. Cur autem id facit spiritus sanctus, vt afflet nonnunquam eum, quem non ignoret abusurum esse dono suo? Reddit ibi Moses causam, subdens: Quia tentat vos dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Proinde illa Christi promissio de perpetua sua & spiritus sancti præsentia, itemque oratio ad patrem de sanctificatione credentium & confirmatione in veritate, non ad vnum quempiam, aut aliquot homines priuatim, neque ad vnum populum, neque ad vnum tempus vel seculum, verùm ad vniuersam ecclesiam Christi pertinet, quæ est columna & firmamentum veritatis. Quam ipse quoque Caluinus capitalis inimicus & oppugnator eius propterea sic appellari asserit, quia fida sit custos veritatis, ne hæc in mundo intercidat. Hæc est illa ciuitas sancta, Hierusalem noua, descẽdens de cœlo à Deo, habens claritatem Dei, sicut scribit Ioan. in Apocalyp, & vxor agni illius, qui tollit peccata mundi, qui desponsit eam sibi in sempiternum in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in mise-

Cum ecclesia & in ecclesia manere Christũ & Spiritũ sanctum.

Ecclesiæ encomium.

1. Tim. 3.

Apoc. 21.

Ioan. 1.

Ozeæ, 2.

ſerationibus, & in fide: quemadmodum ipſe per Ozeam Prophetam prædixerat, ſecuritatemque ei præſtitit, per Eſaiam ita dicens: Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces. Quid ita? Quia fœdus meum cum eis, dicit dominus. Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit dominus, amodo & vſque in ſempiternum. Atque ideò ſubdit: Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: Super te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplẽdore ortus tui. Hęc eſt domus, non ſuper numerabilem cedentemq; arenam, ſed ſuper vnam, ſolidam, & firmam petram, quam neque flumina eluunt vel ſubruunt, neque venti diſijciunt aut euertunt, ædificata. Aduerſus hanc portæ inferi, hoc eſt, diabolus Pater mendacij, & qui ſunt ex parte eius hæretici, nullis dolis & aſtibus, aut viribus & copijs ſuis prævalebunt. Per hanc non modò cunctis hominibus, verumetiam principibus

Eſa. 54.

Eſa. 60.

Eccleſiæ authoritas Matth. 7.

Matth. 16. Ioan. 8.

&

& potestatibus in cœlestibus, quemadmodũ
Ephes. 3. scribit Paulus, innotescere debuit multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro. Propter quas diuinas & fallere nescias promissiones, tanta semper penes Ecclesiam fuit authoritas apud omnes Christianos populos, vt ea sola depositum verbi Dei ac doctrinæ apostolicæ existimaretur fideliter conseruare, & quicquid ea pro verbo Dei tradidisset, & quomodo, quoque sensu tradidisset, id solum reciperetur, siue id scriptum, siue viua voce, siue actione, & in mysterio proditum esset. Itaq; cùm extarẽt olim Petri, Thomæ, Philippi, Mathiæ, Nazaræorum, extentque etiam nunc Nicodemi, & Bartholomæi, ni fallor, nomine Euangelia, Itemq; liber pastoris, apocalypsis Petri, epistola Barnabæ, acta Pauli, Andreæ, Ioannis, & aliorum apostolorum (quorum faciunt mentionẽ Eusebius & Epiphanius, graues & vetusti scriptores) tamen eorum nihil habuit authoritatem verbi Dei. Hi verò libri, quos habemus in canone noui testamenti, sacrosancti semper fuerunt, & sunt apud nos, & ipsissimam Christi & apostolorum doctrinam continere iudicantur, non aliam ob causam, quàm quòd hos quidem approbauit & recepit, illos

Ecclesia uerbi Dei asseruatrix.

Scripturæ apocryphæ & Canonicæ.

Euſ. eccl. hiſt. lib. 3. cap. 25.

Epiph. aduer. hæreſ. lib. 1. to. 2.

los verò reprobauit ac reiecit sancta Christi Ecclesia. Et in illis ipsis autem, quos ea recepit, is demum verus est & germanus, verboque Dei consentaneus eorum sensus, nõ quẽ Caluinus, Lutherus, Melanchton, Stancarus, Gentilis, Seruetus, Hus, Vicleffus, Petrus Abailardus, Berengarius, Vigilantius, Eutyches, Pelagius, Donatus, Nestorius, Macedonius, Aërius, Eunomius, Appollinaris, Photinus, Arius, Sabellius, Manes, Marcion, Cerdo, Valentinus, & cæteræ eiusdem modi siue priscæ, siue recentes & nouitiæ pestes & portæ inferorum prodidere, sed quem ea ipsa Ecclesia Christi prodidit, & per multas ætates ad nos transmisit, & vsque ad consummationem sæculi conseruabit. Aut hæc est autẽ, aut nihil est illa analogia fidei, de qua dixi paulò antè: Ad quam isti vestri euangelici võ lunt semper antiquitus examinari solere, & oportere scripturas, cùm quæ sint canonicæ, quæ non sint, tum quis earum verus & germanus sensus sit, qui non sit. Nimirũ consensio doctrinæ ad eam normam fidei, quam Ecclesia à Christo per apostolos, eorumq; discipulos & successores acceptam, quasi in fideli depositio conseruat. Quòd si hoc isti sentiũt, nobiscum & cum patribus sentiunt. Ex quibus Origenes quidẽ Adamantius ante mille tre-

Analogia fidei.

Origen. ho mil. 29. in Matth.

trecẽtos annos de hæreticis agens ita scripsit: Quoties autem canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione: nec aliter credere, nisi quẽadmodũ per successionẽ Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Ex mox addit: Eorũ verborũ falsorũ professores, quidã quidem nec ab initio simulant scripturas, & sic fallere tentant. Ideo, existimo, eos sermones, qui sunt omnino extra scripturam, ostendere volens, dixit: Si dixerint vobis: Ecce in solitudine, nolite exire de regula fidei. Eos autem, qui ad schisma simulant diuinas scripturas, ostendere volens, dixit: Si dixerint vobis: Ecce in domibus, nolite credere. Quodcunq; professi fuerint de scripturis, & de mysterijs, quæ sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere quæ dicuntur. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti vsq; ad Occidentẽ, qualis est veritas Ecclesiæ dei. Ab ea enim sola sonus in omnẽ terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit sola verè veritas Dei. Nec dissimilia sunt, quæ hoc etiã antiquior scribit Irenæus. Non oportet, inquit, adhuc quærere apud alios

Veritas fulguri similis

Iren. de præscr. hæret. lib 3. ca. 3. & 4.

lios veritatẽ, quã facile eſt ab Eccleſia ſumere: cùm Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſsimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis: vti omnis, quicunq; velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus. Omnes autẽ reliqui fures ſunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligẽtia diligere, & apprehẽdere veritatis traditionem. Cyrillus etiã Alexandrinus, & Tertullianus, Eccleſiæ dogmata fidei regulam: Athanaſius ſcopum, Eccleſiæ ancorã fidei: Clemẽs autem Alexandrinus iuxta ac Romanus, his fermè omnibus antiquiores, eccleſiæ traditiones, claues & interpretes ſcripturæ eſſe affirmãt. Vides, cùm in interpretatione ſcripturarũ, tũ in omni veritate fidei, etiã abſq; ſcripturis, cognoſcenda ad Eccleſiam nos remitti ab his tantis doctoribus, eiusq; doctrina vt maximè nitamur, eos velle? Sed quid hos ego, quamuis eximios, Eccleſiæq; Chriſtianæ anteſignanos profero? Quin tu mihi attẽde, quantũ ipſe doctor gẽtium in fide & veritate Paulus apoſtolus, eccleſiaſticæ doctrinæ tribuat. Qui, quãuis nõ ab hominibus, neq; per hominẽ miſſus eſſet ad propagandum Euangelium, neq; ab homine id didiciſſet, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti,

Veritas in eccleſia quærenda

Cyr. ep. 28
Tertul. de præſcr. aduer. hæret.
Athanaſ. cont. Arian. ſer. 4.
Cle. Alex. ſtrom. lib. 1. & 6.
Cle. Rom. Recog. lib. 10 & ep. 5
Paulus quãtum tribuat eccleſ. doctrinæ.
Gal. 1. & 2

sti, sicut ipse de se testificatur: tamen posteaquã perviginti ferè annos multis in locis prędicauit, non vltro, neq; suasione humana adductus, sed secundum reuelationem ascẽdit Hierosolyma, & ibi contulit cum illis (nempe ecclesijs Iudææ & Apostolis primoribus, qui videbantur esse columnæ ecclesiæ Christianæ) Euangelium, quod prædicabat in gẽtibus, licet iam extarent minimũ à Matthæo & Marco conscripta euangelia. Quamobrẽ autẽ cum eis contulit? vt eos doceret, aut vt periculum faceret, an id illi probè intelligerẽt? Nequaquam. Sed ne fortè, inquit ipse, in vanum currerem, aut cucurrissem: Hoc est, vt exploraret, num qua de re ab illis ipse dissentiret: Innuens frustaneum futurum fuisse laborem suum, si quid diuersum à cæterorum apostolorum prędicatione, & à doctrina, quã sequebatur Christi Ecclesia, in prædicatione sua appareret: Non quòd ipsi magnopere de doctrina sua, quã è reuelatione diuina acceperat, dubitandũ esset, sed vt cæteris, vt equidem arbitror, qui reuelationem diuinam vẽdicare sibi non possent, exemplum præberet, ne quis tantum doctrinæ ac sapiẽtiæ suæ pręfideret, quo minus ad Ecclesiã sibi de rebus difficilibus, vel dubijs referẽdum, & in eius magis, quàm in sua ipsius sentẽtia acquiescẽdum

Paulus cur cũ apostolis contulit Euangeliũ

dum esse existimaret. Quapropter etiamsi Paulus ipse vel Petrus, vel etiam angelus de cœlo (nedum Lutherus, Melanchton, Brẽtius, Seruetus, Gẽtilis, Ochinus, Stancarus, Calvinus, Lascus, Osiander, Suẽcfeldius) Euangelizauerit nobis præter id, quod in hac, & ab hac ipsa Ecclesia siue per scripturas, siue per traditiones apostolicas accepimus, anathema sit. Hanc qui nõ audit, pro ethnico & publicano habendus est, secundum verbum domini. Is enim Christum ipsum, qui eam audiendam esse præcepit, & cuius ea spõsa & corpus est, non audit. Et ideò non est de ouibus eius, pro quibus ille Deum patrem rogauit, vt eas seruaret in nomine suo, vt vnum sint in se, & in ipso, & vt eas sanctificaret & confirmaret in veritate, vt sint consummatæ in vnũ. In quo exauditus est proculdubio pro sua reuerẽtia. Sit igitur demonstratum, religionẽ nostram atq; doctrinam Christi salutarẽ verbo Dei nobis esse proditam. Id autẽ verbum non tantum scripturis, verum etiam traditionibus apostolicis, contineri. Et in scripturis autem non statim esse habendum pro verbo Dei, quod suo quisq; sensu profert: Sed sicuti scripturas per Ecclesiam accepimus, ita interpretationem quoq; earum ab ea petendam esse. Et cum in ea ipsa traditione & in-

Epilogus.

Matth. 18.

Coloss. 1.

Ephes. 5.

Ioan. 10.

Heb. 5.

terpretatione scripturarũ, tum in omnibus, quæcunq; ea sine scripturis viua voce, aut in silentio,& in mysterio à domino vel Apostolis eius susceptit,& nobis quasi per manus tradidit,ei plenã fidẽ habendã, in eoq; penitus acquiescendum,non secus quàm in ipso verbo Dei.AVL. Ita me scripturarum testimonijs & authoritate constrinxisti & adegisti, vt non grauatè fatear, Ecclesiam nos audire oportere,cùm in interpretatione scripturarũ, tum in omnibus,quæcunq; ea nobis è doctrina Christi & apostolorũ,seu verbis, seu scriptis,seu moribus & in silentio accepta, tradidit.Verùm enimuerò illud ex te lubẽs discerẽ,liceat´ne ei(Ecclesiæ inquam) aliquid de suo, quod sit alienum à verbo Dei,nobis præcipere,& statuere.MON.Si credis ea vera esse,quæ dixi dudũ, ac verbo dei cõfirmaui, de promissis & prærogatiuis Ecclesiæ à Christo ac Deo datis,illud quoq; firmiter ac citra vllam dubitationẽ credas oportet, eam nihil vnquam alienum à doctrina magistri sui & verbo Dei præcipere & statuere: ac ne posse quidem.Cùm enim verbum Dei sit ipsa veritas,quicquid autem alienum est à veritate,falsum sit ac mendacium, atq; eæ sint portæ inferorum,quomodo eæ prævalebunt aduersus domum,quæ super firmam petram ædi-

Ecclesia nihil statuit alienum à doctrina Christi.

ædificata,& in veritate sanctificata,columna est & firmamentum veritatis? Quomodo aũt errabit,aut in errorem mittet ea, quæ spiritum veritatis habet rectorem & gubernatorem perpetuum? Quomodo sponsa discedet vnquam à fide sponsi eius,qui affirmat, se eã sibi in sempiternum desponsasse in fide, & adiunget se ad adulterũ? Aut quomodo ea, quæ vnũ corpus & vna caro est cum Christo, ab ipso capite suo dissidebit,& aduersus id sese eriget? Quomodo autẽ ea confundetur & erubescet, irrito facto promisso Dei & fœdere illo stabili ac sempiterno, recedẽtq́; verba Dei de ore eius,ac de ore seminis eius, & seminis seminis eius? Quomodo deniq; ea,quę habet claritatẽ Dei,& in qua tenebris operiẽtibus terram gloria domini videri debet,& gẽtes in lumine eius ambulaturæ sunt, quomodo(inquã)ea falsitatis,aut erroris dũtaxat & ignorãtiæ tenebris operietur, & mẽtietur,fallętq́; promissa sua veritas? Absit à pijs mentibus tam impia cogitatio. AVL. At ego audiui graues & pios, vt videbantur,viros,qui affirmarent, quibus de rebus nihil à Christo & Apostolis eius statutum esset, Ecclesiam rectè statuere posse & solere. Et qui eiusmodi statuta eius non audiat, eum pro ethnico & publicano haberi debere. MON.

Mat th 7.

Ecclesia potest statuere præter doctrinam Christi & apostolorum.

Rectissimè illi: Neq; ego aliter sentio: Neq; Christus ipse distinxit, vt diceret: Qui non audierit ecclesiam in eo, quod ea profert è doctrina mea vel vestra, ac verbo Dei: sed vniuersè dixit, Qui non audierit Ecclesiã. Sed non statim alienum esse à doctrina Christi & apostolorum existimandum est, quod in ea disertis verbis expressum non est. Id demum ab ea alienum est, quod cum ea pugnat, nec modò præter doctrinam, verum etiam præter sentẽtiam Christi & apostolorum est. AVL. Edissere ista planiùs. Mihi enim, quæ præter doctrinam, cuiuspiam fiunt, etiam præter sentẽtiam eius fieri videtur. MON. Erras. Diuersum est hoc ab illo. Potest enim aliquid præter doctrinam atq; adeò præceptum meum tuum´ue fieri, quod tamẽ haud præter sentẽtiam & mentẽ nostram fit. Exempli gratia: Præcipio famulo meo, vt mihi aliquid è prædio meo suburbano afferat. Ille verò veniens ad prædium, videt ædificium correptum incẽdio, restinguit incẽdium, de quo ego ipsi nihil præceperam. An non videtur hic tibi facere præter præceptum meum, nec tamẽ prẽter sentẽtiam meã? Non est autẽ dubiũ, me id factum eius approbare. Quid si mandẽ pastori, vt gregẽ meum educat ad certa pascua, & ille animaduertẽs ea inundata aquis, vel im-

Præter sententiam & præter doctrinam sine institutã.

pe-

peditum & periculosum ad ea esse aditum, ad alia quædam, mea itidē, & æquè bona, eū inducat? An videbitur is tibi prēter sentētiam meam feciſſe, licet præter mandatū meū fecerit? Sed è rhetorū quoq; scholis aliquid propositæ rei congruēs petamus. Cùm lege ciuitatis cuiſupiā ſancitum eſſet, vt peregrino capitale eſſet, vrbis mœnia conſcēdere, accidit, vt hoſtibus noctu vrbē ex improuiſo adoriē tibus, peregrinus quiſpiam primus murum armatus aſcēderet, hoſtem ſcalis admotis in ſummam mœnium coronam euadentē, dejiceret, vrbēq; ſeruaret. Videturne is in legē commiſiſſe? Nequaquam. Contra doctrinam quidē & præſcriptū legis fecit. At nō contra, aut præter ſententiam legis. Curioſitatē enim peregrinorum coērcere lex illa, & fraudi ac periculo, non ſaluti ciuitatis viam præcludere voluit. Iam ſi lege ebrietatē vetante, moderatum autē vini vſum permittēte, aut non vetante duntaxat, aliquis ipſe ſibi, liberisq; & ſeruis ſuis eo penitus interdicat: Non præter ſententiam certè, licet præter præceptum doctrinamq; legis fecerit. AVL. Fateor. Non fit præter ſententiam præcipiētis, quod non fit contra voluntatē eius, & quod is præcepturus fuerat, ſi prouidiſſet. MON. Aut ſi ſingillatim perſequi voluiſſet, quæcunq; fieri vult,

Controuerſia de ſcripto & ſententia.

vel vsu venire possūt. AVL. Rectè. MO. Hoc igitur ius ita statuēdi & præcipiēdi præter doctrinā siue mandatū Christi & apostolorū in rebus ad religionē pertinētibus, habet certè ecclesia, qđ habet vxor atq; etiā amicus, ne dicā seruus atriēsis patrisfamilias in curatiōe familiæ & reisa. eius ipso absente, vt quæ ex re & sentētia eius fore iudicāt, agant, familiæq; præcipiāt, etiāsi ille ea nō mādauerit: præsertim cū ea sit amplis. illis, quas dudū recēsui, prærogatiuis, & perpetuo sancti spiritus magisterio dotata. Atq; vt eo quoq; careret, tamen par esset, nō leuiorē esse apud Christianos doctrinæ & præceptorū eius authoritatē, q̄ est in prophanis rebus pub. institutorū & receptorū publicæ morū, decretorumq; & edictorū prætoriorū, siue aliorū magistratuū cū in interpretatione legū, tū in ijs causis, quę legibus cōprehensæ nō sunt. AV. Verū lógè diuersa est ratio diuinarū ac humanarū legū & præceptorū. Homo enim & prouidentia, & memoria, & ratiocinatione falli potest, ita vt nec omnia prouideat, quæ vsus postulat, nec semper præcipiat, quicquid opus est, quodq; esset præcepturus, si non erraret, aut ignorātia teneretur. At in Christi doctrina cū deus sit, & sapientia, ac verbum Dei patris omnis erroris & ignorātiæ expers, nullus neq; correctioni

Instituta & mores rerump. edictaq; legis uim obtinent.

ctioni, neq; additioni locus relictus est. Quo fit, vt qui doctrinã eius mutare, vel addere ei quippiã ausit, præter sententiã & cõtra voluntatẽ eius facere videatur. Quòd si ea, quę per Mosen famulum suũ locutus est, præcepitq; Deus, ita rata firmaq; esse voluit, vt vetaret eis quicquam addi demi ue, longè minus id fieri licet in ijs, quæ idem per filium suum vnigenitum præcepit, minusq; nobis, quàm Iudæis discedendum est à præscripto illo diuino. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito. MON. Hui nesciui te tantum esse Theologum. Sed non satis aduertisse animum videris, Mosis hæc, non dei verba esse. Nihil ne autem præter ea, quæ per Mosen præcepta sunt, post Mosen ijsdem Hebræis seruatu necessarium præceptum est? Docebunt id te cùm historiæ veteteris testamenti, tum prophetarum scripta. AVL. At Moses quæ præcepit, verbis Dei præcepit. Idem aũt Deus postea per alios quoq; prophetas suos alia quædam eidẽ populo præcepit, quæ seruanda & facienda sunt itidẽ atq; illa, quæ per Mosen præcepit. Ad eundem modum ea, quæ per apostolos nobis præcepit Christus, perinde à nobis haberi debẽt, atq; ea quę per se ipse præcepit. In his omnibus nobis prorsus acquiescendũ est, nihil addẽdo, neq; de-

Deut. 4. & 12.

men-

mendo,neq; mutando. MO. Quid si tibi demonstro, Hebræos etiã diuersa à lege & prophetis instituta,& quidem nõ per prophetas accepisse & seruasse? AV. Profer aliquid eiusmodi. MON. En profero. Templum à Solomone rege conditum cum omni descriptione & ministerijs cultus diuini. Itemq; encænia templi eiusdem à Iuda Machabæo longè pòst instituta,ab ipso Christo domino etiam seruata. Atq; hęc apud Hebręos, quibus dictũ erat: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito. Nobis verò Christianis non omnẽ salutarẽ doctrinam Christus ipse per se & per apostolos suos prodidit: Et ea,quam prodidit,admittit nonnunquam mutationem. Doctrinæ autẽ nomine hîc non præcepta modò & instituta,verumetiã exempla & actiones eas accipiamus, quæ nobis ad imitandum sunt propositæ: Iuxta illud: Exemplum enim dedi vobis,vt quemadmodum ego feci vobis,et vos faciatis. Ac illud quidem à me iam anteà satis,vt arbitror, luculentè demonstratum est, Christum non omnẽ salutarẽ doctrinam auditoribus suis tradidisse,quo captui eorũ inseruiret,ac aliquid etiã spiritui sancto relinqueret. Ad eundẽ autẽ modũ apostoli quoque repleti spiritu sancto, præceptorem in hoc,vt in omnibus, imitati, paulatim id facie-

Hebræorũ diuersa à lege et prophetis instituta.

3. Reg. 6.
1. Paral. 28
1. Mach. 4
Ioan. 10.

Doctrina.

Ioan. 13.

Doctrinam salutarem non omnẽ traditam ęsse ab Apostolis.

ciebant, ad captum hominum sese attemperã
tes. Vis hoc etiam tibi ostẽdi? En tibi Petrus Act. 2.
in prima illa sua concione, quam in die Pẽte-
costes ad multitudinẽ, quæ confluxerat, ha-
buit, Iesum Nazarenum virum tantum appel
lat, à Deo in ipsis approbatum virtutibus, &
prodigijs, & signis, quæ Deus per illum fecit:
& quòd eũ ab ipsis interemptũ Deus solutis
inferni doloribus suscitauit, & exaltauit, &
dominũ eum Christumq́; fecit, disserit. Di-
uinitatis autem eius nullam, apertè duntaxat,
facit mentionẽ. Porrò cùm homines illi ro-
garent, quid se facere oporteret: Pœnitentiã
eos agere, & baptizari vnumquẽq; iussit in
remissionẽ peccatorũ. Erat´ne autẽ hæc vni-
uersa doctrina salutaris, & ratio religionis
Christianæ? Nemo est tam stupidus, qui ita
sentiat. Multa sanè alia tum Petrus ipse, tum
alij apostoli illos ipsos homines salutaria &
necessaria posteà docuere. Statim´ne autẽ ab
initio ijdem apostoli diaconos ordinarunt? Act. 6.
Non: Sed tũc demũ, cùm iã aliquãtis per pro-
pagatus esset Christianismus. Ne de sancto
quidẽ spiritu apertè docuerũt initiò. Verùm
nusquam apertiùs cerni potest, non statim
omnia simul Apostolos docuisse, quàm in il-
lo decreto de suffocatis, sanguine, idolothy- Act. 15.
tis, & fornicatione. Iam lex vetus vnà cum
ri-

ritibus ac cæremonijs suis per mortem Christi consummata erat, iamq; penitus aboleri debebat, quẽadmodũ Paulus multis in locis, præsertim autem ad Romanos, Galatas, & Hebræos scribens affirmat, & ipsi Apostoli in cõcilio illo suo cõmemorant. Statim ne autem ij penitus eam abrogarũt? Minimè. Quin ipsi eam initio seruarunt. Argumento est, quòd ad templum cum Iudæis precandi causa conueniebant, & quòd Iudæi facti Christiani cum Petro expostularunt, quòd is cum Ethnicis consuetudinem haberet & comederet. Cõpluribns demum annis interiectis, cùm animaduerterẽt apostoli, periculum esse, ne pro Christi doctrina Iudaismum homines amplecterentur, conuentu acto Ierosolymis, req; in consultationem posita, non repente tamen eam (legẽ inquam) abrogarũt. Sed ethnicos modò eius obseruatione soluerũt, ita quidẽ, vt aliquid tamẽ necessarij, sicut ipsi definiunt, oneris inde ad tempus eis imponerent. De quo nihil à Christo præceptũ erat. Imò verò quod contra expressam ipsius doctrinam esse videbatur. Ipse enim docuit illud: Lex & prophetæ vsq; ad Ioannem. Iudæos verò conuersos, non vetuerunt ij legẽ seruare, quòd ægrè ab ea diuellerẽtur: Quin ipsi quoq; in gratiam ipsorum, ieiunia, dies festos,

Act. 3.
Act. 11.
Luc. 16.

festos, & alias cæremonias deinceps quoque seruarunt, & Paulo, cùm is Ierosolyma denuò reuertisset, persuaserunt, vt purificatus & attonsus, secundum legis præscriptum, templum ingrederetur, & pro se & quatuor alijs Deo munus offerret. Idem ipse Paulus Timotheum circumcidit, licet Galatis scribat denuncians, quod si circumciderẽtur, Christus eis nihil esset profuturus: & quòd quisquis circumciditur, debitor sit vniuersæ legis faciendæ. Corinthijs autem: Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes proprer conscientiam. Hic iam apertè abrogabat decretum illud commune Apostolicum. Vides quomodo Apostoli pedetentim in doctrina sua progrediebantur. Quod quidẽ etiam in concione Pauli, quam Athenis habuit, in actis Apostolorum descripta animaduerti potest. Et ex eo, quod idem scripsit Corinthijs, rectè colligitur. Et ego inquit, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquã parvulis in Christo lac vobis potũ dedi, nõ escã. Nondũ enim poteratis, sed ne nunc quidẽ potestis (nẽpe res sublimes) intelligere. Incandẽ sententiam scribit & Hebræis: De quo (siue Christo, siue Melchisedecho & sacerdotio eius) restat nobis grandis sermo, & interpreta-

Act. 21.

Act. 16. Gal. 5.

1. Cor. 10.

Act. 17.

1. Cor. 3.

Heb. 5.

tabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elemẽta exordij sermonũ Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Vnde non illud mo dò apparet, non omnia simul, quæ ad salutẽ pertinerẽt, docuisse apostolos, sed etiam paulatim & sensim docẽdo, non omnẽ tamẽ doctrinam eos explicasse & absoluisse. Nã quod hic Paulus scribit, Christũ per mortẽ cõsummatũ, factũ esse omnibus obtẽperantibus sibi causam salutis æternæ, appellatũ à deo põtificẽ iuxta ordinẽ Melchisedech: additque grandẽ de eo sibi restare sermonẽ & interpretatu difficilẽ, cuius tunc Hebræi capaces non essent, eum ne postea quidẽ ipsis exposuit. Neq; enim vllã aliã epistolam ad eos posteà scripsit, neq; redijt in Iudæã, sed Romæ, vnde illã scripsit, interfectus est. In alijs itẽ epistolis eius nihil extat eiusmodi. Ac ne in aliorũ quidẽ Apostolorum scriptis. Longè etiam clariùs, non vniuersam salutarẽ doctrinã per apostolos esse traditã ex eo perspicitur, quòd Paulus idẽ scribit ad Titũ. Propterea se eum reliquisse in Creta, vt quæ desunt, corrigat, vel superaddat. Et ad Corinthios, cùm quædã eis de cœna domini præscripsisset: Cætera in-

Tit. 1.

1. Cor. 11.

inquit, cùm venero, disponã. Oportet sanè vtilia & salutaria fuisse, quæ eis pollicebatur. Neq; enim leuis ille & vanus erat. Præstitítne autẽ, quod est pollicitus? Non potest ostẽdi, eum postea Corinthũ venisse: Quin posterio re ad eos ipsos Corinthios epistola excusat, quòd ad eos non venerit, sicut promiserat. Eam autẽ epistolã ex itinere ad eos dedit, cũ ad extremũ Ierosolyma proficisceretur, vbi captus, Cæsareãq; missus, & inde posteà maritimo itinere Romã transmissus est. In scriptis quoq; eius, ac cæterorũ apostolorũ nihil tale reperitur. Quid igitur? Habuítne Deus derelictui Hebræos, Corinthios, & cæteros Christianos post mortẽ Pauli, ac cæterorum apostolorũ? aut inuidítne illis sanctã illam, ac proculdubio vtilẽ & salutarẽ doctrinã atque dispositionẽ à Paulo promissam, aut grandẽ illũ residuũ de sacerdotio Christi, per Melchisedech repræsentato, sermonẽ? Procul absit, vt ita sentiamus. Multæ & magnæ res atq; vtiles aliquãdiu sub silẽtio latuerũt in Ecclesia, neq; per Christum, neque per apostolos eius explicatæ, quarũ nonnullas ego superius recẽsui. De quibus postea curiosi & peruersi homines, circa quæstiones & pugnas verborum languentes, disceptare, & Satanæ instinctu graues & intolerabiles errores inter Chri-

stianos populos disseminare, rectamq; religionem peruertere & opprimere cœperunt? Destituitne autem tunc ecclesiam Christus, quam tantopere dilexit, ornauit, curauit, & securam fecit, sicut audiuisti superiùs? Passusne est eam omni vento doctrinæ circumferri & succumbere? Minimè gentium. Sed qua virtute & authoritate ipse in terris viuens docuit: dæmonibus per eos homines, quos possidebant, se confitentibus ac celebrátibus silentium imposuit, ac tentatorem illum suũ increpuit: quaq; Apostoli post eũ quæ opus erãt pro ratione temporũ in Christiana religione ordinauerũt & cõstituerunt, & pseudapostolos exoriẽtes refutarũt ac dãnarunt, ea ipsa virtute & authoritate Ecclesia, sicubi doctrina Christi & apostolica traditione destituebatur, suboriẽtes subinde in religiõe difficultates atq; dubitatiões dissoluit: prauitates hæreticas extinxit: Nazaræos, Cerdonẽ, Marcionẽ, Apellem, Gnosticos, Encratitas, Cataphrygas, Montanũ, Quartadecumanos, Adamitas, Catharos, Euchitas, Angelicos, Apostolicos, Manichæos, Sabelliũ, Samosatenũ, Arium, Photinũ, Eunomiũ, Macedoniũ, Antropomorphitas, Eutychen, Acephalos, tuorum pseudeuangelicorũ progenitores, Aẽriũ, Luciferũ, Iouinianũ, Vigilantiũ, Donatum, Pelagium,

Ephes. 4.

Ecclesia authoritas in damnandis hæresibus.

gium, Heluidiũ, Berengariũ, Valdẽses, Picardos, Hussũ, & alias inferorũ portas oẽs cum ipsarũ dogmatibus, quæ pro verbo Dei tanquam deos alienos populo Christiano obtrudebant, superauit & oppressit, deincepsque opprimet ac funditùs euertet. Et vt exemplo illustriori rem, licet neutiquam obscurã, magis explicem, dicam pauca de Ariana hæresi. Ea post trecentos à Christo nato annos in Alexandrina ecclesia paruo & obscuro exorta initio, totum orbem Christianũ posteà vehemẽter concussit & afflixit, negans filium Dei Christum, coæternũ & ὁμοούσιον, siue consubstantialem esse patri. Non erat res parui momenti, vt isti tui Euangelici cum suo Lutherõ & Brentio videri volunt: Sed diuinitas Christo prorsus adimebatur, cõcidebatq; religio Christiana, dogmate illo ad analogiã fidei nõ quadrãte. Prouocabãt ad sacras scripturas homines acuti Ariani. Cũq; oẽm salutarẽ doctrinã ijs cõtineri asseuerarent, negabãt (vt & isti nũc Euãgelici) recipi quicquã oportere, qd̃ ijs expressũ nõ esset, sicuti voces illę, essẽtia, persona, ὁμοούσιον, expressę, aut deo certè ad eum modũ attributæ nõ essent: licet vestri isti Euãgelistę contrariũ conẽtur ostẽdere, soli scilicet diligẽter legẽtes, & rectè intelligentes scripturas, quas tamẽ ijdẽ planissimas,

Arianæ hæreseos exortus & damnatio.

Ariani ad scripturas prouocarunt.

mas, & cuiuis intellectu faciles esse volunt. Quid igitur ecclesia? Non inueniri quidē eas voces in scripturis Deo ad eum modum attributas non diffitebatur, vt est videre in scriptis Athanasij, Hilarij, & aliorū præstantissimorū illius ipsius temporis theologorū, Græcorum & Latinorū. Cęterùm statuit ea tamē præter omnē scripturæ authoritatē, filiū coęternū, & consubstantialē patri credi & pronunciari oportere, & eos, qui aliter sentirēt, anathemate in celeberrimo illo 318. patrū Nicæno concilio perculit. Idq; decretū perpetuò deinceps in ecclesia Christi ratū mansit, manetq; etiā apud istos nouos scripturarū sacrarū vindices, perinde ac si è scripturis petitum esset, necquicquam frementibus, et nihil non tentantibus, per aliquot secula, imò in hunc vsq; diem portis inferorum, tunc Arianis, nunc Seruetianis ac Gentilistis. Sic igitur ecclesia promissis Christi certissimis, & magisterio sancti spiritus fretā, & illa tunc, & aliâs alia sanxit & statuit præter doctrinā, sed non præter sententiam Christi & apostolorū. Licet enim disertis scripturæ verbis expressa ea non essent, non tamen abhorrent à Christi & apostolorum sententia, quin etiam ex eorum doctrina per tacitam quandā & necessariam consecutionem, siue consequentiam,

Nicænum concilium præter scripturam nonnihil statuit.

Necessariũ ad salutem an fiat aliquid quod prius non fuit.

& analogiam fidei catholicæ eliciuntur. AV. Hîc Euangelici magnificè de vobis triumphabunt. MON. Quo pacto? AVL. Aut enim necessarium est ad salutem, nosse & credere id, quod tunc Nicænum illud concilium de Trinitate & filio Dei sanxit, quæq; alia antè & pòst ecclesia docuit ac recepit, neq; à Christo, neq; ab apostolis prodita: & hærebitis vos in eo, quod asseueratis, Christũ ecclesiæ suæ nunquam deesse. MO. Imò ipse id promisit. AVL. Quomodo autẽ non defuit antè illud tempus, qui eam doctrina aliqua ad salutem necessaria per aliquot secula destituit? Aut si qui homines potuere sine ea doctrina salui fieri, possumus & nos. Atq; ita non erit necesse, vt tu contendis, nos præter Christi & Apostolorũ doctrinam vlla ecclesiæ decreta & instituta recipere. MON. Cornuta quidẽ est ista tua argumentatio. Sed cornua eius tenera sunt admodum & fragilia. AVL. Expecto quomodo ea confringas. MON. Audi igitur. Cœlũ & terra citius perierint, quàm verbum & promissum Christi, quo promisit, se ecclesiæ suæ nunquam defuturum esse, vanum appareat. Sed nihil impedit, quo minus necessaria nunc sit ad salutem aliqua doctrina ecclesiæ, quæ non fuerit aliquando necessaria, priusquam maleferiati homines, &

circa quæstiones & pugnas verborum languentes, aliquid sanę doctrinæ & analogiæ fidei catholicæ minimè consentaneũ in vulgus spargerent, & peruerterent vias domini rectas, ac modico fermento totam fidei massam corrumperent. Satis tunc erat secundum scripturas & symbolum apostolicum credere: verbi gratia, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres vnum esse Deum: non disquirendo scrupulosè de essentia & personis. Posteaquam autem Arius ambitiosa contentione exagitare hæc cœpit scrupulosiùs, asserẽs ita tres vnum esse, vt filius à patre aliquando extiterit, & quidem ex nõ extantibus, aut ex altera essentia, atque ita patre minor sit, ne ij nominibus modo, vt volebat Sabellius, distincti esse videantur, necesse fuit Ecclesiæ dogma illud, quo plurium Deorum cultus Satanæ fraude reuocabatur, apertè damnare, atq; ita damnare, vt neq; contrarium Sabellij dogma incautis obreperet, quo itidem atq; illo altero præcipuum religionis veræ fundamentum, imò ipsa planè religiò Christiana, conuellebatur. Id autẽ fieri aliter non potuit, quàm verbis pariter ac rebus (neq; enim illa inanis fuit λογομαχία, vt velle videntur Lutherus & Brentius) ex vsu humano ad diuina translatis, citra vllam quidem, vt

Sabellij hæresis.

prius

prius dixi, scripturarum authoritatem, sed non citra ἀναλογίαν fidei catholicæ, iam inde ab Apostolorum temporibus in ecclesia conseruatæ : Cuius fidei tam solida est & vndiq; congruens inter se compages, vt vno aliquo capite quasi lapide emoto, aut male conformato, totum ædificium labefactatũ concidat. Igitur quod antea citra detrimentum fidei latuerat, deinceps Satana per suos ministros exagitante, ab ecclesia per spiritũ sanctum in concilio Nicæno definitum, factum est scitu & creditu necessarium, vel ita duntaxat, ne quid diuersum ab eo quisquam sentiat, aut in dubium id reuocet, atq; ita naufragium patiatur circa fidem. Neq; verò nouitia prorsus tunc fuit doctrina illa ecclesiæ: Citantur ab Athanasio, & alijs Ariani dogmatis oppugnatoribus nonnulli superioris temporis præstantes eruditione & pietate patres, in quorum scriptis ea iam tũc extabat, à spiritu sancto proculdubio, siue per traditionẽ apostolicam, siue per ἀναλογίαν fidei non priuatæ cuiusq;, vt isti vestri volũt, sed catholicæ profecta, paucis quidem nota, quemadmodum & alia eiusdẽ modi mysteria, ac certo tempori diuinitus reseruata, vt tam frequentis ac celebris conuentus præsidium ecclesiæ decreto illustraretur, exem-

Homousij dogma non fuit nouitium.

plumq́;,& quasi norma quædam posteris relinqueretur,si qua alia deinceps in religione ambiguitas exisseret, quomodo ea explicãda,& quid in ea cuiq; sequẽdum esset. Quod quidem Constantinopolitana Synodus aduersus Macedoniũ, Ephesina aduersus Nestorium, Chalcedonensis aduersus Eutychẽ, & aliæ deinceps aduersus alios hæreticos cõ
Gal.1. gregatæ, secutæ sunt. AVL. At Paulus scribit:
Præter Si quis vobis euãgelizauerit præter id quod
quod acce- accepistis, anathema sit. Additq́;: Licet nos,
pistis. aut angelus de cœlo. MON Verùm non ait,
Augusti. in quemadmodum rectè ab Augustino annota-
Ioan. tract. tum est, plusquam accepistis, sed, præter
48. quam quod accepistis. Nam si illud diceret, inquit, sibi ipsi prę iudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei deerãt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. De diuinitate quidem verbi & filij Dei, deq́; doctrina & actis eius multa nobis prodidit Ioannes in euangelio suo, quæ à nullo alio Euãgelista vel Apostolo prodita sunt, & prodidit posterius, quàm Paulus epistolam ad Galatas conscripsit. Ergo ne anathema erit, qui illa euangelizauerit aut acceperit? Imò Ioannes ipse? Quando quidem Paulus, licet nos, dicens, ne apostolos quidem excludit. Quis

tam

tam impius est, qui hoc dicere vel cogitare ausit? Esset profectò perabsurdum, vt ait Tertullianus, vt diabolo semper operante & adijciente quotidie ad iniquitatis opera, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit, cùm propterea paracletum miserit dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina ab illo domini spiritu sancto. Adhuc, inquit, habeo multa loqui vobis, sed nondum potestis ea baiulare. AVL. Non equidem abnuo, Ecclesiam statuere aliquid posse de eo, de quo nihil neq; à Christo domino, neq; ab Apostolis eius statutum sit, modò ne homines Christiani ad necessariã eorum statutorum obseruationem pœna æternæ damnationis adstringantur. MON. Ridiculum. Ergo vis ea similia esse eorum statutorum, quæ in comitijs quorundam populorum sicut leuiter conduntur, ita temerè cõtemnuntur, & obliterantur. At Christus docuit, & inuiolabili lege sanxit: Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. An non videtur autẽ tibi ethnici & publicani obnoxij esse damnationi æternæ? Quid autẽ aliud est anathema, quo ecclesia per Concilia ferit à suis decretis dissentiẽtes?

Tertul. de uera uirgin.

Ecclesiæ statuta an & quatenus obligẽt conscientias.

Anathema

Ecclesiæ lenitas.

Quanquam in rebus agendis non est ea tam dura, aut incogitans, vt vel temerè quibusuis oneribus filios suos, eorumq; conscientias prægrauare velit, vel exitialibus nexibus irretire. Mater enim est, nõ nouerca. Absit modo contemptus, & eorum, cum quibus viuimus, offensio. Quorum vtrunq; expresso dei verbo vetitum, grauissimaq; pœna sancitum, satis est ad damnationẽ. Atq; hoc videtur esse

Præceptorum Christi & ecclesiæ discrimen.

discrimẽ inter Christi, apostolorũq;, & ecclesiæ præcepta, quòd illa citra omnem exceptionem reos tenent transgressores: hæc non item, si absit contemptus & offendiculum siue scandalum. AV. Esto: Hoc quoq; ius obtineat Ecclesia. Cæterùm Christi doctrinã mutare eam posse non arbitror. Verbum enim

Doctrina Christi an sit mutabilis.

domini manet in ęternum. Et: Fidelia, inquit Psaltes, omnia mandata eius, confirmata in

Esa. 40. Psal. 110.

seculum seculi, Facta in veritate & æquitate. MON. Verissimum est: Nec tantum de Christi doctrina, verumetiam de Mosaicis ac Prophetici scripturis, & de ijs mandatis, quæ patriarchis ante legẽ diuinitus data sunt. Nisi tu fortè ea negas esse verba & mandata Dei.

Verbum Dei mutabile.

AVL. Imò aio. MON. Sunt igitur ea quoque æterna, fidelia, & immutabilia. Et tamẽ vide quęso, quid scribat præclarus scripturarũ sacrarũ interpres & assertor. Origenes Adamãtius

Orig. de recta in Deum fide.

rius. Leges enim hominibus pro acceſsione & incremẽto dedit (de deo loquitur) alias Adæ, vt puero: alias Noë: alias Abraæ, alias per Moſe, alias per Euangeliũ. Et aliquãto poſt: Deo pro varietate temporũ id, quod vult, licet, aut potius quod vtile probat, lege ſancire. Admirator verò eius & imitator Chryſoſtomus: Quocirca, inquit, & vxorem aliã quidem repudiare, aliã verò introducere permiſit (Deus nimirũ in veteri teſtamento) cùm non hanc legem tuliſſet ab initio. Ciborum quoq; magnũ fecit diſcrimen, licet contrariũ dixiſſet ab initio. Tanquam olera agri dedi vobis omnia. De loco quoque multas leges ſanxit, non permittens vbiq; preces ad deum peragere: quamuis ne hoc quidem conſtituiſſet ab initio. Quin etiam in Perſarum regione Abraæ viſus eſt, & in Paleſtina, & vbique: & Moyſi poſthæc in ſolitudine. Quid ergo? Repugnat ne ſibijpſi ſcriptura? Abſit. Sed omnia pro tempore adminiſtrat ac diſpenſat, ad vtilitatẽ vniuſcuiuſq; generationis imbecillitatem corrigens. Subditq; idem Chryſoſtomus, quod antea quoq; cõmemoraui, Iudęis dictum eſſe: Dominus deus tuus, dominus vnus eſt. Quod autem habeat etiam filium, Prophetas poſtea ſcriptum reliquiſſe. Nec id tamen valdè apertè, ne imbecil-

Chryſ. in pſal. 119.
Deut. 24.
Gen. 2.
Matth. 19.
Leuit. 11.
Gen. 9.
Deut. 12.
Gen. 12.
Exo.
Exod. 20.

cillitatẽ Iudæorum offẽderent. Nec celasse tamẽ, vt post hæc è proprijs libris ij possent colligere decreta veritatis. Atq; hæc de veteri testamento colligit Chrysostomus, vbi verba & mandata Dei ab ipsomet Dei mutata sunt, & ita quidẽ, vt fierẽt creditu & seruatu necessaria, quę prius ad eum modum non fuissent: aut contrà, libera fierẽt, quæ necessaria fuissent. Quid in nouo testamẽto? An nõ hæ ipsę leges Dei de diuortio, de delectu locorum, ciborum, ac temporum, & pleræq; omnes cæremoniales & iudiciales partim per Christũ, partim per apostolos eius antiquatæ & abrogatæ sunt? AVL. At eas tu ipse temporarias fuisse, & non nisi ad Christi aduẽtum durare debuisse ostẽdisti. Christum verò sempiterni pacti & fœderis Dei cum vniuerso genere humano authorẽ & conditorẽ extitisse. MO. Et tamẽ mutauit & ipse doctrinam & institutа sua. AV. Ostẽde aliquid eiusmodi. MO. Age. Cùm dimitteret apostolos ad prædicandum ante mortẽ suam, præcepit eis, ne in viã gẽtium abirẽt, neq; adirẽt ciuitates Samaritanorum, sicut scribit Matthæus. Contrà verò post resurrectionẽ suam præcepit eisdẽ, vt irent in orbẽ terræ vniuersum, docerẽtq; omnes gentes, & essent sibi testes in Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Mutauit & in eo, quòd

Christus mutauit doctrinam & institutа sua.

Matth. 10.
Matth. 28
Mar. 16.

quòd cùm anteà sine gladio eos misisset, iturus ad mortẽ præcepit eis, vt qui non haberet gladiũ, venderet tunicã, & emeret sibi gladium. Vtut enim hoc accipias, certè verba Christi ipsius indicant, mutare eũ id, quod prius præceperat. Dicit enim: Sed nunc, &c. Quæ verba sunt corrigẽtis & mutãtis id, quod prius dixerat. Discessit idẽ à doctrina sua, ne orantes multum loquerẽtur, quando in horto prolixius orauit, & in monte pernoctabat in oratione Dei. Discessit etiam tunc, quando ministro pontificis, qui ipsi alapam infixerat, non modo non præbuit alteram maxillã, sicut ipse docuerat, sed etiam expostulauit cum eo. Vides mutationes. Christi exemplũ in eo secuti sunt apostoli. Qui & ipsi cum sua ipsorum, tum ipsius magistri sui instituta nõ nulla mutarunt. Vis hoc videre? Statuerunt & præceperunt ij, vt homines ethnici ad fidẽ Christi conuersi, abstinerẽt sanguine, suffocatis, & idolothytis: Et quidẽ præter, ne dicã contra doctrinam Christi asserẽtis: Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Quid igitur Paulus? Omne, inquit, quod in macello venit, manducate. Et: Si quis vocat vos infideliũ ad cœnã, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, mãducate. Vides mutationem præcepti apostolici, & quidẽ eius, quod ipsi fer-

Luc. 22.

Matth. 6.
Luc. 22.
Luc. 6.

Doctrina Christi & apostolorũ mutata ab apostolis.
Act. 15.
Matth. 15.
Mar. 7.
1. Corin. 10

Luc. 10.

uatu neceſſariũ eſſe ſanxerunt. Diſceſsit idẽ Paulus, ſicut ipſe profitetur, ab ipſius Chriſti inſtituto, quo is ordinauit, vt ij, qui euangelium annunciãt, de euangelio viuãt, cum gratis prædicaret: Itẽq; ab illo, quo Chriſtus vetuit apoſtolis, ne eſſent ſolliciti de craſtino, perãque & æs in zona ne portarent, cum abſens eccleſias quaſdã ſubſidia poſceret, collataq; aſſeruaret. Iã q̃ apoſtoli baptizabãt infantes, qui credere nondũ poterant, quemadmodũ memoriæ mandarunt vetuſti, & fide digni ſcriptores, Auguſtinus & Origenes, imò & Dionyſius Areopagita, nónne in eo diſceſiſſe videtur à præcepto domini, qui docẽdi & baptizãdi munus cõiunxit, ita vt videri poſſit, baptizãdos non eſſe eos, qui per ætatẽ doceri & credere nequeãt. Quod vrgẽt Anabaptiſtæ, & Gẽtiliſtæ, necquicquã tergiuerſantibus Lutheranis: Picardis verò decreto apoſtolico, quod tamẽ in ſcripturis nuſquã extat, ſeſe tuentib. Idẽ dominus certã baptiſmi formula præſcripſit: In nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti. Atqui eam formulam apoſtoli ſtatim ipſo die Pẽtecoſtes mutarũt. Cùm enim multitudo illa, quæ ad miraculũ concurrerat, poſt concionẽ Petri rogaret: Quid facie mus viri fratres? Reſpõdit Petrus, pœnitentiã agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomi-

1. Theſſ. 2.
2. Cor. 11.
Luc. 9.
Matth. 6. & 12.
Phil. 4.
2. Cor. 11.
Aug. cont. Don. li. 4. cap. 24.
Orig. in 6. cap. ad Rom.
Diony. hier. eccl. cap. 7.
Profeſ. fidei Picard. Vlad. regi. exhibita.
Act. 2.

mine Iesu Christi. Vides Petrum hîc cæteris apostolis præsentibus,& non reclamantibus à præscripto magistri discedere,Patris,& spiritus sancti nomen in forma baptismi omittentem? Ad eundem modum & Samaritani à Philippo Euangelista baptizati sunt,sicut idé Lucas memorat: itemq; Cornelius centurio cum domo sua à Petro:& illi, qui Pauli sua- su Ephesi baptizati sunt. Et hæc ita facta esse,vt scripta sunt, negat erro quidam Lutherocaluinianus,imò iam Trideita & Gentilis:& ad scripturas subinde prouocans,omnem eis fidem ipse detrahit, Caluinum & corruptores historiæ ecclesiasticæ secutus, sicuti heri memoraui. Idem tamen, quamuis impudens, negare non audet, extare in scripturis eiusmodi doctrinæ institutorumque diuinorum mutationes. Sed ob multas & graues causas vult is, Christum cras fieri velleid, quod hodie noluerit. Quasi ego Christi & Apostolorum doctrinam similem esse dicam istorum pseudeuangelicorum doctrinæ, quæ temerè & sine vlla causa, quoties libitum est, cùm à suis authoribus, tum à quibuslibet alijs mutatur,figiturque & refrigitur, ita vt quod modò eis Antichristi doctrina fuit, paulò post fiat verbum Dei: & quod dudum habitum est pro verbo dei, sta-

Act.8. Act.10.& 19.

Pseudeuangelicorum temeritas & inconstantia.

statim superstitionis aut impietatis diabolicę damnetur. Absit, vt ita nos de æterna veritate Christo domino, aut apostolis eius, sentiamus. AVL. Atqui tuum hoc est: Esse mutabilia Christi & apostolorum instituta: Et ab ipsis mutata esse aliquando, tum ab ecclesia mutari posse. MON. Fateor. AV. Mirũ. MO. De apostolis præsertim, quod mutari ij magistri sui cœlestis doctrinam ausi sunt. Neq; tamen, cùm hoc ita facerent ac docerẽt, aliud Euangelium prædicabant, præter id, quod ab illo acceperant: Nec detrahebãt quicquã, vel addebant verbo Dei. Sed declarabant efficaciam promissionis Christi, & authoritatẽ spiritus sancti, qui eos docturus erat omnia, & suggesturus eis omnia, quæcunq; Christus ipse eis dixisset (nempe quomodo ea essent accipienda) quæq; idem eis dicere prætermisisset, quod ea tunc portare non potuissent. Et vtebantur potestate sua in dispẽsandis mysterijs ad ædificationẽ Ecclesiæ, et velut fideles, prudẽtesq; dispensatores, distribuebant familiæ domini pro ratione temporũ tritici mensuram: simulq; tacitè admonebant Ecclesiã, quòd nefas ei non esset, à verbis Christi, & exemplis atq; institutis discedere, modò ne discederet à sententia. Non discedebatur autẽ à sententia eius, quando salu-

luti hominum (propter quam ille in mundũ venerat, & ad quam omnia referebat) pro ratione temporum, fundamentis doctrinæ salutis, consulebatur. Neq; enim temerè & sine graui causa, neq; quæuis sua vel magistri sui instituta apostoli mutabant. Sic autem rem accipe. Christus Iesus dei filius, deus & ipse, cùm se totũ patris vsibus & saluti nostræ impendere statuisset, sicuti non tantum formam & naturam homanã, sed etiam ὑστερήματα, siue vitia, &, vt ita dicã, defectus nostros, peccato excepto, in se suscepit, sic & in doctrina salutari ad captum nostrum sese attẽperauit, demittens sese ad nostram imbecillitatem: Iacto; certo, solido, & immobili religionis & salutis nostræ fundamento, reliquum doctrinæ ædificium ita superstruxit, vt in eo magnã duceret, duci; velletà vicarijs suis apostolis, eorum; successoribus, Ecclesiæ suę administris, temporum, locorum, & hominum, quibus consultum volebat, rationẽ: Nihil alienũ faciens à sapienti reipub. conditore & legũ latore: Cui semper idẽ spectare, nõ semper autẽ idem dicere & facere necesse est. Constituta enim certa reipub. forma, & summaria quadam legum conformatione siue regula, quæ omnes personas, loca, ac tempora complectatur, & ad quam, perinde atq; ad gno-

Doctrinæ Christi ratio.

Legum cõdendarum ratio.

monem vel scopum, omnes omnium, qui eâ repub. continentur, actiones cõsiliaq; dirigi necesse sit, cætera sic is instituit, vt non omnia exæquo omnibus, neq; semper, neq; vbique, neq; eodẽ modo apta & accommodata sint. Neq; enim id fieri potuit. Nisi quis disparibus paria velit tribuere, quod esset iniustũ, & reipub. illi neutiquã expediret. Sic igitur tibi persuadeas. Christum qui est dei virtus & sapientia, & secundum eum apostolos eius indutos virtute ex alto, solidũ & immobile iecisse doctrinæ suæ, salutisq; nostræ fundamẽtum, præter quod nemo, ne ipsi quidẽ apostoli aut angeli de cœlo aliud ponere possũt. De eo intelligi debere illud, quod scribit Tertullian. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet: sed nec eligere, qd aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos domini habemus authores, qui nec ipsi quicquã ex suo arbitrio, qd inducerẽt, elegerũt: Sed acceptã à Christo disciplinã fideliter nationibus assignauerũt. Et aliquãto pòst de ijsdẽ apostolis scribẽs. Quanquã, inquit, etsi quædam inter domesticos, vt ita dixerim, differebant, nõ tamẽ ea fuisse credendũ est, quæ aliã regulã fidei superducerẽt diuersam & contrariam illi, quam catholicæ in medium proferebant. Et alibi: Expeditè autem præscribimus adulteris

Tertul. de præscript. aduers. hæret.

Idem in apologet.

ris nostris: Illam esse regulâ veritatis, quæ veniat à Christo transmissa per comites ipsius. Huc etiã pertinet Paulinũ illud: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Atq; id tamen accipiendũ est perinde, ac si diceret, contrà, vel secus, q̃ accepistis: quemadmodũ paulò antè Augustini verbis ostẽdi. Nisi ipsum quoq; Paulũ & Ioannẽ euangelistã damnare velimus: quos post scriptam illam epistolam euangelizasse multa præter id, quod Galatæ ante id tẽpus acceperãt, indubitatũ est. Quod Brẽtius quoque & alij pseudeuãgelici nõ negãt. Tametsi in rebus maioris momẽti factũ negãt impudẽtissimè, redarguente eos ipsa rei euidẽtia. Nisi fortè isti parui momẽti ducũt esse ea, quę scribit Ioannes in principio euãgelij sui, aut euangelizata prius ea disertis verbis fuisse cõtendũt. Quod nobis satis fuerit, dũmodo nusquã alibi in scripturis illa Pauli epistola priorib. extare ea cõfiteãtur. Hoc igitur fũdamentũ ita vt dixi immobile & immutabile est. Neque enim mouẽtur aut mutãtur ea, quæ cũ antea rectũis prodita essẽt, explicantur: neq; ea, quibus secundũ analogiã, vel vt Tertullian. loquitur, regulã fidei cõsequẽs aliquid additur. Atq; ita accipiẽda est & Paulina illa altera sẽtẽtia: Fũdamentũ enim aliud nemo potest

Brent. in pericop.

Tertul. de præscript. 1. Cor. 3.

test' ponere, præter id, quod positum est. Cæterùm, quæ huic fundamento fidei siue ab Apostolis, siue à Christo ipso superstructa sunt, non eiusdem modi sunt omnia. Quod Paulus idem non obscurè significat, cùm alium aliud superædificare ait. Sunt enim in euangelicis & apostolicis literis (vt de ijs solis nũc loquamur) quædam tanquam necessaria seruatu omnibus tradita. Quale est, vt nos à libidinibus & fornicatione contineamus. Negat enim Paulus quenquam fornicatorem habiturum esse hæreditatem in regno Christi & Dei. Qualia sunt etiam, quæcunq; ad fidem in Deum pertinent. Qui enim non crediderit, condemnabitur, ait Christus, Quędã præcepti quidem vim obtinent, sed quod certis locis, temporibus, personis, causis, & alijs circumstantijs adstrictum sit, & expeditã magis, quàm necessariam ad salutem viam muniat, & quod salua fidei regula, vt verbis Tertulliani rursus vtar, potest in quæstionem deuenire: quodq; certã cõtineat, ac certa ratiõe nixã dispensationẽ. Quale est illud de prędicãdo aut nõ prædicãdo samaritanis & gẽtibus euãgelio. Iudæis enim oportebat primùm loqui verbum Dei, quemadmodũ ait Paulus, quibus præcipuè promissus fuit Messias, ne quã ij haberent excusationem, quòd eius doctri-

Doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ ratio.

Præcepta immobilia.

Ephes. 5.

Mar. 6.

Præcepta mutabilia.

Tertull. de præscript.

Act. 13.

nam

nam reſpuerent. Sed quoniã id repulerunt, & indignos ſe indicarũt æternæ vitæ, iuſsi ſunt apoſtoli ad gentes conuerti. Tale eſt & apoſtolicũ illud de abſtinẽdo ab idolothytis, ſanguine, & ſuffocato: Quæ mitigandorũ eorũ, qui ex Iudaiſmo ad fidem Chriſti conuertebantur, & conſeruandæ in eccleſia concordię cauſa ſancita ſunt. In hoc ipſo ordine ſunt etiã externi ritus & actiones. Qualia iſti quoque pſeudeuangelici eſſe volunt inſtituta de ſumptione Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie, & poſt cœnã. Et illud de coniugio. Vnuſquiſq; vxorem ſuam habeat. Nihil enim prohibet hîc nos confeſsis ipſorũ exemplis vti ad rem demonſtrandam. Talia ſunt etiam præcepta legis cæremonialia & iudicialia. Quædam autem dicta vel ſcripta ſunt per modum cõſilij. Quale eſt illud: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Et illud: De Virginibus præceptũ domini non habeo: cõſilium autẽ do, &c. Nam, vt quis omnia, quæ habet non vendat, vt matrimonio virginitatem poſthabeat, non peccat, ijſdem Chriſto & Paulo authoribus: Qui hæc non damnant. Sed illa tamen anteponunt, & ſuadent vt potiora, propter vtilitatem, quòd facultatem præbeant ſine impedimento dominum obſecrandi vel obſer-

1. Cor. 7.

Conſilia.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7. uandi, vt Paulinis verbis vtar. Quædam porrò per indulgẽtiam cõcessa, nõ præcepta neq;
Indulta. cõsulta sunt.
1. Cor. 7. Quale est, quod Paulus idẽ secundũ indulgentiã dicere se scribit cõiugatis, vt post temporariam continentiã cõsensu mutuo susceptã reuertantur in id ipsum, hoc est, ad cõiugales cõplexus. Ipse enim subindicat, cõsultius esse, ad id nõ reuerti. Cæterùm hoc tamẽ indulget, propter imbecillitatẽ naturæ humanæ, & incontinentiã, ne tentet eos Satanas. Nec verò legi defuerũt sua cõsilia & indulta. Quæ vtraq; vtrobiq; arbitraria sunt cuiuis. Præter, si quis vltrò ipse voto suo legẽ sibi imposuerit. Tũc enim ei fiũt seruatu necessaria. Qua de re nõ est hîc plura dicẽdi locus. Nõ video aũt, cur nõ ecclesia quoq; eã potestatem habeat, vt ea certo cõsilio necessaria filijs suis faciat, quæ prius erãt libera. Illa etiã secũdi generis præcepta, quę nõ vniuersè adstringũt, licet sacris literis et verbo dei cõprehendãtur, nõ sunt tamen tã fixa & firma, quin mutari queant. Et nõnulla ex ijs à Christo ipso, & ab apostolis eius mutata sunt, quẽadmodum iã ostẽdi. Atq; id, licet præter priorẽ doctrinã, nõ præter sententiã tamẽ Christi vel apostolorũ, neq; cõtra verbũ dei factũ esse existimandũ est, cũ id, verbũ inquã dei, non velut perpetua, & ad salutẽ per se necessaria nobis,

bis ea prodiderit: Sed quæ eo vsq; rata forēt, quoad vtilitati hominū seruirēt, quo facilius & expeditius ij pietatē erga Deū, & charitatē inter se mutuā (quæ est finis præcepti) seruēt, atq; ita æternam dei legē impleant. Huc spectasse Paulus videtur, cùm ita scribit: Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit, aut reuelauit. Absit enim, vt de ijs, quæ per se necessaria sunt ad salutē, hoc dictū intelligamus. Etenim pugnaret ipse secū, qui alibi talia sanxit anathemate. Huc & ipse Christus respexit, discipulis Ioannis quærentibus: Quare cùm ipsi & pharisæi frequēter ieiunarent, discipuli eius non ieiunarēt, respōdens. Licet enim nō dānaret, imò verò approbaret ieiuniū, ostēdit tamē, tunc nō esse tēpestiuum, vt discipulis suis ieiunandi onus ipse imponeret: Fore autē, se ab eis ablato, vt ieiunarent. Et rectè id ita fieri, duabus similitudinibus probauit. Absit tamen, vt eam sibi authoritatem quilibet de populo sumat & vsurpet. Multò minus hæretici aut schismatici. In nostro, & à nostris, & de nostro ea quærenda sunt, vt ait Tertullianus. Ecclesia tantū, magnificis illis, quas cōmemoraui superius, promissis & prærogatiuis à deo dotata, iustā habet & indubitatam ea mutandi authoritatē, ad ædificationem sui, non ad destructionē,

1. Tim. 1. Rom. 13. Phil. 3. Gal. 2. Matth. 9. Tertul. de præscript. Ecclesiæ authoritas in mutāda Christi & Apostolorum doctrina.

Christi magistri & sponsi sui, & apostlorum exemplis firmatam. Eam porrò authoritatẽ non obscurè ea præ se tulit, & exeruit paulò post apostolorum tempora, cùm adhuc homines maiore, quàm nunc, timore dei, pietate, & scientia doctrinę Christi prędediti essent, nec facilè se in aliud euangelium transferri paterentur, ne vitæ quidem periculis & extremis cruciatibus propositis. Victore enim pontifice Ecclesiæ præsidente, intra centesimum & quinquagesimum annum post Christi ascensionem, cùm subortum esset dissidium inter Christianos de festo Paschæ, ij quidem, qui id quartadecima Luna Aprilis, in quamcunque diem ea incidisset, pariter cum Iudæis celebrari oportere asseuerabant, non modò Ioannis Euangelistæ & aliorum quorundam apostolorum instituto siue more, sed etiam Christi ipsius exemplo nitebantur. Et tamen ecclesia definiuit, vt non plena luna, verùm die Dominico sequenti Pascha celebraretur. Atque id ita à multis particularibus synodis, (Oecumenicæ enim tunc locus non erat, hostibus religionis Christianæ imperantibus) confirmatum, apud omnes Christianos populos in hodiernum diem seruatur. Illi verò damnati sunt, qui per contumaciam ei decreto parêre noluerunt, sed segregarunt semetipsos.

De die Paschæ.

ipsos. Post centum autem annos ij tandē de-
posita pertinacia in concilio Nicæno eccleſię
ſeſe reconciliarunt. Scimus etiam Chriſtum
ad conficiendum ſiue conſecrandum corpus
ſuum in ſacramento Euchariſtiæ, azimo pa-
ne vſum eſſe: idemq́; factitaſſe apoſtolos, nō
minus exemplorum, quàm doctrinæ ipſius
obſeruantes. Et tamen eccleſiæ poſteà fermē
tato ~~vti~~ placuit. Quanquā poſteà rurſus, ſub-
lata cauſa placiti eius, ipſum quoq; placitum
antiquatum eſt. Græci tamen & Ruſsi id etiā
nunc mordicus retinent. Et indulſit hoc eis
Concilium Florentinum. Neq; illud ignora-
mus: Chriſtum poſt cœnam, & agni agreſti-
umq́ lactucarum eſum, ſacroſanctam cœnam
ſuam inſtituiſſe. Et ſic eam deinceps aliquan
diu in eccleſia vſitatam fuiſſe, è Pauli epiſto-
la priore ad Corinthios conſtat. Et tamē mu-
tauit pòſt eccleſia id inſtitutum, ita vt nunc
nuſquam niſi à ieiunis ea cœna, hoc eſt, Eu-
chariſtia ſumatur in eccleſia, exceptis ijs, qui-
bus imminet mortis periculum. Quod Au-
guſtinus quoq; memorat ſuo tempore ſic eſ-
ſe obſeruatum: Et ſeruant, ni fallor, etiā nunc
Lutherani. AVL. At hæc neq; à Chriſto, neq;
ab Apoſtolis præcepta fuêre. MON. Nondū
igitur tibi perſuaſi, ea quæ viua voce, vel in
myſterio & ipſa actiōe nobis tradita ſūt, per

De azimo & fermentato.

De tempore ſumendæ Euchariſtiæ.

1. Cor. 11.

Auguſt. ad Ianua. ep. 118.

inde esse habenda, ac si scripto prodita esset? Et in ijs autem itidē ac in scripturis discrimē est, indultorum, consiliorum, & præceptorū, mutabiliū iuxta ac immutabiliū. Sedage. Sabbatū, præterquàm quòd à Christo seruatum est, ab ipso sanè vnà cū patre & spiritu sancto iā inde ab initio mundi cōditi sanctificatum, & in lege Mosaica inter Moralia præcepta cō numeratum fuit. Et tamē ecclesia id nō seruat, sed insequentē, hoc est, Dominicā diem, nullo freta apostolico præcepto, cōmutauit, ita vt in eo præcepto id, quod est morale atq; ita immobile, seruet: quod aūt cæremoniale abrogarit, quemadmodū & circumcisionem. Quod ne Ochin. quidē negat. Atq; id factū, licet præter præceptū Christi ac dei, gratū tamē deo fuisse asserit. Nōne aūt baptizari, hoc est, mergi Christus eos, qui fidei religioniq; suæ initiarentur, disertis verbis præcepit? Et tamē posterius perfūdi, atq; etiā aspergi eos receptū est ab ecclesia. Idq; isti ipsi etiā, quāuis religiosi, euāgelici ita seruāt. Deniq; ritū illū baptizādi in nomine Christi, ab apostolis vsitatū, quemadmodū paulò antè memoraui, nō ne ecclesia pòst antiquauit, & Christi præceptū nōsine iusta causa intermissū ab apostolis, reuocauit? Qua verò authoritate id ea fecit? Eadē, qua Paulus scripsit Galatis: Si circūcide-

De sabbato in Dominicū commutato.

Gen. 2.

Exod. 20.

Och. dia. 1.

Mersio & perfusio in baptismo.

Baptismi formula mutata.

ciderentur, Christum eis nihil profuturũ esse, ipse verò nihilominus Timotheum circũcidit, decretũq; illud apostolicũ de abstinendo à sanguine, suffocato, & idolothytis induxit: quaq; ipsi apostoli illius ipsius decreti onus ethnicis ad Christianismũ conuersis imposuerãt, & Christi de baptismo instituta mutarant: nimirũ spiritus sancti authoritate: cuius doctrina & instituta perinde sunt verbũ dei, atq; illud, quod Christus ipse docuit, instituit, & præcepit, sicut prius etiã è Cypriano ostendi. Quare ecclesiam in omnibus prorsus, quæcunq; ad religionẽ & cultũ dei, salutẽq; nostrã, & externã inter nos in Christianismo rempub. pertinẽt, sine vlla dubitatione constãterq; sequi nos oportet, si errare, & à veritate, hoc est, à deo, vita & salute nostra excidere nolumus. qui verò eam contẽnit, nõ hominem contemnit, sed Christum, qui cum ea vnum est corpus, & vna caro, & perpetuo sancti spiritus magisterio eã gubernat. Quique id facit, perinde ac ethnicus & publicanus secundũ euangelicã doctrinã nobis esse debet. AV. Sit ita sanè, quãdo manifestę veritati aduersari fas non est. Cæterùm vbi nam ea sit ecclesia, hic labor, hoc opus. Et isti enim Euangelici, vt nosti, eam sibi vendicant. MO. Scio: Verùm nihil cum ea cõmune habent, *Epilogus libri.*

bent. Quod quidem euidenter planum fiet, vbi eam, si tibi videbitur, descripsero, & notas, quibus ea cognosci possit ac debeat, demonstraro. AVL. Imò vt facias, magnopere te rogo. MON. Faciam. Sed in aliud tempus id differamus. Satis multa hodie dicta sunt, & tempus est, vt ad alia discedamus. AVL. Mihi nondum est molestum te audire. Audirem vel biduo talibus de rebus ita loquentem, talibusque documentis docentē. Sed tute tibi accommoda. Nec in longū differas: Sed cras, quæso istam veram Christi ecclesiam, quam sequi nos oportet, mihi demonstra: ne declinem ad dexteram, vel ad sinistram, obtentuq; ecclesiæ abducar de via. MON. Cras igitur, quemadmodum postulas, de ea id quod Deus inspirarit, conferemus inter nos. AVL. Placet: Nec tu me ingratum experiere. MON. Nihil opus est. A Deo mercedem huius laboris expectabo. Quanquam equidem seruus inutilis officium in eo meum facio.

LIBRI SECVNDI FINIS.

MARTINI CROMERI COLLOQVIORVM DE RELIGIONE LIBER TERTIVS, QVI est de Ecclesia Christi.

Libri tertij Colloquium prius.

AVLICVS. Permultum tibi debeo, mi pater, pro huius bidui Colloquio. Deus tibi dignã mercedem reddat pro eo, quòd me ab errore reduxisti. Nam, vt verũ fatear, hactenus ita existimaui, & sunt item multi alij, qui vel ferro, quemadmodum pofitentur, eam opinionem tueri ausint, quòd verũ & syncerum verbum Dei sit, quicquid Lutherani, & alij, qui se vocant Euangelicos, docent. Etenim sacris ij scripturis, & verbo Dei confirmare videntur sua omnia: Vobis autem non rarò deesse existimantur aduersus eos scripturarum præsidia. Sed iam video, nec vobis deesse copiam scripturarũ, & quidem candidius citatarum & intellectarum: *Anacephalæosis superioris Colloquij.*

nec id solũ esse verbũ Dei, qd̃ sacris scripturis expressũ est: Nec statim esse verbum Dei, quicquid è scripturis quolibet sẽsu ꝓfertur: verũ in ecclesia nobis verbũ Dei, & verũ eius sensũ quærendũ esse, & in traditiõe atq; doctrina ecclesię, perinde ac in certo & firmo fũdamẽto veritatis, acquiescẽdũ: nec aliud pro verbo Dei habendũ, q̃ quod Ecclesia à Christo & Apostolis eius siue in scripto, siue sine scripto & viua voce, aut in mysterio traditũ accepit, & nobis quasi per manus tradidit, & quomodo quoq; sensu tradidit. Reliquũ est, vt me doceas, sicut heri promisisti, quomodo istá ipsa ecclesia, doctrinaq́; ac traditio eius cognoscẽda sit, ne & hîc errẽ, & cõmenta hominũ pro doctrina ecclesię suscipiã. Absolue opus, quod benè inchoasti. MO. Faciã lubẽs, quoad equidẽ potero. Quod si minus ego tibi satisfaciã, à doctioribus petas licebit. Quã quam cõfido Christũ dominũ, qui est via, veritas & vita, nobis non esse defuturum, quẽadmodũ sanctè promisit: Vbi duo vel tres in nomine suo cõuenirent, ibi se in medio eorũ affuturum esse. Incipiamus igitur eo freti, ecclesiamq́; primũ suis depingamus coloribus. Deinde verò demonstrandũ erit, quomodo nos ea doceat. Nihil est autẽ, quòd te admoneam, non de ea ecclesia, quæ ex lignis lapi-

Iodn. 14.

Matth. 18.

Propositio

Ecclesiæ nomine quid ueniat.

pidibus ue conſtructa ſit (quod à propriè loquentibus templũ dicitur) nobis hîc ſermonẽ eſſe, verùm de cœtu quodã hominum, & eo quidẽ non quouis, aut cuiuſq; modi, nec de incõdita turba, in qua quiſq; quod vult facit, ſed cõcordi & conſentiẽte, qui ſub vno & eodẽ magiſtratu ijſdẽ legibus viuit: qualẽ Græci verborum copia abundãtes, eccleſiã vocãt. Eodemq; verbo Latini quoq; vtuntur. Quod à cõuocatione ſiue euocatione deductũ eſt: Nempe quòd multitudo hominũ à ſuis proprijs actionibus & ſtudijs, & faciendi quodlibet poteſtate, ad communes quaſdam functiones & ſocietatem, certumq; vitæ degendæ ordinem & rationẽ euocata ſit. Nec ſatis eſt id. Coëunt enim nonnunquã homines nõ ſine certo quodam ordine & conſenſu, ali-cuius malæ rei, vtpote latrocinij, aut ſubiugandorum aliorum hominum cauſa. Quem cœtũ etiã eccleſiã vocare poſſumus, ſed malignantiũ. De quo canit Pſaltes: Odiu i eccleſiam malignantium. Non de eiuſmodi eccleſia hîc agimus. Sunt etiam cœtus homi nũ nõ ad malũ coadunati, ſed boni alicuius cõmunis gratia: Verùm eius, quòd ſenſibus percipitur, & huius tantũ vitæ cõmodis cõtinetur. Quales ſunt in ciuitatibus & populis, qui vno principatu, vel rep. cõtinẽtur: qui propter ſuã

Eccleſia unde dicta.

Eccleſia malignantium.

Pſal. 25.

Eccleſiæ humanæ.

cuiusq; cum suis securitatem, vitæq; commoditates ijsdem legibus, ordini & regimini se subdiderunt. Qui & ipsi ecclesiæ dicuntur. Act. 19. Quemadmodum Ephesinæ ciuitatis multitudo in actis Apostolorum ecclesia vocatur. Eiusmodi ecclesię humanæ sunt: Nec de talibus hìc loquimur. Congregantur etiã, & congregati sunt sæpè homines diuinarum rerum atq; religionis causa, quemadmodũ ipsi existimabant, à dæmonibus vel peruersis hominibus dementati. Quales fuerunt apud ethnicos, Græcos & barbaros societates quædã & conuenticula hominum, Baccho, Cereri, Cybeli, Osiridi, Isidi, Pani, alijue cuipiam falso deo ac dæmoni initiatorum, qui peculiares ritus ac cæremonias habebant, quibus certa lege deos illos suos colebant, & ordinem atq; concordiam inter se seruabant, indeq; non modò in hac vita, sed etiã post mortẽ aliquid boni expectabant. Sed errabãt, & fallebãtur. „ Humana enim ratio, sicut heri quoq; dictum „ est, res cœlestes ac diuinas intelligentia com- „ prehendere non potest: Dæmones verò mendaces sunt, & seductores hominum iam inde ab initio. Eiusmodi quoq; conuẽticula (licet minus vsitatè fortasis) ecclesiæ vocari possunt, sed Satanæ, & impiorum. Itaque Dauid quoque suprà memorato loco cùm dixisset:

Ecclesiæ impiorum.

Odi-

Odiui ecclesiam malignantium: addidit, Et cum impijs non sedebo. Ne cum eiusmodi quidem ecclesia hîc nobis quicquam est negocij. Non enim aliam, quàm veri Dei veram ecclesiam hîc demonstrandam suscepimus: Quæ propter veram, certam, & sempiternam beatitudinem animorum simul & corporum à vero Deo, quemadmodum heri ostendi, in vnam rempub. certis legibus congregata est. Quam etiam regnum Dei, propter Deum authorem & moderatorem: & regnum cœlorũ, propter cœlestem beatitudinem, cui partim adscripta, partim destinata est, sacræ literæ appellant. Hanc statim ab initio mundi conditi Deus ędificare cœpit viuis ex lapidibus, quẽadmodum scribit Petrus: hoc est, ex animantibus ratione præditis, spiritibus videlicet siue angelis, & hominibus, cum in mentibus eorum certas rationes, & quasi leges inseuisset, quibus gratia eius adiuuante voluntates suas liberas dirigerent, & ad voluntatem eius accommodarent, vt rectè, honestè, & socialiter concordes inter se viuerent, seq; inuicem omni ratione adiuuarent & sustentarent, ipsumq; dominum conditorem, moderatorẽ, & seruatorem suum vnicum agnoscerent, ac pro virili quisque sua toto vitæ suæ instituto profiterentur & laudarẽt, & aliquandiu quidem

Ecclesia Dei.

Ecclesia regnum Dei, & regnum cœlorum.

Ecclesiæ Dei initiũ & idea.

1. Pet. 2.

dem vt uaturis, ita locis etiam & ratione vitæ distinctis, ad extremũ tamẽ imperfectiore parte perfectiori adunata, simul Deo summo bono suo beati in cœlis æuo perfruãtur sempiterno. AV. Agnosco vera ecclesiæ Dei primordia. MON. Verùm enimuerò, cũ magna pars angelorum, & ambo primi homines, mox vt sunt cõditi, libertate voluntatis & arbitrij sui abutẽtes, leges illas diuinas trãsgressi essent, fauore & ope Dei destituti, contemptũ quen dã & obliuionẽ eius, officiorũq; suorũ cõtraxerũt, & in omne genus malorũ interitũq; delati sunt præcipites, animis pariter & corporibus hominum (angeli enim incorporei sunt) vitiatis. Eaq; vitia & cõtagia simul, ac Dei offensã duo illi primi homines ad omnẽ posteritatẽ suã hæreditario quodam iure transmiserunt. Ac spiritus quidẽ illi exleges, quoniã eximia naturæ eminentia atque perfectione, & abundantiore gratia Dei ornati, non imbecillitate aut errore aliquo, sed malitia atq; superbia Deo repugnarunt, repub. illa & ecclesia Dei penitus exciderunt, & sempiterno exitio supplicijsque deuoti & adiudicati sunt, nullũ sibi malitiæ modũ finẽque statuẽtes. Homines verò quoniã fraude satanæ & imbecillitate è earne orta potius, quàm improbitate lapsi sunt, nõ indigni habiti sũt Dei cle-

Lapsus angelorum & hominum.

Originale peccatum.

Dæmonum casus irreparabilis.

clemẽtia, vt eos à se auersos reuocaret, lapsũ eorũ erigeret, & nouo modo ecclesiã & regnũ in terris sibi ex ipsis cõstrueret, & cũ cœlesti illa ecclesia, quæ casui superat, coadunaret. AV. Diuersa est igitur hęc ab illa? MO. Imò vna est quodãmodo, quodãmodo autẽ nõ vna. Vna quidẽ propterea, q̃ ab vno archi tecto Deo ad vnũ finẽ, hoc est, perfectionem naturæ, & beatitudinẽ, quæ cognitione, amore, laudatione Dei, & sempiterna fruitione gratiæ & bonitatis eius cõtinetur, cõdita est, & mutua beneuolentia deuincta, & vnita. Itaque Paulus Hebræos fidei Christianæ initiatos alloquens: Sed accessistis, inquit, ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalẽ cœlestẽ, & multorũ milliũ angelorũ frequentiam, & ecclesiam primitiuorũ, qui conscripti sunt in cœlis. Non vnaverò, propterea, q̃ spiritus beati siue angeli in cœlis, confirmati gratia Dei, perpetuo tenore & cõstanter seruant ordinẽ & legẽ ab initio sibi insitam, & sine vllo impediměto subiecti Deo, felicitate perfecta fruuntur. Homines verò in terris post lapsũ illũ instauratione opus habuerunt. Eaq; de causa misit Deus pater vnicũ filiũ suũ in mundũ, qui relictis nonaginta nouẽ ouibus, quemadmodũ ipse dicit, vnam perditam quęreret: hoc est, humanum genus

Ecclesia Dei cœlestis ac terrestris una, & non una.

Heb. 12.

Angelorũ certa beatitudo.

Humani lapsus instauratio.

Luc. 15.

corruptum & perditũ, diuina & salutari doctrina sua ad agnitionẽ & amorem veri Dei reduceret. Et quoniam homines ad id, quẽadmodum dixi, apti & accommodati non erant, animis & voluntatibus contagio corporum, seu veriùs abusu liberi arbitrij vitiatis, necesse habuit peccata & iniquitates eorum, quæ inter ipsos & Deum diuidebant, sicut ait Esa. 59. Propheta, sanguine suo abluere, & morte sua omnis culpæ experti à seruitute satanæ eos redimere, placataq́; ipsis ira diuina, mentes ipsorum occæcatas illustrare, voluntates corrigere, ac totum planè hominem innouare: Non ita tamen, vt is deinceps in hac vita neq; ratione & intellectu, neq; appetitu & voluntate à vero & recto deflectere, & aberrare, atque ita à Deo sese auertere, partamq́; iustitiã rursus amittere non posset: sed vt retinere & seruare tamen eam queat, si velit, spe magis, quàm re beatus. Quoniam enim sapientissimo Dei consilio naturæ vitiatæ infirmitas ei virtutis exercendę gratia, ne piger & ignauus torpesceret, relinquebatur, medicamenta quoque certa Christus Dei filius ei reliquit, quibus vtens homo, & inuadentes animum suum morbos atq; concupiscentias depelleret, & si quibus fortè succubuisset, curaret, Deumq́; culpa sua offensum sibi reconcilia-

ret,

ret,&gratiam eius amissam recuperaret,quãdiu manet in hac vita, seq; ita ad sempiternã certamq; & omnis periculi & impedimenti expertem fruitionem Dei, qua in cœlis demùm post hanc vitam perfectè potietur,præpararet,quo maiore cum voluptate ea beatitudine perfruatur,quam nonnullo labore & cura sua adipisceretur. Hæc omnia nobis dominus Iesus Christus Dei filius susceptа natura nostra humana, & frater noster factus, præstitit & perfecit. Idemq; cùm nobis certã rationem atq; doctrinam, qua tantorum beneficiorum compotes fieri queamus, tradèret,simul ordinem certum, & quasi rempub. inter eos,qui doctrinam suam amplecterentur,instituit,vt beneuolentiam mutuam & cõ cordiam inter se conseruantes, perinde ac in ædificio lapides calce coadunati, & inter se deuincti,diuinæ bonitatis imitatione pro vsu & necessitate cuiusq; se inuicem sustentarent,& quasi vnius corporis membra mutuis officijs adiuuarẽt &subleuarẽt,& adDeũ perueherẽt, quo facilùs & expeditius perfectionẽ pro suo quisq; modulo adipiscãtur, & cũ Deo se coniungant.Hæc est ecclesiaDei terrestris,è solis hominibus, quemadmodũ audiuisti, constructa: quam Christus dominus ipse sibi despondit,eiq; non solum doctrinã

Ecclesia Dei terrena.

&

& beneficia maxima, sed totum se impartiuit, ita vt cum ea factus sit vna caro, vt eam secum vnum spiritum faceret. Cui velut columnæ & firmamento veritatis oēs inhæreāt oportet, quicunq; participes fieri volūt suprà memoratorū beneficiorū Christi atq; Dei, & ad illam cœlestem atq; angelicam ecclesiam peruenire. AVL. Video discrimen terrestris ac cœlestis ecclesiæ. Sed perge. MO. Quoniā autem nos terrestris huius ecclesiæ ciues & adscriptitij, nō penitus caremus ad uersarijs instaurationis & salutis nostræ, & contra eos perpetuo, quoad sumus in hoc seculo, militare ac dubio quodam Marte pugnare nos oportet, militantem vocamus hanc ecclesiā. Illam verò cœlestem, in qua spiritus non modò angelici, sed etiam humani, modò quidē sine corporibus, post extremū verò & vniuersale Dei iudicium cum depuratis ab omni sorde terrena, & glorificatis corporibus gratia Dei cōfirmati & securi, & omni vitio, incōmodo, aduersariorū oppugnatione, ac periculo vacui, certa ac sempiterna felicitate fruūtur, æternūq; fruētur, triumphantē vocamus. Cæterū nobis, illa in præsens tēpus prętermissa, de terrestri hac est sermo, in qua quotidie suspirātes ad Deum vociferamur: Adueniat regnū tuum. Quā Christus dominus

Ecclesia militans ac triūphans.

nus Deus & homo, quemadmodũ dudũ dixi, doctrina sua salutari ex hominibus, sanguine suo è potestate dæmonũ, redemptis, construxit. Quod quanquã post aliquot demũ annorum millia à lapsu humano, arcano Dei consilio factum est, tamen etiã ab initio statim non prætermisit Deus pro immensa clementia & misericordia sua, genus humanũ preditũ gratia sua visitare, & auxilij sui instaurationisq; spẽ partim obscuriùs, partim etiã expressiùs ei per patres siue patriarchas sibi charos, & per prophetas omniũ seculorũ atque nationum (quales apud ethnicos fuerunt Mercurius Trismegistus, & Sybillæ) ostendere. Atq; ita pedetentim hanc ecclesiam suam ædificauit. Nam & prisci illi homines, Adã, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noë, Sem, Abraã, Sara, Rebecca, Lot, Iob, Moyses, & alij cum familijs suis Deum agnoscentes, & adorãtes, & spẽ & fiduciã suam in eo collocantes, voluntatesque suas ad eius voluntatem ope ipsius accommodantes, erant populus Dei, & fiebant lapides huius ecclesiæ: & vel nudis voluntatibus & studijs vitæ suæ secundũ legẽ naturæ (quæ non penitus oblitterata est in homine) vel etiã signis, & cæremonijs quibusdam externis, ex reuelatione diuina, vel traditione maiorum, rationisque dicta-

Ecclesiæ militantis exordium & amplitudo.

dictamine acceptis, Deo se, sibiq; Deum adiungebant, & cum eo se vniebant, vberiorem clementiam & salutem promissam ab eo expectantes. Ac ideo scriptura sacra nobis indicat de Abele, Enos, Enoch, Noa, Abraamo, Melchisidecho, Iob, eos Deum coluisse, ipsique placuisse. Hebræos quoq; eadem scriptura ecclesiam Dei vocat. Fuerunt enim electus Dei populus, & ab ipso legem & omnem descriptionem atq; rationem reipub. sue per Mosen acceperunt. Sed quoniam illa omnia, quemadmodum heri prolixè ostendi, Christum Messiam, doctorem & seruatorem totius orbis terrarum, promittebant & repræsentabant, non diutiùs quàm ad aduentum eius durare debuere. Quod quidem Deus ipse Hebræis per Prophetas suos sæpenumerò ac multis modis prædixit. Postea quam autem Christus dominus, qui est finis legis, quemadmodum scribit Paulus, aduenit, & illi eum non receperunt, sed promissa Dei & propheticam doctrinam contempserunt, abiecit eos Deus, ita vt iam non sint ecclesia ac populus Dei, sed synagoga satanæ, quemadmodum scribit Ioannes: Dicentes se Iudæos, hoc est, Deum confitentes; siue populum Dei esse, & non sunt. Etenim obscurati sunt oculi eorum, & obturatæ aures, hoc est, sen-

Gen. 4. 5. 6. 7. 12. 14
Iob. 1.
Num. 20.
Deut 23.

Ecclesia Dei quamdiu fuerit apud Hebræos.

Rom. 10.
Ioan. 1.

Apoc. 8.

ſenſus & mentes. Quod eis per pridẽ Dauidẽ & Eſaiã, quemadmodũ & Paulus atteſtatur, prædictum erat, ita vt non videant, neq; audiant illum, ad quem eos lex & prophetæ ducebant, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Meſsiam & filium Dei: ſed eum adhuc fruſtrà expectent, aut in lege ſalutis ſuæ fiduciã collocent. Hoc idem intellige, ſi quis adhuc in lege naturæ tãtum vellet acquieſcere, neglecta doctrina Chriſti & fide. Non enim eſt in alio aliquo ſalus: Nec aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, ait Petrus. Proinde ſoli nos Chriſtiani, ex Hebræis, & ethnicis collecti, vel vt rectiùs dicã, electi, nunc ſumus Eccleſia Dei. Atq; ideo ſæpenumerò eam ipſam eccleſiã, appellamus eccleſiam Chriſti vel Chriſtianã, Chriſtum in eo ſequuti, qui eam ſuam eccleſiam dixit. Nonnunquam etiam ſcriptura eã ſine vllo additamento eccleſiã nominat, quẽadmodum in actis Apoſtolorum, & apud Paulum ad Epheſios & Colloſſenſes. Quin ipſe quoq; dominus eam ſic vocat. Extra hãc nemo gratiam Dei, ſalutem, & vitam æternam adipiſci poteſt. Ait enim Paulus, Eum (Chriſtum videlicet) ſaluatorem eſſe corporis ſui, quod eſt Eccleſia. Proinde Satan felicitatem tantam hominibus Chriſti doctrinã fidemq́;

Pſal. 68.
Eſa. 6.
Rom. 13.
Gal. 3.
Act. 4.
Eccleſia Dei nunc ſoli ſunt Chriſtiani.
Matth. 16.
Act. 5. & 9
Eph. 1. 3. 5.
Coll. 1.
Matth. 18.
Eph. 5.
Eccleſiæ dignitas.

am-

amplexis inuidens, cùm eos coniunctos, & in sinu ecclesiæ, quasi in castris vel præsidio consociatos frustra adoriretur, distrahere eam veterator, partim per contentionem & schisma, partim errore aliquo vel dubitatione de ea obiecta, conatur: Quæ nisi vna, & consentiens, esse non potest. Ab ea quicunq; dissidẽt, quãlibet numerosi cœtus hominũ, quãlibet Christũ doctrinãq; eius iactantes, malignantiũ & impiorum, non Dei sunt ecclesię. AVL. Quomodo igitur verã dei ecclesiam cognoscemus? Etenim, quemadmodũ tu ipse quoq; heri dixisti, sicut nos, sic etiam Lutherani siue protestantes, & Sacramẽtarij, & Anabaptistæ, & Valdenses siue Picardi, & Trideitæ siue Trinitarij, & Husitæ, & Rusi atq; Græci, eam sibi vendicãt. MO. Sic est: Quælibet harũ sectarum se, non nos, neq; vllam aliam sectã, ecclesiam Dei esse asseuerat. Quin & Donatistæ & Cathari siue Nouatiani, & pleriq; omnes prisci hæretici nusquã alibi, quàm apud se verã esse ecclesiã Dei contenderunt. AV. Quo nam igitur pacto veram à falsa discernemus? MO. Audi. Cùm intellectus humanus in hoc crassum & peccato corruptũ corpus inditus, & immersus quodãmodo, hebes sit, non potest per se ipse, quẽadmodũ Deus vel angeli, qui sunt puræ, illustres, &

De ecclesiæ controuersia.

Humanæ intelligentiæ ratio.

exi-

eximiæ mẽtes, vllius rei essentiã causasq;, per quas ad certã rei cuiusq; cognitionẽ peruenitur, cõprehendere: sed per signa à sensibus, vel indicio cuiuspiã, cui fidẽ habet, accepta, ad cognitionẽ rei cuiusq;, essentiæq;, & causarũ eius peruenire oportet. AVL. Expone istud clariùs. MON. Vno atq; altero exẽplo planũ faciam. quid est sole illustrius? Et tamẽ essentiam & naturã eius non percipimus, sed per signa quædã sensibus obuia ad quandam cognitionẽ eius peruenimus: nẽpe q̃ videmus eum esse corpus cœleste, sphæricũ, & lucidũ, perpetuo motu terrã circũiens, præsẽtia sua diẽ, absentia verò noctẽ efficiẽs, calefaciẽs & vegetãs terrã, & quicquid super eã, & in ea est. Quid aũt intellectus humanus iustius cognoscere debet, q̃ seipsũ, cũ à se ipso nunquã absit? Quo nã aũt modo ad eã cognitionẽ peruenit? Nõ sanè simplici & nudo intuitu essẽtiæ suæ, causarũq; eius, quomodo angeli se ipsi norũt, sed per signa, quæ vel ipse industria sua obseruat & perpẽdit, vel sapientiũ & fide dignorum hominũ doctrina percipit: Ea verò sunt cogitatio, sermo, quo alius alij sẽsa animi sui patefacit memoria præteritorũ, prænotio & prouidẽtia futurorũ, peritia variarum artium atq; disciplinarum, consideratio quid ex quo, & quid prius, quid poste-

ſterius fieri ſoleat. Per hæc ſigna nos ad animi cognitionem pertingere neceſſe eſt. Hominem quoq; homo non niſi per lineamenta corporis, & maximè faciei, vocemq; & ſermonem cognoſcit. Quod ſi hoc ita eſt in his rebus, quas in vſu quotidiano habemus, longè magis abditarum rerum cognitionem per ſigna nos aſſequi oportet. Proinde ad eccleſiç quoq; Dei (quãdoquidem ea nobis per ſe ſatis nota non eſt) cognitionem non aliter quàm per ſigna quædam euidẽtia peruenire nos oportet. AVL. Quæ igitur ea ſigna ſunt? MO. Lutherani tui. AV. Iam non mei. MO. Duo ſigna oſtendunt, per quæ vera Dei eccleſia cognoſci, & à falſa internoſci poſſit. AVL. Quæ nam? MON. Synceram ac ſanam doctrinam Euangelij, & rectum ſacramentorum vſum. AVL. An non rectè? MON. Mox audies. Sine ſcriptura quidem certè: ſine qua negant quicquam credi & recipi oportere. Eſt ſanè vtrunq; hoc in eccleſia Dei: & vt ſit neceſſe eſt: neq; eſt vſquam alibi. Verum enim & ſyncerum verbum Dei ſiue Euangelium, dum nobis credenda & agenda præſcribit, fundamentum eſt eccleſiæ, quemadmodum heri demonſtratum eſt. Sacramenta verò, & ipſa verbo Dei prodita, cùm ſymbola quædam ſunt, quibus eccleſiæ membra inter-

Eccleſiæ ſigna ſecũdum pſeudeuangelicos.

Verbum dei fundamentum eccleſiæ.

Sacramẽta quid ſint.

ternoſcuntur,& inter ſe conſociantur, tum inſtrumenta excipiendorum Dei beneficiorum,vniuerſæ Eccleſiæ per Chriſtum partorum atq; propoſitorum. Habet igitur vtrunque eccleſia Chriſti: Et his notis cùm à ſynagoga ſatanæ,eccleſia malignantium,& humanis eccleſijs, tum quadam tenus etiam à priſca Hebraici populi eccleſia diſtinguitur. Sed inter eos,inter quos commune eſt Chriſtianiſmi nomen,ſi ſit controuerſia, hæc duo veram Chriſti eccleſiam nobis euidenter demonſtrare, & à falſa diſtinguere nequeunt. Et hæc ipſa enim vel maximè inter eos veniunt in controuerſiã. Chriſtus quidem prędicando,non ſcribendo olim Euangelij doctrinam propagauit. Prædicarunt & ſcripſerunt Apoſtoli. Nec fuit extra controuerſiam poſterioribus temporibus, è ſolis ne traditionibus,an è ſolis ſcriptis Apoſtolicis, an extriſq;,an verò è neutris,ſed ex reuelationibus diuinis ea petenda eſſet. Hoc extremum ſequitur etiam nunc Suẽcfeldius,& ſecuti ſunt olim Enthuſiaſtæ, & Cataphryges. Fuere olim, qui ſolas traditiones amplecterentur. Scripturis ſolis nituntur cæteri noſtri temporis pſeudeuangelici,& nixi ſunt olim Ariani, Eunomiani,& Macedoniani. Iam de ſcripturis non idem omnes ſenſerunt. Manichæi nã- *Verbũ Dei unde petendum.*

De ſcripturis SS. cõtrouerſia.

que & Carpocratiani vetus testamentũ reijciebãt: Alogiani Ioãnis euangeliũ & apocalypsim: Cerdoniani omnia euãgelia prꝛeter Lucæ: Ebionitæ Pauli epistolas: Alij alia. Recipiebãt nõnulli alias quasdã scripturas, vtpote Petri, Nicodemi, Philippi, Bartholomæi, Nazarꝛeorũ euãgelia: Acta Andreæ, & Petri: Eiusdẽ Petri apocalypsin. An autẽ Euangelici isti de epistola Pauli ad Hebrꝛeos, de epistolis Iacobi & Iudæ, itẽ de altera Petri, de apocalypsi Ioãnis, de libris Machabæorũ, de Ecclesiastico nobiscũ & cũ vniuersa tot seculorũ ecclesia cõsentiunt? AV. At olim quoq;, inquiunt, de ijs dubitatũ est. MO. Scilicet idẽ istis est, in dubium aliquid vocare, & reijcere. Dubitatum est aliquãdo, quò certè desineretur, neq; semper dubitaretur: Dubitatum autẽ à priuatis siue hominibus, siue ecclesijs, definitũ ab vniuersa ecclesia. Nec modò de authoritate horũ librorũ, verumetiã de præcipuis religionis nostræ capitibus (qualis est resurrectio mortuorũ) dubitatũ, atq; adeò pugnatũ est. Fuerũt enim quidã etiã tẽpore Pauli, qui dicebãt resurrectionẽ mortuorum nõ esse. Nõ dissimulãt igitur isti, singularitate se delectarit, malleq; cũ quibusuis paucis, q̃ cũ catholica ecclesia sentire. Sed ad rẽ redeo. Sũt, qui cùm de scripturis inter se nõ dissentiãt, de sensu tamen

Cerdoniani.
Ebionitæ.
De sensu scripturarum cõtrouersia.
1. Cor. 15.

mẽ earũ maximè diſsẽtiunt. Atq; hinc plurimæ hæreſes ortę ſunt, quẽadmodum prius etiã oſtẽdi, indoctis & inſtabilibus, vt ait Petrus, quæ in ijs ſunt difficilia deprauãtibus ad ſuã ipſorũ perditionẽ. Quãuis autẽ ita id faciãt, nullus tamẽ eſt, qui non cõtendat, penes ſe eſſe verum & genuinũ ſenſum ſcripturæ, & ſanã doctrinã euãgelij. Penes aduerſarios autem ſuos nõ eſſe. Iam quod ad ſacramẽta attinet, nõ modò de vſu, verùm etiã de numero & generibus eorum nonnunquã certatum & variatum eſt ab ijs, qui ſe Chriſti doctrinã amplecti, eccleſiãq; ipſius eſſe profitebãtur. Seleuciani quidẽ igni, nõ aqua baptizabãt: Marcionitæ vel Cataphryges nõ viuos modò, ſed etiã mortuos. Marcoſij formã baptiſmi mutabãt. Fuerũt, qui vno baptiſmo cõtenti nõ eſſent. Nouatiani pœnitẽtiæ locũ nõ relinquebãt ijs, qui poſt baptiſmũ lapſi eſsẽt. Et oẽs hi verbo Dei ſe niti aſſeuerabãt. Fiãtne aũt vlla vnquã hæreſis, quæ ſibi purã & ſanã euãgelij doctrinã, rectũq; ſacramẽtorum vſũ nõ arrogarit, ac diuerſũ ſentiẽtibus, aut vtrumq;, aut alterum non derogarit? Quid fœdius & abominabilius fuit Gnoſticis, Cerdonianis, Valẽtinianis, Marcionitis, Adamitis, Manichæis, ſiue dogmata ſpectes, ſiue rationẽ vitæ & ſacramenta? Si modò ſuperſtitiones & abomi-

De ſacramẽtis controuerſiæ.
Seleuciani.
Marcionitæ.
Marcoſij.
Hemerobaptiſtæ.
Nouatiani Gnoſtici.
Epiph. aduer. hæreſ. li. 1. to. 1. 2.
Euſ. hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 7. 10. 11.
Auguſt. de hæreſ.

nandos eorum ritus tam honesto nomine appellare conuenit. Et tamen ij persuasum habebant, & cæteris suadebãt, se syncerã & sanã doctrinã verbi Dei sequi, sacramentisq; rectè & secundum institutionẽ diuinã vti: Idq; vel morte sua confirmare non dubitabãt. Modò quoq; nostro hoc tempore quàm multæ, & inter se diuersæ ac pugnantes hæreses sunt in Germania superiore & inferiore, Heluetia, Boëmia, Silesia, Morauia, Anglia, Dania, Suetia, addam & Prussia, & Polonia, & Lithuania, quæ neq; de doctrina verbi Dei, neq; de sacramentis & vsu eorũ inter se congruũt? Quæ nam igitur ex ijs rectè sentit, quæ perperàm? vt inde cognoscamus, apud quos sit ecclesia Dei, siue Christi, quam quærimus? Quælibet eam se esse iactat, cæteras verò ab ea excludit: sibijpsi synceram ac sanã doctrinam Euangelij, rectumq; sacramentorum vsum arrogãs, alias verò erroris, falsitatis, hæreseos, impietatis & insaniæ condemnans. Nec modò inter sectas hæc est controuersia, verumetiã inter eiusdem sectæ homines atq; primores. Melanchton enim, Osiander, & Flacius ex æquo Lutheranã doctrinam amplexi, & sanã Euangelij doctrinã rectumque sacramentorum vsum præ se ferentes ac vendicantes, nihilominus tamen erroris & hæreseos

Aug. de hæres.

Heretici nostri temporis pugnantes inter se.

Melanchton. Osiander. Flacius.

seos se inuicem condemnant. Ad eundem modũ ante paucos annos Monteregio, Osiã- *Stancarus.*
der, Stancarus, & Merlinus de se inuicem sen- *Merlinus.*
serunt. Eadem contentione etiam nunc apud nos agitur inter eundem Stãcarum atq; Lascum, eiusq; satellites, nescio quos terræ filios: vsq; adeò, vt ad rogum penè deuentum sit nuper Pinciouiæ, quamuis vtriq; & Lutheranos & Caluinianos se esse velint. Accessêre *Trideitæ.*
tertij Trideitæ. Imò & quarti, ni fallor, Recu- *Recutiti.*
titi. Imò verò complures alij, quemadmodũ audiuisti nudius tertius. Quid nos, qui in *Cath. eccle*
vijs patrum & semitis antiquis incedimus, an *sia habet*
non vtrunq; illud, sanã videlicet euãgelij do- *uerbũ Dei*
ctrinam, & rectum sacramentorum vsum no- *& rectum*
bis, & iure quidem optimo, ipso etiam pro- *usum sacra*
pheta istorum, Luthero nobis concedente, & *mentorum.*
attestãte, sicut audiuisti nuper, vendicamus? Quid igitur obstat, quo minus isti confiteantur, penes nos esse veram Christi ecclesiam? vt est sanè, velint nolint ij; At enim de sensu euangelij, quod doctrinæ iuxta ac sacramentorum fons est, inter nos est controuersia. Igitur interea dum de eo conuenit, vel vtrobiq;, siue adeò vbiq;, & apud omnes sectas, vel nulla vsquam erit ecclesia ex istorum sententia. Quod tamen vtrunq; ipsi, ni fallor, pernegãt. Quare licet sit in vera ecclesia syncera & sana

doctrina euãgelij, rectusq; sacramẽtorum vsus: neq; sit vsquã alibi: neq; sine his duobus rebus ecclesia esse possit: neq; vera ecclesia, quæ his careat, quoniã in vtroq; hoc homines falli & errare possunt, ac sæpe, quẽadmodum audiuisti, falluntur, & errãt pro vera doctrina, & pro recto vsu sacramentorum, docẽtes ea, quæ nõ sũt eiusmodi, per hęc duo signa nemo facilè verã ecclesiã Dei nosse potest. Verùm cognita prius ecclesia, tum demũ cognoscimus, quod sit verum & syncerũ verbum Dei euãgelijq; doctrina, & qui rectus sacramẽtorum vsus: Nẽpe id vtrum q;, qd ecclesia columna & firmamẽtum veritatis, Christum & spiritum sanctum moderatorẽ habẽs, docet ac sequitur. Prodijt ante aliquot annos libellus quidã ex Anglia, cui Ioãnes Lascus, qui se baronẽ Poloniç, & superintendentẽ peregrinarum ecclesiarum (hoc verè) nominat, nomẽ suum apposuit. In quo tres notæ ecclesiæ Dei describuntur, multò minus certæ, q̃ illæ duæ Lutheranæ. Quanquã eodẽ quodãmodo spectare videtur: Nisi q mos est hæreticorum, in alienis inuentis nõ acquiescere, sed aliquid eis addere, vel noui quippiã, quãuis ineptius & absurdius nõnunquã excogitare. Sed nihil attinet, oẽs omnium ineptias refutare. Nobis certioribus & illustrioribus veræ Christi ecclesiæ notis opus est. Neq; necesse

Ioan. Lasci notæ ecclesiæ.

est eas procul, vel altè, vel profundè quærere, neq; è proprio cerebro producere, quẽadmodũ isti noui Germanici & Anglici & Heluetij hæretici faciunt, quãuis alioqui pernegẽt, se quicquã recipere, qd̃ in sacra scriptura expressum nõ sit. AV. Quænã igitur certæ sunt & illustres veræ ecclesiæ notæ? MO. Ipse nobis sese offerũt, ita vt parũ absit, quin in oculos, quẽ admodũ vulgo dicitur, nobis incurrãt. AVL. Quænã eæ sunt? MO. Dicã, Apostoli ab initio prædicatiõis suæ ex doctrina magistri sui Christi, & afflatu spiritus sancti perbreuẽ summã fidei religionisq;, quã docebãt, collegerunt, in qua idiotæ acquiescere possẽt, & quæ ijs ad salutẽ sufficeret. Si qui verò penitius altiora ac recõditiora scrutari vellẽt, vt ad eam summã, sicut aurifices aurũ ad Lydiũ lapidẽ explorarẽt, & quid verum, quid falsũm, quid syncerum, quid corruptum sit in dogmatibus religionis secundum analogiã fidei catholicæ examinarent. Hanc autem summã, vocamus articulos vel capita fidei, & symbolum Apostolicum, propterea quod id Apostolorum collatione sit compositum, vel si mauis, quod sit quasi tessera quædam, qua Christiani se inuicem cognoscant. Quemadmodum in castris & exercitibus, symbola siue tesseræ dantur, quibus se inuicem

Symbolum Apostolorum

Symbolum unde dictũ.

milites, qui sub ijsdem signis & auspicijs militant, internoscant. Hoc autem symbolum ab omnibus Christianis populis receptũ est. Per hoc pleræq; controuersiæ, errores, atque prauitates circa fidem suborientes tolluntur.

Symbola à pseudeuangeiicis recepta.

Hoc ipsi quoq; Lutherani cum alijs quibusdam posterioribus symbolis ita recipiunt, vt ea, quamuis scriptura sacra non contineãtur, ex æquo cum scriptura iudices controuersiarum religionis esse velint. Quod cùm aliâs, tum in Ratisbonensi, & in proximo Vormatiensi colloquio non obscurè professi sunt. Ochinus verò quicquid ei symbolo adijcitur, pro falso & hæretico haberi posse asserit. Quoniam autem symbolum id perbreuẽ modõ summã rerum credendarum cõtinet, nec oẽs penitus errores & cõtrouersias, quę astu Satanæ, & ministrorũ eius hæreticorũ in religione excitantur, apertè perimit, nõnunquã id sancti patres & Concilia vniuersalia spiritu sancto dirigente, alijs & pluribus verbis quemadmodũ vsus cuiusq; temporis postulabat, explicarunt, & illustrarunt, à sententia & analogia eius non discedẽtes. Quod quidem planum fit ex primo vniuersali Cõcilio Nicæno: ad quod tempore Constantini Magni Imperatoris Romani trecenti decem & octo Episcopi conuenerũt. Ibi enim, quoniã Arius

Ratisbon. colloq.

Vormat. colloq. con sessu. 5.

Ochin. in dialog.

Nicænum symbolum.

Arius hæreticus diuinitatem & generationẽ filij Dei in controuersiam reuocabat, & in symbolo illo Apostolico breuiter admodũ & summatim de eo fit mentio (videlicet, Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, dominum nostrum) fusius ac planius id patres illi explicarunt hisce verbis: Ex patre genitũ vnicum, hoc est, è substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero, genitum non factum, homousion, hoc est, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt in cœlis & in terra. Hoc quoq; symbolum vniuersus populus Christianus suscepit, non secus, quàm illud apostolicum: Quin & Lutherani, & cæteri ferè Pseudeuangelici suscipiunt. Iam verò cùm non multò pòst Macedonius de Spiritu sancto controuersiã excitasset, quòd non sit homousios, hoc est, eiusdem essentiæ, neq; eiusdẽ potestatis cũ Deo patre & filio: quoniam in superioribus illis symbolis, apostolico inquam & Nicæno, nihil amplius cõtinebatur de Spiritu sancto, quàm, Et in spiritum sanctum: secundum vniuersale cõcilium, ad quod opera & studio Gratiani ac Theodosij imperatorum centum quinquaginta Episcopi Constantinopolim conuenerunt, explicando id, quod ab apostolis prolixitatis atq; difficultatis vitandæ cau-

Constantinopolitanũ symbolum.

sa strictim dictum erat, ita caput illud explanauit, Credimus in spiritum sanctum, dominum, & viuificãtem, ex patre procedentẽ: qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur: Qui locutus est per prophetas. Atq; his verbis, & hac explanatione hæresis illa iugulata est. Vt autẽ ad remveniam: In illo apostolico symbolo inter alia capita hoc quoq; est: Credo sanctã ecclesiã catholicã. Ecce habes duas notas, quibus vera Dei ecclesia cognoscitur, nimirum ꝙ ea sit sancta, & catholica. Sed quoniam multi existebãt schismatici & hæretici, qui praua ambitione ducti, cœtus peculiares cõgregabãt, ab vniuersa Christi ecclesia sese segregantes, & nihilominus duas illas notas sibi vẽdicabãt, ac sanctã & catholicã, & pinde verã Dei ecclesiã se esse iactabãt, hac de causa Cõstantinopolitanum illud cõcilium, cuius mentionẽ modò feci, spiritu sancto adspirãte, ad hasce duas notas ecclesiæ, totidẽ alias apposuit: Atq; ita articulũ illum explanauit, Et vnã sanctã, catholicam, & Apostolicam ecclesiã. Quò planius omnibus fieret, nullos hæreticos, neq; schismaticos, quãlibet sancti esse videantur, & per multas orbis terrarum oras diffusi multitudine gloriẽtur, ad ecclesiã Dei pertinere, quãdoquidẽ vnitatẽ ecclesiæ nõ tenẽt, nec ad apostolos originẽ suam referunt. Hoc ita in ho-

Ecclesiæ Dei ueræ notæ.

diernum vsq; diẽ Christiani populi in tẽplis profitẽtur,&circa sacra cantitant: Pseudeuangelici verò isti mutarunt ac deprauarunt,quẽ admodũ à me prius ostensum est,Et cum alia quædã,tum vnã,sanctã,catholicã,& apostolicã eccleſiã è symbolo suo peruulgato, & è fide,vt reor,sua sustulerunt,vt solent fures nocturni lucernas, ne ab ijs prodantur.Hæ sunt igitur quatuor veræ errorisq; expertes notæ, per spiritum sanctũ,qui eccleſiã & cõcilia legitima,quale illud fuit,gubernat,nobis ꝓditę,per quas verã Dei eccleſiã cognoscimus,& cognoscere debemus, Quod est vna,sancta, catholica,& apostolica.AV.Planius ista mihi explicari velim.MO.Bene mones. Nam has quoq; notas hæretici & schismatici falsis interpretationibus nonnunquã cõuenticulis,& cõciliabulis suis vẽdicant,veræ autẽ eccleſiæ adimere conantur.Quamobrẽ expendamus eas singulas diligẽtius.Ordiamur autẽ ab ijs, quæ sunt in symbolo apostolico.Primùm igitur sanctam esse oportet eccleſiam. Et merito,cùm per eum ædificata sit,qui sanctus sanctorũ est,& qui dicit:Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester.Ac propterea Ioãnes in Apocalypsi appellat eã ciuitatẽ sanctã. Paulus etiam testificatur,ꝙ Christus dilexit eccleſiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret. Et mox : vt sit sancta

Eccleſia Christi sancta.

Dan.9.
Leuit.19.
Apoc.21.
Epheſ.5.

Huſs, Vicleffi, Abaiardi, Vicardorum atq; Donatiſtarum error de eccleſia.

& immàculata. Atq; hinc Ioannes Hus Boëmus, & ante eum Vicleffus, ante vtrunq; autem, tempore diui Bèrnardi, Petrus quidam Abailardus, ac eodem ferè tempore Valdenſes: Deniq; ante mille centum annos Donatus in Africa, occaſionem erroris ſumpſerũt, quem noſtra memoria Lutherus cum diſcipulis ſuis initio ſequutus eſt, aſſerẽtes, quòd quemadmodũ in cælis, ita & in terris boni ſoli & ſancti, vel ſicut Ioannes Hus poſt Vicleffum dicere maluit, electi & prædeſtinati ad gloriam, ad eccleſiam pertineant: Mali verò & præſciti ad pœnam, ab ea excluſi ſint. Atq; hoc dogma ſuum ſcripturis confirmabãt, deprauanres eas ad ſuã ipſorũ perditionẽ. Scribit enim Paulus, quemadmodũ modò cõmemoraui, quòd Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculã, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata. Verùm hoc in futuro demũ perficietur ſeculo. Quod Auguſtinus quoq; his verbis cõfirmat. Hæc omnia prorſus hominũ mala Chriſtiani lauacri ſanctitate tolluntur, quo mũdat eccleſiam ſuam Chriſtus, vt exhibeat eam ſibi non in iſto ſeculo, ſed in futuro, non habentẽ macu-

Epheſ. 5.

Auguſt. in Enchir. in fine lib. 1.

culam,neq; rugam, aut aliquid huiusmodi. Libet aũt hîc mihi & sequẽtia mox ibi verba, quibus doctor ille sanctus istud Donatistarũ dogma refellit,recitare. Nã qui modo,inquit, eã talẽ esse dicunt,& tamen in illa sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata,si verum dicunt,profectò, quoniam mundi nõ sunt à peccatis, habet in eis ecclesia maculã: Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur,habet in eis ecclesia rugam: Si autem dicunt se habere ista,non ipsam, ergo se nõ esse membra eius,nec ad corpus eius pertinere fateantur , vt etiam sua confessione damnentur. Hæc ille de sanctitate ecclesiæ. Veruntamen etiam in hoc seculo rectè sancta dicitur,& est ecclesia,quemadmodum statim ostendam : nec propterea mali atq; præsciti ad damnationem,ab ea excludũtur: nec sanctitatem eius contaminant. Esse autẽ malos in ecclesia, falsumq́; ac erroneum dogma esse,si quis aliter sentiat,nõ modò Conciliorum canonibus, quæ id dogma damnarunt, verumetiam verbo Dei probari potest, vbi Christus regnum cælorũ(per quod nõ aliud, quàm hanc ipsam ecclesiam suam in terris vniuersalem intellexit)modò sagenæ missæ in mare,modò agro,modò nuptijs,modò decẽ virginibus,modò negociationi , modò ouili si-

Malos & præscitos esse in ecclesia.

similem facit. Ioannes etiam baptista per aream, Paulus verò per magnam domum, itidem ecclesiã intelligit: Et in veteri testamento ea per arcam Noë significatur. Nam & in arca illa fuerunt munda & immunda animalia (Quo fit, vt non grauatè nos quoq; in arca nostra omne genus animalium immundorum contineri fateamur: quam ob rem iustam se à nobis discedendi causam habuisse quidam de grege istorum erro arbitratur) Et in magna domo non modò sunt vasa aurea & argentea, verumetiam lignea & fictilia: & alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam. Et in area vsq; ad repurgationem, hoc est, ad iudicium Dei, non solũ est triticũ, sed etiam palea. In sagena quoque sunt boni & mali pisces, donec ea ad littus extrahatur, hoc est, vsq; ad consumationẽ seculi, quẽadmodũ ipse dominus interpretatur: Ibi Angeli eos separabunt. Semen etiã illud in agro satum, quod cecidit secus viam, & super petram, & inter spinas, & aliud quidẽ spinæ suffocarunt, aliud aũt sol arefecit, aliud verò volucres cœli comederunt, illos denotat, quẽadmodum ipse Christus interpretatur, qui cùm in ecclesia susceperint verbum Dei, seducti à diabolo, vel prosperis rebus dementati, aduersis ue succũbentes, non secundũ id vi-

Gen. 7.
1. Tim. 3.
Ioan. 1.
Matth. 13.
Ibidem.

viuunt, neq; fructũ afferũt. Ad nuptias quoq;, Matth. 22.
serui patrisfamilias, hoc est, apostoli, & successores eorũ cõgregarunt bonos & malos, & is, qui per fidẽ & baptismũ ad eas iam intrauerat, sed non habebat vestẽ nuptialem, (charitatem videlicet, bonorum operum parentẽ) non prius eiectus est, quàm introiret paterfamilias, vt videret discũbentes, hoc est, post obitũ cuiusq;, cùm acta ab eo vita iudicio dei examinatur. Virgines itẽ tũ demùm, vbi dormierũt, hoc est, post mortẽ, fatuęà sapiẽtibus, & non habẽtes oleũ in lãpadibus, hoc est, charitatẽ fidei coniunctã, ab habẽtibus separatæ sunt. Paulus etiam timet virgini suæ, quam Christo iam desponderat, hoc est, Corinthijs, 2. Cor. 11. qui iam erant in ecclesia, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus ipsorũ, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Electi autem & prædestinati ad gloriam, sunt extra id periculum. Serui quoque illi, quibus homo nobilis abiens in regionem longinquã, hoc est, Christus dominus transiens ex hoc mundo ad cœlos, bonorum atq; doctrinæ suæ administrationem negociationemq; commisit, omnes quidẽ sub potestate ipsius, & in domo eius, hoc est, in ecclesia erant, non omnes tamen eius voluntati obtemperarunt, nec omnes in-

Matth. 25.

Matth. 25. Luc. 19.

Matth. 25. intrarunt in gaudium eius: Verùm seruus malus & piger eiectus est in tenebras exteriores: non prius tamen, quàm dominus rediit ad ponendam cum eis rationem, hoc est, ad iudicium. Deniq; in ouili filij hominis non modò oues sunt, sed etiam hædi, qui statuentur à sinistris, & quibus dicet: Ite maledicti in ignem æternum: Nec prius eos segregabit, quàm cùm venerit in maiestate sua cum angelis suis. Vnde euidenter apparet, non solos bonos, electos, & prædestinatos ad salutem esse in hac terrestri ecclesia, verum etiam malos & præscitos ad damnationem. Postremò dominus ipse apertè dicit: Esse in regno suo, hoc est, in ecclesia, scandala, & eos qui faciũt

Matth. 13. iniquitatem, hoc est, malos & iniustos, qui in consummatione demum seculi colligentur, & in caminum ignis mittentur. Quòd si ita esset, quemadmodum hæretici isti asseuerãt, quòd soli boni & electi ad ecclesiam pertineant, inanis esset & indigna filio Dei doctri

Matth. 18. na illa apud Matthæum, vbi illum, qui in nos peccauerit, nec fuerit correctus vna atq; altera admonitione fraterna, iubet denunciari ecclesiæ. Quòd si eam non audierit, pro ethnico & publicano haberi. Certè ibi non de eo loquitur, qui sit alioqui ethnicus & Iudæus, & extra ecclesiam. Significanter enim dixit:

xit: Si peccauerit in te frater tuus: Nempe qui eundem habet patrem Deum, & eandem matrem ecclesiam. Vbi autem quæreremus, aut quibus notis agnosceremus eam ecclesiam, cui dominus denunciare iubet fratrem incorrigibilem, & quam cum tanta interminatione audiri vult, si sancti tantum & electi ad eam pertinerent? Nemo enim sine peculiari reuelatione diuina certus est de cuiusquam electione & gratia, ac ne de sua quidē quisquam, quemadmodum & Salomon scripsit: Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit. Et Paulus admonet eum, qui fide stat, in gratia Dei videlicet, ne altum sapiat, sed timeat, ne fortè Deus ipsi non parcat, qui naturalibus ramis non pepercit. Proinde falsum est & hæreticum dogma istud de ecclesia, & iam olim ab ipsa ecclesia damnatum. In cœlis demum id perficietur, vt ecclesia in nullo suo membro habeat maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata, quando mors non erit vltra, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor, quemadmodum Ioannes scribit in apocalypsi. Nunc omnis creatura ingemescit nobiscum, & parturit adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, vt inquit Paulus, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum

Eccles. 9.
Rom. 11.
Apoc. 21.
Roman. 8.

rum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Ibi omnis creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Illuc non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Ibi demum verè & perfectè erit sancta ecclesia, quando Deus erit omnia in omnibus, carne, mundo, ac satana deuictis, contra quos hostes omnibus nobis, quicunq; terrenæ huius ecclesiæ membra sumus, bellandum est: nec omnes tamen, neque semper victoriam reportamus. Imò nemo est, quemadmodum scriptum reliquit Solomon, qui dicere possit: Mundum est cor meum, liber sum à peccato. Si quis autem dicit, ipse se seducit, vt ait Ioannes, & veritas in eo non est. Nec tamen per lapsum & peccatum desinimus esse membra ecclesiæ. Nisi quis seipsum segregauerit, aut per rectores eius, quibus Christus dedit in terris potestatem ligandi & soluendi, resectus fuerit. Quæ de re postea fusius & euidentius dici poterit. Atque ita continet hæc ecclesia bonos & malos, vocatos & electos, præscitos ad damnationem, & prædestinatos ad gloriam. Neque hoc iam diffitentur Lutherani, ij præsertim, qui confessionem Augustanam sequuntur, imò & sacramentarij: nisi quòd vtrique ma-

Apoc. 21.

2. Cor. 15.

Prou. 20.

1. Ioan. 1.

Malos esse vera membra ecclesiæ.

malos & peccatores vera tamen ecclesiæ mẽbra esse negant, propterea quod viua non sint. Aiunt enim, sicut animal exanime non est verè animal, sed cadauer (quod nos pueri adhuc in scholis discebamus) ita membrum inanime, quamuis speciẽ membri retineat, non esse verum membrũ, quandoquidem nullam agendi & operandi aliquid facultatẽ habet. Sed hic quoq; eorum error est, qui facilè refelli & euerti potest, si ostendamus, talia membra habere vim agendi, & agere efficaciter in hoc ipso Christi corpore. Etenim possunt nihilominus mali & peccatores homines, quamdiu manent in ecclesia, efficaciter & vtiliter baptizare, absoluere à peccatis, eucharistiam, & alia sacramenta administrare, miracula ædere, prophetare, pro alijs orare, & alias functiones ecclesiasticas, ad quas vocati sunt, exercere. Hæc verò sunt actiones membrorum huius corporis, hoc est, ecclesiæ, quemadmodum testificatur Paulus ad Corinthios scribens, quæ sine vita, & gratia spiritus sancti non exercentur. Quod autem mali & peccatores eiusmodi functiones rectè ad vtilitatem aliorum hominũ exercere possint, & exerceant, argumento est Iudas Iscariotes, qui licet auarus & fur esset, erat tamen apostolus.

Cal. inst. li. 4. cap. 1.

1. Cor. 12.

Mali ministri ecclesiæ utiliter ministrant

Quod ex illis verbis domini deprehenditur.

Ioan. 12. Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Dicebat autem, inquit Euangelista, de Iuda Simonis Iscariote, qui erat vnus de duodecim (nimirum apostolis) & cui ex æquo cum cæteris dedit ipse potestatem eijciendi dæmonia, & curandi languores. Nec minus ad ipsum, quàm ad cæteros illa verba dicebat: Qui vos recipit, me recipit. Neq; negauit ei quicquã, quod ad functionem apostolicam pertineret. Atque ita baptizabat & ipse proculdubio, & alias apostolicas functiones exercebat. Nec erat deterius aut minus efficax baptisma eius, quàm Petri, Ioannis, aut Iacobi. Quod itidem de alijs actionibus apostolicis intelligendum est. Ne Petrus quidem apostolatum amisit eò, quod ter dominũ negauit. Neq; illis, quibus Christus dicet in iudicio: Non noui vos, Discedite à me, qui operamini iniquitatem: quicquã defuit, vel deest ad prophetandum in nomine eius, eijcienda dæmonia, & miracula edenda, quemadmodum ipse apud Matthæum prædixit: Sed quid verbis opus est? Fatentur ipsi quoq; hæretici, tales functiones ecclesiasticas à malis hominibus rectè & vtiliter exerceri. Vnde colligitur, eiusmodi homines, cùm exerceant eas actiones, quæ sine vita ex-

Iudas rectè apostolico munere functus.

Matth. 10. Mar. 6. Luc. 9.

Matth. 7.

exerceri non possunt, non penitus mortua esse membra ecclesiæ. Verum quidem est, eos interiorem vitam, quæ est charitas Dei erga nos, accendens nos ad amorem sui, & mutuum, & omnes actiones nostras, quo ad nos ipsos, & nostram ipsorum salutem, viuificans, non habere. Hinc est, quod & Paulus de vidua in delitijs viuente scribit: Quod viuēs mortua sit. AVL. Quo´nam modo idem homo viuus, & non viuus esse potest? MO. Imò docent medici, morbis quibusdam adimi homini vitam rationalem, & viuere tamen eum nihilominus vita animantium, vel stirpium dūtaxat. Nec id absurdum est, cùm triplici vita viuat homo. Quin etiam in integri & sani hominis, vel cuiusuis animantis corpore, crines seu pili, vngues, vngulæ, dentes, cornua, calla, varices, verrucæ, licet sensu motuque careāt, & nullam viui animantis actionem exerceant, non penitus tamen vita carēt, alimentumque & augmentum, & incolumitatem de corpore capiunt, ita vt non computrescant, sicut ea quæ resecta sunt, & vita prorsus carent, & nonnihil ijs, quibus adhærent, membris vel speciei, vel etiam adminiculi ad functiones ipsorum afferunt. Ita nihil aberrauerimus, si malos & peccatores quodam modo viua, & quodam modo non viua mem-

Peccatores uiui sunt & mortua membra ecclesiæ. 1. Tim. 5.

Vita hominis triplex

bra ecclesiæ esse dicamus. Est enim duplex & huius corporis Christi mystici vita: altera spiritualis & interior, qua ij modò præditi sunt, qui sunt in gratia Dei, & per charitatē in Christo manent, & Christus in ipsis: ac propterea non peccant, vt ait Ioannes, quia generatio Dei conseruat eos, & malignus non tangit eos. Altera est exterior & politica, per quā externæ actiones ad salutem, incolumitatem, & gubernationem totius corporis huius mystici, & partium eius etiam à peccatoribus, quoad ab eo præcisi non sunt, vel ipsi se non præciderunt, exercentur. Vel vnguium igitur, & cornuum, varicum, crinium, callorumque vicem si in Christi corpore peccatores obtineāt, viuunt certè quodam modò, & membra sunt eius. Quod si qui praua peccandi libidine & consuetudine corrupti, penitus obdurauerunt, & quasi putruerunt, vel aridorū duntaxat & putriū membrorum vicem obtinent in ecclesia: quæ licet nullum vitalem vigorem in se habeant, vel specie tenus tamen corporis integritatem atque decorem explent, quamdiu non sunt ab ea præcisa. Quin videre licet putres in ore hominis dentes, quamdiu hærent gingiuis & mandibulis in serie cæterorum, non modò venustati oris conferre, sed esse etiā nonnul-

Vita membrorum ecclesiæ duplex. 1. Ioan. 3.

Mali quasi sint membra ecclesiæ.

lo

lo adminiculo mandenti & loquenti. Atque ob id talia malè affecta, & mortua membra, hoc est, mali & præsciti in condemnationem, simul cũ bonis sunt in hoc corpore ecclesiæ, & sunt vera, vel numero duntaxat, licet nõ penitus viua, membra eius. Ac nihilominus sancta est ecclesia ex eiusmodi hominibus, bonis videlicet ac malis, collecta. Populũ quoq; Israël, author libri Sapientię iustum, Esaias & Moses populum sanctum appellant, licet in eo longè plures essent iniusti & impuri. Euangelista etiam Ierusalẽ, in qua habitabãt homicidæ & impij, ciuitatem sanctam vocat. Regnabat inter Corinthios viuente adhuc Paulo, discordia & contentio, fueruntque ij tumidi & incontinentes, & alijs peccatis obnoxij, ita vt eos Paulus idem grauiter increparet, minaretur q; eis: Et tamen eos sanctificatos, sanctos, & ecclesiam sanctam appellat. Itemque Colossenses, licet eos adhuc iubeat mortificare fornicationem, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam, & alia vitia. Vnde apparet, eos nondum ab ijs immunes fuisse. Quod si illæ ecclesiæ, quamuis haberent inter se peccatores, sanctæ fuerunt, igitur & vniuersa ecclesia, ex illis quasi partibus, & membris coagmentata, sancta est, quamuis non omnia membra eius acceptam san-

Ecclesia sancta est, licet malos contineat.
Sapien. 15. & 19.
Esa. 63.
Deut. 7.
Matth. 27
1. Cor. 1. 3. 4. 5.
2. Cor. 10. 11. 12. 13.
1. Cor. 1. 3.
Col. 3.

Ephes. 1. ctitatem retineant, nec rectè Paulina illa verba vsurpare possint. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Quemadmodum corpus etiam vocamus viuum, licet varices, callosa, atq; adeò arida, paralysi affecta, vel siderata, & putrida quædam membra habeat. Neq; auferunt ecclesiæ sanctitatem mali, quamuis multitudine bonos superent. Neq; enim à maiore, sed à meliore parte res quælibet nomẽ habet: Et participant autem ij quodam modo sanctitatem bonorum, quoad in communione eorum vel externa duntaxat perdurant, amissamq; & vitam & sanctitatem, pijs illorum precibus & ope adiuti, diuinitus recuperare possunt. Quemadmodum in arboribus quoque rami aridi & mortui nonnunquã vitali succo per viuum stipitem à radice irrigati reuirescunt, & vitam recipiunt. Longè autem id est expeditius & vsitatius in corpore Christi mystico: Cuius caput cùm non modò viuum, sed etiã vita ipsa sit, quos vult viuificans, nullo negocio mortua membra sua ad vitam reuocat, aliorum præsertim viuentium memborum studijs & precibus interuenientibus. Quod nisi ita fieret, frustrà pro nobis inuicem oraremus, ac diuinitus orare iuberemur: frustraq;

Mali participes sanctitatis ecclesiæ.

Ioan. 14.
Ioan. 5.

ea-

eadem dixisset veritas, Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Itaque rectissimè in symbolo statim post ecclesiam, siue adeò simul cum ecclesia, sanctorum communionem profitemur, vt certò credamus, nos, quicunque ecclesiæ membra sumus, etiam minus sanctos cum sanctis sancta omnia inter nos habere quodammodo communia. Cùm autem tanta sit vis huius communionis, etiam atque etiam cogitandũ est, quàm sit periculosum atq; exitiabile, ab ea discedere. Quod fit non modò per hæresim atque schisma, verumetiam per claues ecclesiæ, & excommunicationem. Sed ad institutum reuertamur. Igitur sancta est etiã in hoc mundo ecclesia, licet è bonis & malis coadunata. AVL. Quánam autem ratione sancta est? Nã & hoc in controuersia esse arbitror. MON. Nequaquam. Quacunq; enim notione sanctum accipias, rectè sancta dicitur, & est ecclesia Christi. Est enim per Christum ab omnibus peccatorum inquinamentis mũdata, & sanguine eius sanctificata, ita vt sit sancta & immaculata, quemadmodum dixi, licet non in omnibus membris suis: Habetq; perpetuum sanctificatorem spiritum sanctũ, qui eam per doctrinam salutarem, fidem & sacramenta à Christo domino instituta, om-

Matth 6. *Iac. 5.* *Matth. 10.* *Sanctorum communio*

Sanctitas ecclesiæ qualis.

Ephes. 5. *Hebr. 9.* *Ephes. 1.* *Act. 15.*

neméque cultum diuinum, & sancta ac bona opera continẽter purificat & sanctificat. Neque vsquam extra hanc ecclesiã & cõmunionem sanctorum, eiusmodi sanctitatẽ quisquã adipisci potest. Sancta est item, eò quod ad cultum diuinũ ex omnibus populis segregata est. Sicut in lege veteri dicuntur etiã vestes
Exo.21.30 sanctæ, & vasa sancta, diuino cultui di-
Exo.13. cata: & primogenita hominum & animalium dicuntur sanctificata. Qua ratione etiam accipiendum videtur, quod Chri-
Ioan.17. stus dicit: Et pro eis ego sanctifico meipsum. Petrus quidem apostolus Christianos eos, ad quos scribit, gentem sanctã appellat.
1.Pet.2. Additque rationẽ, inquiens: Vt virtutes annũcietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suũ. Neque enim post exortam lucẽ Euangelij acceptũ est Deo extra ecclesiã vllum sacrificium, vllus´ve cultus. In ea verò sanctus ac Deo gratus est, etiamsi per peccatores, & per errorem minus rite peragatur. Hinc est, quod Deus per Prophetam
Mal.1. statũ ecclesiæ prænuncians dicit: In omni loco (nempe quacunque diffusa est ecclesia) sibi offerri oblationem mundam. Quod quid aliud est, quàm sanctam ac Deo gratã? Huc
Luc.1. illud quoque Zachariæ vaticiniũ pertinet, de erecto nobis à Deo cornu salutis in do-

mo

mo Dauid pueri sui: Vt, inquit, sine timore de manu inimicorũ nostrorũ liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Vtramque autem hanc ecclesiæ sanctitatem Paulus complexus esse videtur, cùm scribit, Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritũ sanctũ semetipsum obtulit immaculatũ Deo, emundabit conscientiã nostram ab operibus mortuis, ad seruiendũ Deo. Cùm enim dicit, sanguine Christi nos emundari, priorẽ sanctitatis modũ exprimit. Cùm autẽ addit, ad seruiendũ Deo, alterũ significat. Quod si quis etiam de ecclesiæ sanctitate sic intelligat, quẽadmodum mœnia vrbium sancta, & leges sanctas Latini vocant, quasi inuiolabiles, nihil fortassis aberrauerit. Etenim ecclesia Christi, non super arenã, sed super firmam petrã, non humanis legibus, errori, impuritati, & variationi obnoxijs, sed vero, sancto, & immutabili inuiolabiliq; verbo Dei, sicut heri dixi, fundata & constructa est, ita vt portæ inferorum aduersus eam præualere non possint. Nec abErrauit, opinor, si quis huc Christi orationem pertinere existimet, quando pro ijs, quos dedit sibi pater, orat, vt eos sanctificet (hoc est, stabiliat) in veritate. Sic igitur de sanctitate ecclesiæ sentiendum est. Hæc

Heb. 9.

Ioan. 17.

nota

nota seiungit ecclesiã Christi, nõ modò à synagoga satanæ, & ecclesia malignantiũ, verũ etiam à ciuilibus,& quamuis honestis,profanis tamen huius mundi ecclesijs, quæ sanctitatem per sanguinem Christi, & fidem in ipsum,institutaque ab eo sacramenta, & spiritum sanctificatorem non habent,neque conferunt cuiquam:neque ad verum & sanctum veri Dei cultum ab ipso Deo segregatæ sunt.

Exod. 19. Deut. 1. Quanquam autem Israëlitica quoque gens sanctæ, & sanctorum ecclesiæ nomen olim obtinuit,quemadmodum dixi prius, ad cultum diuinum ab ipso Deo peculiariter segregatà, habuitq; ab ipso legem & cæremonias per Mosen ad emundationem & sanctificationem hominum datas, non ex ijs tamen, sed ex fide in venturum Messiam & sanctificatorem totius generis humani, quem illæ cæremoniæ repræsentabant, etiam tunc ea sanctificationem accipiebat, quemadmodum heri demonstraui.Et eam quoque accipere desijt, posteaquam sanctus ille sanctorum,ipsi promissus,venit,& ipsa eum non recepit.Quin & cultu diuino omni temporibus & locis excluſa est:quod & ipsum heri ostendi.Itaque repudiata à Deo, cùm sancta non sit,ne ecclesiæ quidem Dei nomen aut ius retinet.Hac etiam nota excluduntur ab ecclesia

Num. 20. Psal. 88. Dan. 9. Ioan. 1.

fia illi hæretici, qui licèt doctrinam Christi euangelicam de fide & sacramentis susciperent se profiterentur, & ad sanctimoniam vitæ accommodarent, non credebant tamen eum verum Deum & verum fuisse hominẽ, è corpore & anima compositum, vereq; propter salutem & sanctificationem hominum sanguinem suum & vitam profudisse, ac rediuiuum paulò pòst recepisse. Quales fuerunt, Ebionitæ, Cerinthiani, Carpocratiani, Valentiniani, Basilidiani, Marcionitæ, Samosateni, Photiniani, Cerdoniani, Apelleiani, Melchisedechiani, Manichæi, Appollinaristæ, & alij plurimi, qui vel diuinam, vel humanam in Christo naturam, veramq́ mortem & resurrectionem negarunt. Nec alieni sunt ab eiusmodi opinionibus etiam nunc Turcæ, Persæ, Tatari, & Saraceni Mahometani: itẽq; Memnonij ac Dauidici, in inferiore Germania nuper exorti. Et apud nos Trideitæ siue Trinitarij. His addamus licet Osiandrinos in Prussia, Confessionistarum testimonio. Neque enim aliter, quàm in sanguine Christi, & quidem rediuiui, Deo nos lauare, emundare, & sanctificare placuit: Neque id prẽstare purus homo, sanctitatis ipse indigus, potuit. Deus autem cùm sit spiritus, sanguinem non habet. Pelagiani quoque per hãc notam

Sanctitatẽ qui hæreticiuendicare nequeãt

Ephes. 5. Heb. 2. 9. & 13. Rom. 2. 1. Cor. 15.

ab

ab ecclesia remouentur. Qui licet nihil horum negarent, sanctificari tamen posse homine naturæ voluntatisque suæ viribus absque gratia diuina asseuerabant. Quin & illi, qui sacramentis, à Christo, vt sint instrumenta quædam efficacia sanctificandæ ecclesiæ, membrorumque eius singulorum, institutis, vim omnem & efficientiam adimunt, eaque nuda esse signa volunt. Vt sunt Sacramentarij, Caluiniani iuxta ac Zuingliani, & Picardi, ni fallor, & Anabaptistæ, & Lutherani nonnunquam, sicut ostendi nudius tertius. Remouentur etiã ijdem Lutherani & pseudeuangelici per hanc ipsam notã propterea, quòd certã ac fixam, atque ita sanctã doctrinam non habent, sed modò hoc, modò aliud aliquid, & quidem contrarium priori docent, & incertis sedibus vagabundam, neque cuiquã notam ecclesiã statuunt, doctrinamque suam non ad sanctimoniam & honestatem vitæ, sed ad libertatem, vt ipsi vocant, Euangelicam, hoc est, ad euersionẽ disciplinæ, atque licentiã accommodant: quod itidem ostendi. Atque ita omnes hi nihil habent commune cum ecclesia Christi, cùm eorum conuentus non sint sancti.

Pseudeuangelici non sunt sancta ecclesia.

Libertas pseudeuangelicorum

AVL. Statim ne autem quilibet cœtus, qui sanctimoniam doctrinæ, ac vitæ, cultusque di-

diuini, & sanctificationē per fidem & sanguinē Iesu Christi & sacramenta præ se fert, est ea Ecclesia, de qua hic loquimur, quæ columna est & firmamentum veritatis, & quam nos cùm in scripturarum sanctarū interpretatione, tum in omni doctrina audire oportet? MON. Nequaquam. Sunt enim & fuerunt in ciuitatibus, populis, & nationibus multi cœtus Christianorum, qui rectè sanctæ ecclesiæ appellati sunt & appellantur: quemadmodū vocat Paulus ecclesiā Corinthiorū, Laodicensiū, Thessalonicensiū: Lucas Antiochenā: Ioannes etiam in Apocalypsi septē ecclesiarū Asiæ mentionē facit. Nos quoque eodē exemplo Cracouiensē, Camenecensē, Plocsēem, Quinque ecclesiensē appellamus. Dicitur etiā ecclesia Anglica, Græca, Occidentalis, Orientalis. Verùm eæ sunt, vel certè esse debent partes ac membra vnius illius ecclesiæ, quæ est sponsa & corpus Christi. Ex his nulli propriè & peculiariter seruiunt illæ Dei promissiones, vt vlla earū sit colūna & firmametnū veritatis, certoq; ac perpetuò in ea Christus dominus & spiritus sanctus maneat, eāq; ita regat, vt portę inferorū aduersus eā nō prævaleāt, quicquid nugetur Caluinus. Etenim quælibet earū errare, & ab vnitate corporis, hoc est, ecclesiæ totius

Ecclesiæ particulares non habent certam promissionem certæ ueritatis.

1. Cor. 1.
Col 4.
Thes. 1.
Act. 13.
Apoc. 1.

Cal. inst. li. 4. cap. 10.

sese

sese segregare, atque ita à capite Christo domino, qui est via, veritas & vita, excidere potest. Quod quidem sæpè non modò vni alicui, sed multis etiam pariter permissu diuino vsu venit, ita vt nonnullæ ex eo casu nunquã postea recreatæ sint. Vbi enim nunc sunt clarissimæ illæ, quas dudum commemoraui, Græciæ & Asiæ, & aliæ totius orientis ecclesiæ? Nónne profanis nouitatibus & hæresibus contaminatæ, & ad extremum à barbaris & impijs tyrannis iusto Dei iudicio euersæ ac deletæ sunt? Quàm multæ autem nostra ætate per vim & impotentiam, vel fraudem, vel conniuentiam principum, temeritatem plebis, pastorumque leuitatem, aut negligentiã, aut nefariam ambitionem & insolentiam in deuios errores abreptæ & præcipitatæ sunt? Quare nulla ex his securè niti debemus, nec possumus: sed catholica tantum, hoc est, vniuersali, quam etiam in symbolo apostolorũ profitemur. Atque hæc est altera nota ecclesiæ eius, quam quærimus, quod ea non sit vnius alicuius ciuitatis, aut regionis & regni, aut nationis & linguæ, qualis sunt Israëlitica, aut vnius temporis, vnius ue aut aliquot seculorum, sed per omnes gentes, nationes, linguas, ordines, & genera hominum, & per omnia secula diffusa, & à principio vsque ad finem

Græciæ & Asiæ ruina ex hæresi.

Ecclesia catholica.

Catholicũ quid.

nem perdurans. Hoc enim sibi vult nomen catholicæ. Non est Iudæus, inquit Paulus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina: Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Hæc nota apertius, quàm proxima non modò Hebræorum synagogam, verumetiã plærosque hæreticos & schismaticos ab ecclesia Dei segregat, qui licet Euangelium ac doctrinam Christi recipere & seruare se profiteantur, & sanctitatem inde sibi vendicent, tamen vniuersi Christiani populi societatem atque communionem contemnentes, peculiaria sibi conuenticula instituunt, atq; ita à corpore Christi ecclesia catholica sese segregant: ideoque & Christum amittunt, & ex ecclesia Dei fiunt synagoga satanæ, imitãtes ipsum in eo, quod non colligunt, sed collecta dispergunt. De ijs ipse dominus apud Matthæum doctrinã nobis reliquit, ita dicens: Tunc si quis vobis dixerit, ecce hîc est Christus, aut illîc, nolite credere. Et mox: Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. En vetat nos credere singulari & angulari loci alicuius doctrinæ: nec modò ei, quæ ab vno homine, verumetiã quæ à cœtu aliquo profecta sit, & miracula edat. Sed dicit: Quod prædicabitur hoc euan- Gal. 3. Luc. 12. Matth. 24. ibidem & cap. 26.

gelium regni in toto mundo, non Vitembergæ tantùm, vel Geneuæ, vel Tubingæ, vel in Saxonia, vel in Boëmia, vel in hac mo-

Luc. 1. dò, aut illa lingua. Angelus item sanctæ matri eius, Christi inquam, prænunciauit, eum regnaturũ esse in domo Iacob, hoc est, in ecclesia sua, non tantũ apostolorũ tempore, aut per aliquot proxima secula, aut tempore Vicleffi, Husi, Lutheri, Caluini: sed in æter-

Psal. 144. num: Et regni eius non fore finem. De quo & Dauid longè antè vaticinatus est, quòd regnum eius, sit regnum omnium seculorũ. Et

Psal. 71. alibi propriè de Christo domino. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Et paulò pòst: Et adorabunt eum omnes reges terræ, om-

Psal. 2. nes gentes seruient ei. Alibi item: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos

Esa. 49. 52 terræ. In eandem sententiã Esaias quoque multis in locis, maximè verò capite 49. & 52. vaticinatur, quæ, ne sim longior, prætermitto, ac dixi quædam in eam sententiam nudius tertius. AVL. Atqui hac ratione ecclesia Christi neque nunc est catholica, neque vnquam fuit, aut dici potuit. Quàm multi enim homines, atque adeò, quàm multæ gentes &

na-

nationes per orbem terrarum sunt, & semper fuerunt, quæ vel alienæ prorsus à religione Christiana, vel per hæreses varias ac schismata præcisæ, vestro quoque iudicio ad ecclesiam Christi non pertinuere, neque pertinent? MON. Erras, si existimas ecclesiam dici catholicam propterea, quòd ea vel ex vniuersis hominibus, vel ex vniuersis gentibus & nationibus vno aliquo tempore coagmentata sit. AVL. Cur igitur? MON. Quoniam ab ea neque gens vlla vel natio, neque vllum genus hominum, conditióue vlla excluditur, ac diffundi ea per vniuersum orbem terrarum, & per omnia tempora debuit. Nec tamen vbique vno & eodem tempore id fieri necesse est. Dicitur etiam Catholica, eò quòd catholica & consentiente per omnia loca ac tempora fide doctrinaq; fundata est. Atq; hinc etiam vnaquæq; loci cuiusuis particularis ecclesia, catholica: & homo quilibet, catholicus rectè dicitur, qui in catholica ecclesia permanens, catholicam fidem amplectitur. AVL. Quid? Tempore apostolorum & nascentis Christianismi, cùm in sola Iudæa vel Palestina, & Syria notus esset Christus, poterat ne rectè dici ecclesia catholica, & fides catholica? MON. Maximè. Quicunque enim facti

Catholica cur dicatur ecclesia.

Catholicus quis.

Catholica etiam tempore apostolorum ecclesia.

erant Christiani, idem sentiebant, in eadem
Phil. 3. regula permanebant, nec se per contentionē
ab vnitate segregabant. Neque enim aliud
docebat Petrus, quàm Ioannes : Nec aliud
Mathias aut Paulus, aut eius discipuli Timo-
theus ac Titus, quàm cæteri apostoli. Nec
ij dem aliud hodie, cras aliud : Quod nouis
istis Euangelistis non nouum est. Nec aliud
1. Pet. 2. sequebātur Hierosolymitani, aliud Samari-
tani, aliud Damasceni, aliud Antiocheni, a-
liud aduenæ dispersionis Ponti, Galatiæ, Ca-
padociæ, Asiæ, & Bithyniæ, ad quos scripsit
Petrus: aliud Romani, Corinthij, Galathæ,
Thessalonicenses, ad quos Paulus : Sed om-
nis multitudinis credentium, vt verè scribit
Act. 4. Lucas, erat cor vnum & anima vna. Et iam au
Mar. 16. tem à domino præceptum acceperant aposto
Matth. 28 li, vt irent in orbem vniuersum, & prædicarēt
Psal. 18. omni creaturæ. Cui præcepto primùm qui
dem votis parebāt, mox etiam re ipsa in om-
nem terram exiuit sonus eorum, & in fines
orbis terræ verba eorum. Sic igitur etiā tunc
erat catholica ecclesia, licet minus latè pate-
ret, neque omnes mundi partes complecte-
retur: Erat & fides catholica, quam nisi quis
Atha. in fideliter firmiterque crediderit, vt ait Atha-
symb. nasius, saluus esse non poterit. Cæterùm vbi
in conuentum aliquē hominum Christi fidē
pro-

profitentium, à cæteris autem vel eiusdem, vel superiorum temporum & seculorum ecclesijs in aliquo dogmate dissidẽtium, & segregantiũ sese per contumaciã & contentionem incideris, certũ habeto, non esse eã verã Christi Ecclesiã, quamuis Christum & euangelium iactet, & omnem sanctitatem præ se ferat. Proinde Phrygastæ siue Cathaphryges, quamuis veram Christi ecclesiam se esse iactarent, nec esset exigua ea hominum multitudo, vtpote totam ferè Phrygiam, à qua & nomen accepit, aliasque item gentes quodã tempore complexa, nec deesset ei sanctitatis per Christum, fidemque & sacramenta quæsitæ, & in cultu diuino moribusque & institutis elucentis opinio, non erant tamen vera Christi ecclesia, quoniam disiungebant se ab vniuersa siue catholica cæterorum Christianorum populorum, nec modò illius, verum etiam superiorum temporum ecclesia, & cùm de spiritu sancto & secundis nuptijs, tum alijs quibusdam de rebus ad fidem & religionem Christianam pertinentibus præfractè diuersum sentiebant, Montani doctrinam secuti. *Cataphryges non catholicæ.*

Iam Donatistarum secta Africæ, quæ tertia mundi pars est, & supra quadringentos episcopos aliquando habuit, maximam partem peruaserat, & per multos annos durauit, ma- *Donatistæ*

gna contentione propugnata. Et cùm in cæteris omnibus, aut plerisque duntaxat, fidem catholicam teneret, propter contentiosam episcopi Carthaginensis electionem à cęterorũ Christianorũ populorum societate, hoc est, à catholica ecclesia prætextu retinendæ sanctitatis, & vitandæ idololatricæ contagionis sese abrupit. Nam rebaptizandorum eorum, qui ab impuris & hæreticis baptizati essent, dogma, neque statim, neque vuersè suscepit. Vel hoc igitur solo nomine non erat ea vera Christi ecclesia, quãuis id sibi maximè vendicaret, quia catholicę ecclesiæ, cùm per illa ipsa, tũ per alia multa totius orbis terrarum loca nõ modò tunc, sed etiã cunctis superioribus temporibus diffusæ atque consentientis, societatem & communicationẽ deserebat: Eoque potissimũ argumẽto à D. Augustino, alijsque sanctis patribus oppugnata, refutata, ac deleta est. Quid Ariana, Nestoriana, Eutychiana Monothelitica hæreses? An non singulæ Christi ecclesiæ nomen vsurparunt? Num autem potuerunt vel ausæ sunt eæ conuentibus ac dogmatibus suis vniuersitatis itidem atque sanctitatis notam in speciem duntaxat vendicare? Erant eę quidem & locis & temporibus longè lateque propagatæ. Ariana sanè plurimas ecclesias cũ pa-

Ariani.
Nestoriani
Eutychiani.
Monotheliteę.

pastoribus ac prę̃sidibus ipsarum peruaserat, durauitq́; supra ducẽtos, nec scio an totos trẽ centos annos. Sed cùm hæc, tũ illæ aliæ à suis authoribus multò post exortam religionem Christianam sumpsere originem, & præciderunt se à consensu & communitate reliqui populi Christiani, hoc est, à catholica superiorũ temporum ecclesia per apostolos fundata: Quæ quamuis ad paucitatẽ tunc redacta, retinebat tamen & custodiebat doctrinæ depositum id, quod vna cum illis i pśis defectoribus, vel parentibus, vel maioribus eorum iam inde ab initio quasi per manus traditum acceperat. Proinde nulla earum fuit catholica, neque pars catholicæ, atque ideo ne Christi quidem ecclesia. Iam verò Aerij, Iouiniani, & Vigilantij doctrina de ieiunijs, festis diebus, inuocatione sanctorum, qui ex hoc seculo decesserunt, & reliquijs eorum, ac de non orando pro mortuis, ante mille ducẽtos annos exorta erat, quemadmodũ etiã nudius tertius dixi, & per complura loca peruagata: cumq́; paulò pòst interquieuisset, ante quadringentos annos in Burgundia & Gallia resuscitata est. Et cùm ibi quoq; non diu durasset, nostro tempore à Luthero ac discipulis eius in Saxonia renouata est. Huius doctrinæ sectatores volunt & ipsi

Aerius. *Iouinianus.* *Vigilãtius.* *Lutherani*

haberi pro ecclesia Dei, ac nos, qui iam inde ab initio secus sentimus, ab ea excludere conantur, & Antichristos ac idololatras appellant. Verùm quamlibet vetus ea secta sit, & per multos populos peruaserit, non potest tamen ea dici ecclesia catholica. Nam neque ab initio nascentis fidei exorta est, neq; per omnes Christianos populos recepta, neque perpetuò durauit, vbi erat recepta. Quin etiã nunc post Lutheri interitum ea diuisa est in plures factiones: quarum quælibet se veram ecclesiam esse asseuerat, reliquas autem omnes ab ea remouet, etiam cum anathemate. Nulla certè catholicam se dicere potest. Audent quidem Hesshusius & alij nonnulli pusillis, & post mortem Lutheri, vel certè cum eo exortis gregibus suis id nomen arrogare: Sed perquàm impudenter. Ipsa quidem rei euidentia, & numero temporibusque diuersum sentientium manifestè redarguuntur.

Zuingliani Iam Zuingliani, siue Caluiniani, siue sacramentarij, quàm rectè catholicæ ecclesiæ nomine gloriari possunt? Qui & ipsi nuperà nobis & vniuersorum Christianorum populorum cõsensu discedentes, exorti sunt. Quod si ad Be-

Berengarius. rengarium originem suam referre volunt, certè ille quoque non multò minus mille annis post Christũ & apostolos extitit, & in angulo

gulo quodam terræ extitit, nec vllã ferè post se posteritatem reliquit, quæ vel particularis, nedum catholicæ ecclesiæ nomen vsurpare posset, vel auderet. Et ipse autem dogma illud suum damnauit, ac retractauit. Mitto Anabaptistas, Picardos, Suencfeldianos, Osiãdrinos, Trideitas, & alias eiusdemmodi pestes, quæ paucitate gloriantur, quemadmodũ & protestantes, omnesq; isti pseudeuangelici initio gloriati sunt: Tantum abest, vt catholicæ ecclesiæ nomen sumere sibi audeant. Quin omnes ij, quoties ecclesiæ mentionem faciunt, suas ecclesias, vel Dei tantum, siue Christi ecclesiam dicunt, catholicam omittentes, quam omnes in vniuersum Christiani populi iam inde à temporibus apostolorum profitentur. Imò censet Lutherus, conciliorum & scripturarum sacrarum ac totius Christi ecclesię Aristarchus, rectè prætermitti posse in symbolo nomen Catholicæ: & Christianam ipse, quàm Catholicam dicere maluit. Brentius verò perquàm scurriliter impostoribus, hypocritis, idololatris, adulteris hoc nomen tribuit. Quia, inquit, in cœtu humani generis nihil est vniuersalius & generalius, magisq; catholicum. Ita istis non satis est res nouare, nisi nouent etiam rerum vocabula. Quod dum faciunt, tantum non illud clausis

Anabaptistæ.
Picardi.
Suencfeldiani.
Osiandrini
Protestantes.
Lutherus contra Ambros. Catharin.
Brentius in Proleg.

oculis dicere videntur. Ecce nos, qui in nomine Christi venimus, ac verbum & ecclesiam Dei gloriabundi iactamus, non ibi vobis Christum demonstramus, vbi est, & fuit ab initio, hoc est, in regno suo, quod per totum orbem terrarũ, & per omnia secula peruasurum erat, siue in ecclesia catholica: sed in angulo Vitembergæ, vel Tubingæ, vel Geneuæ, vel Pinciouiæ: vbi vix ante triginta vel viginti annos extitit. Sed nos, dicto ac præcepto Christi audientes, non debemus eis credere, neque vsquam exire ex ecclesia catholica, quæ sola vera est Christi ecclesia, columna & firmamentum veritatis. AVL. At iam isti quoque pseudeuangelici, Lutherani siue protestantes præsertim, & Sacramentarij siue Caluiniani, numero & multitudine sua freti, catholicæ nomen vsurpant. Idemq; faciunt Græci: quos nos tamen pro hæreticis non habemus, ni fallor. Magnã aũt orbis terrarum partem, multaq; siue adeò omnia, quemadmodum ipsi volunt, secula iam inde ab apostolorum temporibus consensu religionis atque doctrinæ, rituumq; ij complexi sunt. Et audiui nonnunquam à theologis, nos occidentalem, ipsos verò orientalem ecclesiam appellari. MON. De pseudeuangelicis istis Lutheranis & Caluinianis iam dixi,

ac demonstraui nudius tertius, quam libet abundent multitudine, non posse eos verè & iustè catholicæ ecclesiæ nomen vsurpare: De Græcis dicam etiam suo loco. Nunc illud accipe: Catholicam, hoc est, vniuersalem ecclesiam non nisi vnam esse posse. Siue enim Latinum nomen spectes, ab vno vniuersale, siue græcum, ἀπὸ τοῦ ὅλου, hoc est, à toto, Catholicum dicitur. Totum autem nihil esse potest, nisi idem vnum sit. Sicut igitur Catholicam, sic vnam quoque esse oportet veram Christi ecclesiam. Atque hæc est tertia eius nota, à Constantinopolitana, quẽadmodum dixi, synodo superioribus duabus adiecta, ne quis sanctitatis aut vniuersitatis specie fallatur. Ac vnam quidem futuram fuisse ecclesiam Christi, iam olim per arcam Noë, extra quam nemo in diluuio seruatus est, significatum fuit. Itemque per vnam domum, in qua iussit Deus agnum paschalem edi, nec efferri de carnibus eius foras. Per illam item Raab meretricis Hierichuntinæ domum, in qua qui non fuerit, peribit, & sanguis ipsius erit in caput eius, decreto Iosue ducis Hebræorum, Iesu Christi ducis ac seruatoris omnium populotũ typum gerentis. Hæc est illa Christi tunica inconsulitis, quæ non scinditur, neque rumpitur, quemadmodum

Ecclesia una.
Gẽ. 6. et 7.
Exod. 12.
Iosue 6.
Ioan. 19.

Cypr. de sin. præl. seu de unit. eccleſiæ. dum etiam D. Cyprianus interpretatur. Hoc eſt vnum illud ouile, per Chriſtum ex Hebræis & ethnicis congregatum, in quo quiſquis non eſt, non eſt ex ouibus eius, neq; eũ agnoſcet vnus ille & bonus paſtor. Hæc eſt vnica ſponſa ſponſi illius, de quo Ioãnes Baptiſta Iudæis prædicauit, & vxor agni immaculati Chriſti domini, qui tollit peccata mundi: De qua etiam Solomon cecinit in canticis canticorum: Hæc eſt ciuitas ſancta, Ieruſalem noua, quam vidit Ioannes in Apocalypſi deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Vnica columba, perfecta, vnica matri ſuæ, quemadmodum ipſe dominus in perſona Solomonis de ea cecinit: quæ vnum corpus eſt cum ſponſo ſuo, ſicut ſcribit Paulus, & vna caro. Erunt, inquit, duo in carne vna. Sacramentum hoc magnũ eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia. Repræſentabatur etiam hæc vnitas eccleſiæ per illud, quòd ſpiritus ſanctus apoſtolis non huc atq; illuc diſperſis, ſed in vna domo congregatis die pentecoſtes miſſus eſt. Poſtremò in ſymbolo apoſtolico non eccleſias, ſed eccleſiam nos credere profitemur. Ipſe etiam Chriſtus, quoties de ea loquitur, tanquam de vna, non de pluribus loquitur: Et quidem nõ ſine articulo, quemadmodum græcè prodi-

Ioan. 1.
Apoc. 21.
Cant. 6.
Epheſ. 5.
Act. 2.
Matth. 16. & 18.

de-

derunt apostoli, ne quis hanc, vel illam, vel aliquam incertam, quod facit Melanchton, intelligat. Idem Christus etiã Deum patrem rogat pro ijs, qui in ipsum crediturí sunt, vt sint vnum. In quo exauditus est proculdubio. Quod quidem ex actis apostolorum constat, vbi Lucas scribit, quòd multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Planum est igitur, vnam esse ecclesiam Dei, de qua nobis hîc est sermo. Tametsi fit etiam nonnunquam in sacris literis mentio plurium ecclesiarum. Verùm illæ, partes & membra sunt vnius ecclesiæ, ac tamdiu retinent nomen ecclesiæ Dei, quamdiu sese ab vna sancta catholica & apostolica ecclesia non segregant, sicut & in animali partes sanguinis sanguis sunt, & partes carnis caro, & manus, pedesq; partes hominis, tantisper quidem, dum à toto non separantur. Separatæ verò non verè, sed æquiuocè, vt verbo logicorũ vtar, dicũtur id, quod fuerunt, & partes hominis, siue alius cuiuspiam animalis. De hac vnitate ecclesiæ sic scribit sanctus martyr Cyprianus: Hanc ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiæ renititur & resistit, in ecclesia se esse confidit? Quasi diceret, vehementer fallitur. Et paulò pòst: Quisquis ab ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à

Ioan. 17.

Act. 4.

Ecclesiæ multæ.

Cyp. de unitate ecclesiæ siue de simplicit. præl.

pro-

promissis ecclesiæ separatur: Nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit ecclesiã Christi: Alienus est: profanus est: hostis est: Habere iam non potest Deum patrẽ, qui ecclesiam non habet matrem. Et paucis interiectis: Hanc vnitatem qui non tenet, legẽ Dei non tenet: non tenet patris & filij fidem: vitã non tenet & salutem. Et mox: Stare tu & viuere putas posse de ecclesia recedentem? Tãta igitur vnitatis huius vis est, vt quisquis eam non retinet, ne fidem quidem retineat, nec ad promissa & præmia Christi pertineat: Hoc est, nec sit Christianus omnino, nec Deum patrem habeat, nec vitam denique & salutem adipisci queat. AVL. Vnam esse ecclesiam extra controuersiam est: Sed quãnam in re isthæc vnitas eius sita est? MON. Aiunt Hussitæ, Vicleffistæ, Picardi, Rogatiani, Montenses, ac Donatistæ, quòd gratia Dei iustificans & sanctificans homines adunat, atq; vnam facit ecclesiam Dei. Indeque asseuerant, solos iustos & sanctos ad eam pertinere. Sed hoc falsum & erroneum esse, superius demõstraui. Et reiecerunt iam Lutherani & Caluiniani hoc dogma, quod & ipsi cũ magistris suis amplecti initio visi sunt. Imò & Picardi variant, & interdum simul nobiscum affirmant, malos iuxta ac bonos, præ-

Ecclesiam non gratia Dei facit unam.

Lutheranorũ error

Picard. Confess.

præscitos ac prædestinatos esse in ecclesia. Esset quidem conuenientissimum, vt ecclesia hæc terrestris, sicut & cœlestis, à Deo ad perfruendam eius bonitatem, gloriamque eius celebrandam condita, summa charitate cum Deo & secum ipsa coadunaretur, ita vt rectè de ea dici posset illud: Credentium autem erat cor vnum & anima vna: Et sicut vnum est corpus, vno etiam spiritu charitatis omnia eius membra vegetarentur: Verùm hoc in futuro demum seculo perfectè fiet, quando Deus erit omnia in omnibus. In hac vita cùm sint boni ac mali in ecclesia, non facilis est inter eos consensus: Ac nè cum diuina quidem voluntate penitus consentiunt. Edixit enim Deus: Sancti eritis, quoniã ego sanctus sum, dominus Deus vester. Nos verò mortales tantum absumus à sanctitate, vt quotidie necesse habeamus orare: Dimitte nobis debita nostra. Omnes enim declinauerunt, inquit Dauid, simul inutiles facti sunt: Non est, qui faciat bonum, non est vsq; ad vnũ. Quę cùm ita sint, nó potest esse perfecta illa vnitas in ecclesia hac militante, qualis est in triumphante, vbi Deus est omnia in omnibus. Lutheranis & Caluino, & pseudeuãgelicis istis omnibus satis esse videtur ad vnitatem ecclesiæ, si consensus

1. Cor. 15.

Matth. 6.

Psal. 13.

Cal. instit. lib. 4.

in

Ecclesiam an solus consensus in doctrina & sacramentis unã faciat. Ephes. 4.

in doctrina euangelij, & vsu sacramentorum retineatur. Idq́; confirmant Paulino illo dicto: Vna fides, vnum baptisma, vbi per vnam fidem, consentientem doctrinam fidei, per vnum baptisma, consentientem vsum sacramentorum intelligunt. Et id quidem nõ male, vt mihi videtur, nisi quòd fraudem in eo tamen occultant, & sibi non constant. Vtrũque enim ad scripturam sacram tantum coarctant, nihil aliud intelligentes per fidem, doctrinamque euangelij, quàm id, quod ab euãgelistis & apostolis de fide in Christum scriptis mandatum est, idque secundum suam ipsorum interpretationem. Per baptisma itẽ, & vsum sacramentorum nihil aliud, quàm quod in ijsdem scriptis euangelicis & apostolicis de baptismo & eucharistia siue cœna domini (nonnunquam pœnitentiam quoque addunt) disertè & apertè continetur: satis esse dictitãtes, si in his rebus, vt sunt perscriptæ ab apostolis & euangelistis, consensus & vnitas retineatur. Licet enim in omnibus alijs, à consensu & vnitate temerè quis segreget semetipsum, & secus quàm cæteri omnes credat, sentiat, & agat, non esse tamen eum ab vnitate ecclesiæ segregatum. Sed iam heri demonstratum est, multa, quæ sacris literis prodita non sunt, nobis credenda & seruanda esse,

se, si salui esse velimus, & à corpore Christi ecclesia, præcidi nolimus. Et sunt autẽ præter doctrinam fidei, & sacramenta vsumque eorum, alia quoque sacris literis prodita, quę nihilominus seruanda sunt homini Christiano, qui societatem & vnitatem ecclesiæ tenere velit. Qualis, exempli causa, est disciplina exterior ad mores pertinens. In qua qui non audierit ecclesiam, eum pro ethnico & publicano, hoc est, segregato & alieno ab ecclesia haberi à nobis vult ipse Christus. Paulus quoque eum, qui nouercam duxerat, eiecit ex ecclesia, quãdo Satanę eum tradidit: Quãuis vtrunque hoc neque ad doctrinam fidei, neque ad vsum sacramentorum pertineat.

Scriptura non solum fidem & sacramenta continet.

Matth. 18.

1. Cor. 5.

AVL. Verùm doctrina euangelij tamen hæc quoque continentur. MON. At hac ipsa doctrina, sacramentorum quoq; vsus (vel istorũ ipsorum sententia) continetur. Cur igitur inepte & inconuenienter hunc ab illa distinguunt? Nos verò & Paulum rectè baptisma, hoc est, sacramenta à fide distinxisse, & vtrũque doctrina euangelij comprehendi aimus, & his tamen duabus rebus solis vnitatem ecclesiæ contineri negamus. Non enim illas solas doctrina euangelij complectitur: Sed cultum quoque Dei, & mores & officia vitæ, & horum fontes, spem & charitatem. Neq; vr-

Euangelium quæ complectatur.

Vna fides, unum baptisma quo modo intelligendum.

gent nos illa Pauli verba: Vna fides, vnum baptisma. Primùm quia per ea non modum, sed causam vnitatis & concordiæ ille voluit explicare. Non enim sic ea scribit, quasi in his rebus velit seruare ab Ephesijs vnitatem spiritus in vinculo pacis: Sed quibuscunq; tandem in rebus ea sita sit, propterea seruari eam oportere, quoniam vna sit fides omniũ, & vnum baptisma. Non solum autem illa, sed vnus etiam dominus, & vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Atque hæc omnia pertinẽt ad demonstrandam illam consociationem, qua per vnum dominum & patrem, vnam fidem, & vnum baptisma in vnum corpus omnes coaluimus, tamque multa & eximia habemus inter nos communia. Quæ iusta esse debet causa summæ inter nos concordiæ, & vnitatis spiritus in vinculo pacis conseruandæ: qualis est inter ciues vnius reipub. eorundem mysteriorum participes, conseruos, fratres, denique inter membra vnius corporis, quæ vno spiritu vegetantur, summam inter se seruantia concordiam. Deinde si quis pertinacius contendat, explicari verbis illis Paulinis ea, in quibus consentire Christianos inter se satis sit, non magnopere cum eo pugnabo, modò is animaduertat,

tat, non tantum vnã fidem, & vnũ baptiſma, verumetiam vnum dominũ, & vnum deũ ac patrem omnium ibi à Paulo commemorari. Quibus verbis vniuerſæ eccleſiaſticæ politiæ conſenſus & vnitas ab vno Chriſto domino profecta, & per apoſtolos eius nobis prodita, & ab vno deo & patre omniũ noſtrũ depẽdens ſignificatur, ita vt nõ minus ea requiratur in Chriſtianis, q̃ fidei ac baptiſmatis vnitas. Atq; hæc omnia vna euãgelij doctrina cõtinẽtur: cuius cõſenſu Philippus quoq; Melanchtõ Picardos ſecutus, nonnunquã cõtentus eſſe videtur in vnitate eccleſiæ definiẽda. Rectè ſanè, ſi doctrinam euangelij nõ ad ſolas ſcripturas ſacras adſtringat. Quod ſi quis aliter de doctrina euangelij, ac de vnitate eccleſiæ ſentiat, conſectarium eſt, vt dicat eſſe in eccleſia omnes excommunicatos & ſchiſmaticos, ac propè omnes hæreticos, qui ab ea præciſi ſunt, vel ipſi ſegregarunt ſemetipſos. Nec ego nunc loquor de ijs hęreticis, qui libros quoſdã ſacrę ſcripturę, receptos ab eccleſia, reijciunt, aut addendo, demẽdo & mutando corrumpunt, & adulterant: aut qui alias quaſdam ſcripturas, ab eccleſia catholica non receptas, recipiunt. Neque etiam de illis, qui recepta antiquitus è doctrina apoſtolica ſacramenta, & in vniuerſa eccleſia vſi-

Melanch. in loc. com. de eccleſia. Picardor. Confeſſ.

Hæretici ſecundum pſeudeuangelicos in eccleſia ſunt.

tata, aut vsum eorum per multa secula seruatum abrogant, & noua quæpiam ac inusitata, vel eorum, quæ recepta & vsitata sunt, nouum vsum comminiscuntur. Quos vtrosque Lutherani & pseudeuangelici isti secundum illud dogma suum de vnitate ecclesię, nobiscum pariter pro schismaticis duntaxat, & segregatis ab vnitate ecclesiæ ducere necesse habent, quamuis ipsi eodem luto hæreant, cùm sacramenta quædam, atque adeò propemodum omnia antiquitus per orbem Christianum vniuersum authoritate verbi Dei recepta & vsitata reprobantes, tũ libros quosdam, qui in canone sacræ scripturæ sunt, antiquitus, reijcientes. Non de ijs inquam loquor, verùm de ijs, qui cùm neq; in recipiendis vel reijciendis scripturis, neque in sacramentis & vsu eorum ab vniuersa ecclesia dissideant, nouas tamen & singulares scripturarum interpretationes afferũt, aut ea, quę scripturis quidem disertè expressa non sunt, ab vniuerso tamen populo Christiano, velut ab apostolis vel ab ecclesia tradita siue constituta, seruantur & credũtur, exagitant, noua dogmata de Deo & cultu eius, & ratione salutis nostræ, deque politia Christiana statuentes, & quidem plerique scripturarum præsidio. Quales fuêre Samosateni, Sabelliani, Photinia-

niani, Ariani, Eunomiani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani, Monothelitæ, Apollinaristæ, Chiliaſtæ, Origeniſtæ, Heluidiani, Pelagiani, Donatiſtæ, ac multi alij: quos vniuerſa Chriſti eccleſia pro ſuis non habet, ſed pro alienis & ſegregatis ſemper habuit, habetq;. Hi omnes ſecundum iſtud dogma Lutheranum retinerent vnitatem eccleſiæ, nec eſſent hæretici aut ſchiſmatici, eò quòd in doctrina euangelij ſeu fidei, & vſu ſacramentorũ (quatenus vtrunq; expreſsis ſacræ ſcripturæ verbis proditum eſt) ab ea non diſſentiant. Atq; ita eccleſia non eſſet eccleſia & ciuitas Dei, ſed Babylon quædam confuſa & expers ordinis & cõcordię. Qualẽ videre licet apud iſtos euangelicos. Qui cum gladiatorijs animis inter ſe conflictentur non de rebus parui momenti, &, vt ipſi loquuntur, adiaphoris, verùm de ipſis capitibus doctrinæ euangelicæ, atque Sacramentorum non dico vſu, ſed ipſa ſubſtantia, quemadmodum oſtendi nudiuſtertius, ſeque inuicem pro impijs & hæreticis damnent, nonnunquam tamen vnam ex huiuſmodi monſtris eccleſiam conflare nituntur. Quid enim? cùm quæritur, ſit´ne homo Chriſtianus libero præditus arbitrio, an non ſit, de lana caprina diſceptatur, an de eo, in quo cardo religionis Chriſtianæ verſari vi-

detur? Et tamẽ cõtendunt isti, nõ rũpi ea cõtẽtione vnitatẽ eccleſiæ: Nec minus in ea eſſe Illyricũ, qui cũ Luthero & Caluino negat, q̃ Melanchtonẽ, qui ait. Et hũc ipsũ aũt nõ minus modò cùm ait, q̃ olim cùm negabat. Tametſi nõ accipiũt conditionẽ fortis Illyricus, & Gallus. Quin audẽt ij pręceptorẽ ſuũ ſectatoresq; eius ab eccleſia alienos pronunciare: Sed ipſi interim ab omnibus ferè proteſtantiũ ſuorũ eccleſijs ac ciuitatibus exulãt. Iã in Euchariſtia eſſe corpus Chriſti, vel non eſſe, nónne de ſacramẽto, & verbis Chriſti, doctrinaq; euãgelij cõtrouerſia eſt? pro qua tanquã pro aris & focis dimicauit Lutherus cũ Carolſtadio, Zuinglio, & Oecolãpadio, & dimicãt etiamnũ Veſtphalus, Illyricus idẽ, & Gallus, & multi alij rigidiores Lutherani cũ Caluino & Laſco. Et tamen iſti, Academici verius quàm Euãgelici, nõ exiſtimãt rũpi hac dimicatione vnitatẽ eccleſiæ, & ex æquo orthodoxos eſſe volunt Lutherũ, Zuingliũ, Melanchtonem, & Caluinũ. Cur autẽ ijdẽ rumpi vnitatẽ exiſtimãt ab Anabaptiſtis, Seruetianis, ſiue Trideitis, Stãcarianis, & Suencfeldianis? eosq; velut turbulẽtos, & hæreticos, & impios ſecũ à nobis coniungi moleſtè ferũt? An hi cũ ipſis de ſcripturarum canone ac doctrina Euangelij, de numero & vſu ſacramentorũ, addã etiam

Proteſtantium præpoſterũ iudicium de alijs hæreticis.

in

in turbandis rebus publicis non consentiũt? Quibus nam autẽ de rebus dissentiũt? Nónne de ijs ferè, quæ ad doctrinam Euangelij, quemadmodum ipsi doctrinã euãgelij accipiunt, non pertinent, ac de quibus in scripturis sacris nihil disertè expressũ est? Seruetiani quidẽ ac Trideitæ de diuina filij Dei natura atq; dignatione, & nescio quo deo essẽtiato: Anabaptistæ verò de baptismo paruulorũ, & rebaptizatione eorũ, qui antequam credere possent, baptizati sunt: de iuramentis & iudicijs: de diuortijs inter coniuges diuersarũ sectarũ: de diuisione rerũ: de magistratibus ciuilibus: atq; de regno Christi terreno post deletos impios, quẽadmodũ testatur Philippus Melanchton. Adde si lubet, etiã de eo, quod spiritus sanctus detur, & efficax sit sine verbo Dei. Sic alij itẽ de alijs dissentiũt, quæ isti eorũ aduersarij sacris literis definita esse demõstrare (quãlibet elaborẽt in eo) nequeunt: illi verò pro se etiã eas facere ostendunt. Iniustè igitur boni isti euãgelici & protestãtes cõtra sua ipsorũ decreta faciũt, qui eos quidẽ, qui de doctrina euãgelij, vsuq; sacramentorũ à se dissentiunt, Sacramẽtarios inquã, in societatẽ & vnitatem ecclesiæ admittunt, eos verò, quorum causa diuersa est, ab ea excludunt. Quod contra factum oportuit. Iniustius

Anabaptistarũ dogmata.

Philip. in locis de baptismo.

Sacramentariorum mores.

etiam ijdem Picardos siue Valdenses, cum Anabaptistis ferè consentientes, recipiunt. Nisi fortè Anabaptistas quidem, & Seruetianos, & Stancarianos, & Suencfeldianos propter paucitatem & ignauiam contemnunt: illos verò, quos turbulentos esse sciunt, & ingenijs pollere vident ac viribus, quorumq; ope multum se proficere posse existimant in oppugnando & euertendo, sicut ipsi loquuntur, papatu, alienare à se, & inimicos capere nolunt. Quod quidem non obscurè nuper præ se tulerunt, cùm ad colloquiũ cum catholicis constitutum, Vormatiam proficiscentes, quodá loco conuenissent: quemadmodum à nónullis ex eo ipso grege paulò pòst Vormatiæ patefactum est. Quid igitur impedit, quominus ij coniuratione contra veram ecclesiam, vel, si malunt, contra papatum, potiùs quàm consensu de doctrina Euangelij, ac de vsu sacramentorum vniri ecclesiam suam, nihil dissimulando, affirment, & omnia hæreticorum monstra in eam recipiant? Omnes quidẽ istæ vulpes, sicuti prius dixi, quamuis capitibus ac dogmatibus diuersæ, caudis, hoc est, odio papatus inter se colligatæ sunt. AVL. Quid? inter nos catholicos, nullæne sunt dissensiones? Atque eæ tamen salua vnitate ecclesiæ tolerantur. Quàm multæ sunt, & quàm diuer

1557.

Consensus Pseudeuangelicorum

sæ

sæ inter se monachorum religiosorumq; sectæ, nominibus, vestitu, & institutis vitę distinctæ? Quàm de multis autem pugnant inter se Thomistæ & Scotistæ, & qui vocantur nominales & reales? An autem idem semper sentiunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus? MON. Ridiculum. Quid simile habent horum, atque istorum euangelicorum inter ipsos controuersiæ? Ecquod vsquam est inter hos de dogmatibus fidei ac de sacramentis, aut ijs omnino de rebus, quæ definitæ sunt verbo Dei, seu decretis & canonibus moribusque ecclesiæ, dissensio? Profer aliquid eiusmodi, & viceris. Quid simile vnquam proferre potuit festiuus, & sagax ac diligens in conquirendis & confingendis aduersus nos probris veterator Vergerius, aut Brētius, aut Hesshusius, aut Illyricus, aut quisquam omnino istorum, qui credulitate imperitæ multitudinis & iuuentutis plus satis abutuntur, & impudentissimè multa comminiscuntur? Scilicet perinde istis est disceptare: sit´ne, an non sit causa peccati Deus: sit´ne præsens caro & sanguis Christi in Eucharistia, an merus panis & vinum: Ac, nigra´ne an candida, an cæsia, an ruffa veste atq; cuculla quis vtatur: Aut, sine peccatóne mater Christi Maria concepta sit, an in vtero matris sanctifica-

Dissidia catholicorū inter ipsos qualia.

cata: aut vere ne Petrum Paulus reprehendit Antiochiæ, an simulatè seu dispẽsatiuè. Hæc quidẽ, etiãsi maioris esset momẽti, tamẽ neque verbo dei, neq; ecclesię decretis definita tũc erãt in vtrãuis partẽ, cũ de eis disceptaretur à doctis & pijs viris. Illa verò, quæ inter istos cõtrouersa sunt, indubitata semper fuerũt in vniuersa Christi ecclesia, & quidem ex verbo Dei. Dicit enim spiritus sanctus per os Dauidis: Non Deus volẽs iniquitatẽ tu es. Et Christus dominus: Accipite, comedite, hoc est corpus meũ, Addit Lucas: quod pro vobis datur, Et bibite ex hoc oẽs. Hic est enim sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effũditur in remissionẽ peccatorũ. Nónne aũt in altero quidem horum de doctrina euãgelij, in altero verò cùm de ea ipsa, tũ de sacramẽti non vsu, sed substãtia dissensus est? Antiquitus summo Christianorum populorum consensu pro hæreticis habiti sunt & habentur Florinus, atq; Blastus, & Berẽgarius, quòd diuersum sentirent: hic quidem ante sexcentos annos de Eucharistia, illi verò D. Irenæi tẽpore de causa mali siue peccati, quemadmodũ testatur Eusebius. Talẽ igitur isti pseudeuãgelici nobis sanciũt vnitatẽ ecclesiæ, in qua de maximis rebus nullũ sit discrimẽ veri & falsi, & quæ sit sentina omnium hæresẽon, cùm ab

Psal. 5. Matth. 16. Luc. 22.

Euseb. hist. eccl. lib. 5. cap. 20.

ea

ea ipsi partim nō excludāt hæreticos, quāuis neq; in doctrina euāgelij, neq; in sacramētis secū cōsentientes, partim excludere iure nō possint, quos tamē pro hæreticissimis habēt ac dānant. Quis aūt in ecclesia esset vsus excōmunicationis (qua Petrus & Paulus apostoli vsi esse leguntur, & quam Christus ipse instituit) si excōmunicati quāuis propter enormia peccata, neq; in fide, neq; in vsu sacramentorū ab ea dissentiant? Vide enim mihi Simonē Magum in actis apostolorū. Credidit is doctrinæ apostolicæ, hoc est, euangelio: Est etiā baptizatus: & adhærebat Philippo. Consensit igitur in doctrina & vsu sacramentorū cū apostolis, ac cæteris omnibus eius temporis Christianis. Sed quoniam volebat à Petro & Ioāne emere potestatē, vt cuicunq; imponeret manus, acciperet spiritum sanctum (quod non apparet disertis verbis vetitum esse in euangelio) excluſit eum Petrus ab ecclesia, dicens: Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam donū Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: Hoc est, non es particeps Euāgelij & promissorum Dei: atq; ita neque ecclesia Christi, ad quam solam pertinet euangelium & promissa Dei. Iam verò cum Corinthi quidam aspernarentur consuetudinē popu-

Excommunicationis origo & vsus.

Act. 8.

1. Cor. 5. 11.

Matth. 18.

Act. 8.

1. Cor. 11.

popularem, vt viri quidem apertis, fœminæ verò velatis capitibus Deum orarent, Paulus eijcit tales ex ecclesia, sic scribens: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Quasi diceret: Talis nobiscum & cum ecclesia Dei partem non habet. Cur? Nisi quia nobiscum non consentit. In quo? In ea consuetudine, de qua non apparet quicquam in euangelio constitutum esse. Nec sanè appareret, homines illos vlla alia in re à doctrina fidei, & recto sacramentorum vsu discessisse. Quin laudat eos Paulus, quòd sicut ipse eis tradidit, præcepta sua seruarent. Poterant autem ij facto illi & contentioni suæ verbũ Dei prętexere: Quòd non externos ritus, sed corda hominum intueatur Deus. Illum quoque, qui nouercam duxerat, constat propter illud vnum peccatum, quod neque cum fidei doctrina, neque cum vsu sacramentorum pugnabat, ex ecclesia ab eodem Paulo eiectum fuisse. Ipse etiam dominus, sicut iam dixi, præcipit: Qui ecclesiam non audierit, & aliquid diuersum ab eius præceptis atque doctrina sentire & facere sibi permiserit, eum pro ethnico & publicano, hoc est, pro reiecto haberi debere. Tales autem, quemadmodũ audiuisti, ad ecclesiam non pertinẽt. Non dicit,

1. Reg. 16.
1. Cor. 5.
Matth. 18.

cit, qui verbum Dei vel euangelium non audierit, sed qui ecclesiam non audierit: Neq; de fide, vel sacramentis ibi agitur, sed cùm quis in alterum peccauerit, & admonitus ab ecclesia, eam non audierit, talem ad ethnicos aggregat, atque ita ab ecclesia segregat. Et sta tim addit cum iureiurando, Amen dico vobis: Quæcunque alligauerltis super terram, erunt ligata & in cœlo. Qua de re audiuisti paulò antè, quid scribat sanctus martyr Cyprianus. Scribit autem non contra vllos hæreticos, qui in doctrina euangelij, & in vsu sacramentorum ab ecclesia dissentiebant: Sed contra schismaticos tantùm, qui à politia ecclesiæ, & obedientia præsidum eius sese segregabant. Esset autem dignus totus ille libellus, qui auro describeretur, crebroque relegeretur, & memoriæ mandaretur, ab ijs præsertim, qui nunc nihil nisi euangelium & verbum Dei crepant. Proinde ipsa quoque ecclesia Nouatianum siue Nouatum, quòd se à Cornelio papa & antistite suo legitimo, ob lenitatem in lapsos, verbo Dei, sicut ipse iudicabat, minus consentaneam, segregaret: Audiũ, quòd malos præsides ecclesiasticos ferre nollet: Quartodecimanos, quòd diem paschæ cũ Iudæis, quam secum obseruare mallent, quamuis in doctrina fidei & sacramen

Schismatici sunt extra eccle-siam.

Epiph. cõtra hæres. lib. 2. to. 1.

Idem lib. 3. tom. 3.

Idem. lib. 2. tom. 1.

tis

tis à se nõ dissentirẽt, pro sciſmaticis, hoc est, pro reſectis & putridis mẽbris habuit, ſuprà memorata verba Chriſti (qui vos ſpernit, me ſpernit, &: Qui nõ audierit eccleſiã, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus) ſecuta: Itẽq́, illa: Qui non colligit mecũ, diſpergit. Quæ verba nõ minus eccleſię accommodata ſunt, quàm ipſi Chriſto, cùm eccleſia cum eo ſit vna caro. Neque enim poteſt quiſquam ſeſe à corpore ſegregare, quin ſtatim etiam à capite ſeſe ſeparet. Quin illud quoq; vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, vt is, qui ſe ab eccleſia & corpore Chriſti temerè ſeiungit, rectam fidem retineat, cùm fides donum Dei ſit, quod è Chriſto domino, velut è capite, non aliò, quàm in corpus & membra eius nõ auulſa ab ipſo influit. Habes eius rei exemplũ in veteri teſtamento de decem tribubus Iſraël: Quæ cùm ſe à reliquo cœtu populi ſegregaſſẽt, an non ſtatim aras in excelſis contra legem Dei ædificare ſibi cœperunt, & à recta in Deũ fide in idololatriam prolapſæ ſunt? Donatiſtæ quoque & Nouatiani & Audiani, cùm ſegregaſſent ſemetipſos ob eas, quas modò dixi, cauſas, peruerſa quædã dogmata paulò pòſt amplexi ſunt, quemadmodum teſtificantur Cyprianus & Epiphanius. Ad eundem modũ & Vrſatius, cuius mentionẽ facit Sozomenus in

Matth. 12.

Schiſma eſt fons hæreſeos.

3. Reg. 12.

Cypr. ad Corn. et ad Magnum. Eph. lib. 2. to. 2. et li. 3 tom. 1. cõt. hæreſ.

Soz lib. 6. ca. 28. hiſt. eccl.

in historia ecclesiastica. Atq; ita nõ in solo cõ sensu circa doctrinam euangelij siue fidei & vsu sacramentorum, quemadmodum docent Lutherani & Caluiniani, vnitas ecclesiæ sita est. Quin diuersus sacramentorum vsus non statim rumpit vnitatem ecclesiæ. Accipe eius rei exemplum vnum atque alterum. In vsu Eucharistiæ quidam azimo pane, quidam fermentato antiquitus vtebantur. Nec obstitit Florentinum Concilium, ad quod Græci cum Latinis proauorum nostrorum ætate conuenêre, quin vtrique morem suum salua vnitate ecclesiæ deinceps quoque retinerent. Iam in baptismo olim alij mergebant, alij persundebant. Et alij quidem semel, alij ter id faciebant: Baptizatos ritè ab hæreticis alij baptizandos esse aiebant, alij negabant. Nec tamen hæc diuersitas vnitatem soluebat, nisi post interpositum decretum ecclesiæ. Nec habetur pro hæretico vel alieno ab ecclesia Cyprianus cum multis alijs Africanis episcopis, qui rebaptizandos eos esse censuit: Habentur autem Donatistæ, qui definita per ecclesiam controuersiã idem senserũt. Quin dicam audacius: Ne de doctrina quidem fidei dissensus quilibet statim ecclesiæ vnitatem dirimit, & ab ea segregat. Finge enim mihi

Sacramentorum diuersus usus potest esse in ecclesia.

hi extremos Aethiopas vel Indos,& noui orbis habitatores, quibus nuper Euangelij lux illuxit,non satis adhuc imbutos dogmatibus fidei,credere,Christũ Dei filium non esse parem potestate vel æternitate patri. Certè non statim erunt ij alieni ab vnitate ecclesiæ, dũmodo per errorem ita sentiant, neque contentiosè agant, ignorantes quid de eo definitum sit ab ecclesia, à qua nulla in re dissentire velint. Vide autem mihi quæso,an non adstipuletur huic nostræ sententiæ Paulus etiam, cùm scribit: Alius enim credit,se manducare omnia: Hoc est: Licere sibi quouis cibo vesci. Cùm dicit: Alium, siue aliquem hoc ita credere,non obscurè innuit, Non omnes ad eundem modum,sed alium aliter credere. Et tamen eum quoque qui aliter credat, dei seruum,fratremq́ue illius alterius appellat. Neque verò pugnaciter contendunt isti pseudeuangelici,omnem diuersum vsum sacramentorum soluere vnitatem ecclesiæ,quippe qui vsum Eucharistiæ sub vtraque vel altera specie inter adiaphora numerent, quemadmodum ostendi nudius tertius,licet scripturis euincere contendant, Christum ipsum sub vtraque specie instituisse. Erat etiam diuersus vsus baptismatis Ioannis & apostolorum. Et tamen negant isti interesse quicquam inter

Act. 19. Philip. in locis.

ea

ea baptismata: & quidē contra expressa scripturæ verba. Ac ne de dogmatibus quidem ac doctrina euangelij, quemadmodum ipsi volunt, à se dissentientes, omnino excludunt ab ecclesia, quemadmodum ostendi dudū. AVL. Qua igitur re tandem vna est ecclesia? MON. Dicam. Duplex est rerum multarum coadunatio: Altera, quæ certum habet ordinem partium: altera vacans ordine, & confusa. Vacans ordine est, vbi res siue partes fortuitu coëunt, nec interest, quomodo, aut vbi quæque sita sit: quemadmodum fit in cumulo siue aceruo frumenti, & in grege animalium. Nihil enim refert, neque in cumulo vbi quodque granum, neque in aceruo vbi quæque spica aut quisque manipulus iaceat, nec in grege quo loco ouis aut capra quæque maneat, ad vnitatem cumuli, acerui, gregisque conseruandam. Ordinata verò coadunatio est, vbi quælibet pars siue res peculiarem habet locum suum, ordinem, & functionem. Qualis est in corpore humano, in domo, in ciuitate. Nam in corpore suus est locus capiti, alius scapulis, ventri item alius, alius manibus, pedibus, ac digitis: Alia item cuiuslibet horum forma & ratio: & alia functio, non modò ad suam cuiusque vtilitatem, verumetiam ad pulchritudinem, vsum & salutem totius

Commun. de bapt. Cal. in inst. Hist. eccl. cent. 1. li. 2.

Coadunatio multorū duplex.

Ordo conseruator rerum & unitatis.

corporis accommodata. Ad eundem modum in domo diuersus est situs, ratio, & vsus ostiorum, senestrarum, parietum, columnarũ, pauimenti, tecti: Itemq; in ciuitate, familiarum, ordinum, generum, sexuum, etatum, atq; conditionum humanarum, priuatorum & magistratuum. Hæc autem diuersa ratio partium inter ipsas, & ad vniuersam illam coadunationem relata, ordo dicitur, qui diuersas partes coadunat, & in vnitate conseruat. Quamdiu nanque id durat in corpore, vt membrum quodlibet suum locum suamque figuram obtineat, & officium suum facere possit, non modò ad suam ipsius propriam, sed etiam cæterorum membrorum, ac totius corporis vsum & vtilitatem, ita vt oculi (exempli causa) non sibi ipsis tantum, verumetiam manibus, pedibus, ori, ac toti corpori cernant, os manducet, lingua loquatur, pedes ambulent, manus opus faciant, protegant, & quicquid vsus postulat porrigant, non sibi ipsis modò, sed etiam cæteris membris, ac toti corpori, tamdiu durat illa coadunatio siue vnitas corporis humani. Cæterùm si caput ad locum pectoris vel femorum, manus ad collum vel dorsum, pedes ad locum capitis transponantur: aut pedes plantis ac digitis

sursum, femoribus autem aut genibus deorsum se conuertant, caput, oculos, aures, & os à se remoueat: aut etiam oculi loqui, manus cernere, digiti audire vel manducare conentur, officiorum & functionum suarum propriarum obliti: aut si ventri cætera membra ministerium suum negent, sicut aliquando Menenius Agrippa apud Romanam plebem sapienter fabulatus esse memoratur, monstrosum id corpus fuerit, nec vnitas, siue coadunatio eius durare queat. In ciuitate quoq; quoad vir, fœmina, senex, iuuenis, miles, mercator, opifex, baiulus, mediastinus, arator magistratus, priuatus, ordinem, loca, & officia sua retinent, ac tuentur, durat ordo siue politia, concordia, & coadunatio. Simul autem vt quilibet horum quidlibet agendi licentiam sibi vsurpauerit, fit perturbatio ordinis, quam disidium & seditio, quæ sunt vnitati inimica, ac mox etiam interitus consequitur. Idem de domo & partibus eius intelligas licet. Atq; ita in ordine sita est coadunatio corporis ac ciuitatis, itemq; domus, exercitus, atq; regni: Nullusque eiusmodi cœtus sine ordine vnitatem suam seruare potest. Ordo autem ipse per se durare, aut per leges vel instituta vlla conser- *Ordinis cõ seruatores magistratus.*

seruari non poteſt, ſi nemo ſit, qui ei moderetur, eumque tueatur, leges interpretando, & executioni mandando, easque contra fraudes malitiam & improbitatem hominum defendendo, ac vindicando. Quod faciunt in ciuitatibus, exercitibus, & regnis magiſtratus: in domibus pater & materfamilias, diſpenſator, atrienſis: in corpore caput, ſpiritus, nerui: quæ perinde ac magiſtratus quidam ſingula membra ſuo quodque peculiari modo mouent ac dirigunt. Quanto autem maior cœtus eſt, tanto plures in eo moderatores eſſe oportet. Plures in ciuitate, quàm in domo: in regno, quàm in ciuitate: Et quidē nō vniusmodi. Ex his autem quiſque conuenienter muneri ac officio ſuo ordinem totius, ſiue ſubiectarum partium tuetur, & vt ita dicam magiſtrat, indeq; magiſtratus nomen habet. Nec id ſatis eſt: verùm ſi vna & concors reſpub. eſſe ac permanere debet, oportet vnum eſſe ſupremū magiſtratum, à quo cæteri omnes dependeant, quiq; omnibus moderetur, & omnes ad vnitatem conſeruandam dirigat. Etenim niſi vnus omnibus præſcriberet, quid, vbi, quando, quomodo, & ad quē finē cuiq; ſpectandū & agendū quicq; ſit, vt maximè nullus eorū ab officio ſuo diſcederet, tamē ſuū quiſq; modo faceret, cæteros non reſpi-

Magiſtratus unde.

Vnitatis cō ſeruator unus.

spiciens, nec ad vnum vltimum finem cuncti cunctas actiones suas referrent. Id autem si ita fieret, dirumpi vnitatem siue coadunationem illam necesse esset. Velut si in exercitu non esset vnus aliquis dux, aut si ei cæteri præfecti, & magistratus non obtemperarent, sed legati, cohortium & alarum præfecti, atq; centuriones suam quilibet aciem arbitratu suo instruerent, eodemque tempore is, qui commeatui præest, frumentari, alius verò castrametari, alius turmam suam aliquo pugnæ simulacro exercere, vel aquatum, lignatum ue mittere vellet, præfectus autem equitum equis pabulum præberi iuberet, deniq; quod cuique videretur faceret, vel nõ faceret, quinam ibi ordo, quæue esset politia? Certè vel dilaberetur omnis ille exercitus, vel præda esset hostibus suis, vel tumultuãs ipse se conficeret. Proinde necesse est, vt omnes illi magistratus omissis rebus alijs, ad supremi ducis voluntatem pro suo quisque officio sese, & quos sub potestate sua habent, accommodent, si rectè & congruenter hostibus suis resistere, seque ac vniuersum exercitum conseruare velint. Ad eundem modum in ciuitate, domo, & regno, si vnitatem & salutem ea retinere debent, vnum esse oportet summũ magistrum, qui cæteris omnibus præsit.

Neque nunc discrimen facio, vnus ne homo, an plures simul, & insolidum, quemadmodum dicitur, magistratu illo fungantur. AVL. Quorsum ista pertinent? MON. Vt perspicuè tibi demonstrem, in quo sita sit vnitas ecclesiæ. Cùm enim ea sit cœtus quidam: cœtus autem non quaslibet cunque, sed ordinatissimus (quemadmodum ostendi ab initio, idque euidens est etiam ex eo, quòd eam sacra scriptura regno, castrorum aciei ordinatæ, ciuitati, domui, & corpori similem facit) certum in ea ordinem atque descriptionem, siue politiam esse necesse est, per quam ea sit vna & consentiens. Itaque scribit etiam Paulus ad Corinthios: Omnia in vobis honestè & secundum ordinem fiant. Colossenses itè laudat propter ordinem. Quod si Corinthiorum & Colossensium ecclesias, quæ partes erant vnius ecclesiæ, rectè & ordine constitutas esse oportuit, multò magis ipsam vniuersam ECCLESIAM, aduersus quam, secundum policitationem diuinam, portæ inferorum præualituræ non sunt. Proinde, quemadmodum corpus, domum, ciuitatem, exercitum, regnum, sic ecclesiam quoque ordo & politia coadunat, & in vnitate conseruat. Quod si ordinem in ea esse, &

Ecclesiæ vnitas in quo sita sit

1. Cor. 14. Coloss. 2.

Magistratuũ ecclesiasticorũ officia.

& omnia secundum ordinem fieri oportet, necesse est, vt ea non modò leges certas habeat, verumetiam magistratus, qui leges interpretentur, & à fraudibus & cauillationibus hominum improborum & callidorum vindicent, ciues & membra eius inter ipsa & cum Deo coadunent, bonaque eius publica, hoc est, verbum Dei & sacramenta, & alia ad vtilitatẽ cùm singulorum, tum vniuersæ ecclesiæ dispensent: ac diligenter animaduertant, vt vnusquisque Christianus officium suum nouerit, & ab eo ne discedat: delinquentes coërceant, & ad officium reuocent. Quod si quid dissidij circa fidem ritus ue, & quicquid ad religionem pertinet, in ea exoriatur, quod vnitatem & concordiam scindere incipiat, illi ipsi magistratus disceptent ac definiant.

AVL. Præclarè: Verùm dicet Anabaptista, & fortasse Suencfeldius: Hæc esse commenta hominum. Eccleſiam Dei non indigere huiusmodi magistratibus. A Deo namque eam certo ordine constitutam esse, à Deo gubernari, spiritu sancto corda singulorum hominum dirigente. MON. Verissimum est, à Deo constitutam esse ecclesiã, & à Deo gubernari: quod ego quoque, si meministi, sacrarum literarum authoritate,

Anabaptistarum & Suencfeldij ἀναρχία.

Magistratus ecclesiæ necessarij.

comprobaui. Nec modò de eccleſia, verum etiam de domo, ciuitate, & regno ita ſentire debemus. Confirmat hoc Dauid rex & Propheta ita canens: Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Deus quidem eccleſiam ædificauit, certumq́ue in ea ordinem conſtituit, eiusq́; ipſe curam habet: Sed quemadmodum illa, ſic & hoc per homines fecit & facit. Per Apoſtolos, eorumq́; ſocios & ſucceſſores homines, ad fidem populos cõuertit, & in eccleſiam hanc ſuam aggregauit. Per eoſdem eam perpetuò gubernat, vt ea cõcors & vna, perinde ac vnum regnum, & quidem regnum cœlorum, vnus exercitus Dei viuentis, & caſtrorum acies ordinata, vna ciuitas ſancta, vna domus, vnica ſponſa, & vnũ corpus vnius Chriſti permaneat tantiſper, dũ is tradit regnũ hoc Deo & patri, quãdo omnia Deus erit in omnibus, quemadmodum ait Paulus. Qua de re ſic ſcribit Tertullianus: Statim igitur Apoſtoli, quos hæc appellatio miſſos interpretatur, aſſumpto per ſortẽ duodecimo Mathia in locum Iudæ ex authoritate prophetiæ, quæ eſt in pſalmo Dauid, conſecuti promiſſam vim ſpiritus ſancti ad virtutes & eloquium, primò per Iudæam con-

Pſal. 126.

1. Cor. 15.

Tertul. de præſcript. aduerſ. hæret.

teſta-

testata fide in Iesum Christum,& ecclesijs institutis,dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei Nationibus promulgauerunt,& proinde ecclesias apud vnãquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur,vt ecclesiæ fiant.Ac per hoc & ipsæ apostolicæ deputantur,vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum.Omne genus ad originem suam censeatur necesse est.Itaque tot ac tantæ ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima,ex qua omnes. Sic omnes primæ,& omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.Ita Tertullianus de ecclesia per Apostolos condita, licet more suo paulò obscuriùs. Est igitur operæpræcium perueſtigare,qualem formam, ordinem, & politiam Deus per apostolos,qui potissimi ac certissimi voluntatis eius internuncij & interpretes fuerunt,ecclesiæ reliquit. Quam hierarchiã, hoc est, sacrum principatum & remp.vocemus licet.Ea nobis perspicuè certam ecclesię consociationem & coadunationem demonstrabit.Atque hîc iam excutienda nobis erit, ea quæ supereſt quarta nota ecclesiæ: Nempè quòd ea dicitur, & est apostolica. AVL. Cur non Christi potius vel Christiana?An nõ *Ecclesia apostolica*

Christus eam ædificauit? MON. Ita est. Christus ædificauit ecclesiam: & sibi ædificauit. Vtrunque enim ipse dicit, & ædificabo, & meam: Sed per se quidem eam inchoauit modò, & quasi delineauit, per Apostolos autem post ascensionem suam consumauit, certaque doctrina, ratione, ac descriptione siue politia constituit. Quod vel inde cóstat, quòd in euangelijs ac cæteris noui testamenti scripturis, nusquam mentio fit ecclesiæ, quasi ea iam extaret, nisi post ascensionem Christi, & spiritus sancti missionem, posteaquam Mathias in locum Iudæ apostoli surrogatus est, Petrusque authoritatem suam exerere cœpit: hoc est, non priùs, quàm certa quædam politia & hierarchia inter Christianos per apostolos constituta est: vt videre est in actis apostolorum. Quin ipse Christus dominus, Super hanc petram ædificabo, inquit, ecclesiam meam. Atq; hæc paulò ante mortem suam locutus est, cùm iam tres totos annos prædicasset. Igitur per apostolos Christus, posteaquam ex hac vita decesit, ædificauit ecclesiam. Quod quidem Esaias etiam ita futurum prædixerat, in persona Dei ecclesiam alloquens: Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos, sicut antiquitus. Quod si-

Matth. 16.

Act. 8. 9.

Matth. 16.

Esa. 1.

mile

mile est illi Dauidico: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: Constitues eos principes super omnem terram. Prosequitur Esaias: Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. En hîc promittit Deus, post restitutionem iudicum & consiliariorum, hoc est, post constitutam hierarchiam in apostolis (quos ipse etiam dominus iudices Iudæorum, quibus hæc facta fuit promissio, vocat) populum Christianum appellari debuisse ciuitatem iusti, Christi nimirum, quem & Iudas proditor, & vxor Pilati iustum vocarunt: & ciuitatem fidelem, hoc est, cœtum certo ordine constitutum, vel ecclesiam fidelium. Ac mox idem propheta (sicut & Paulus) appellat eam domum domini, ita scribens: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Per domum Dei, sicut dixi, ecclesiam significat, aitque montem, in quo ea domus statuta erat, qui secundum prophetiam Danielis impleuit omnem terram (is est autem Christus dominus siue doctrina eius) præparari debuisse in vertice mon-

Psal. 44.

Apostoli iudices.

Matth. 12.
Luc. 11.

Matth. 27.

Esa. 2.
1. Tim. 3.

Domus Dei.

Dan. 2.

Apostoli montes & fundamenta ecclesiæ

montium, hoc est, in institutis atque descriptione apostolorum, qui & ipsi montes sunt siue colles, super quorum fundamentum etiam Paulus Ephesios ædificatos esse dicit, ciues sanctorum ac domesticos Dei. Ioannes item in Apocalypsi scribit murum ciuitatis, hoc est, ecclesiæ Dei, habere fundamẽta duodecim, & in ipsis inscripta duodecim nomina apostolorum agni. Quod autem prophetia Esaiæ sic intelligenda sit, nolo nunc probare interpretatione Hieronymi, vel cuiusquam alius sancti doctoris, sed ipsius Esaiæ verbis: Qui statim post verba illa subijcit: Quia de Sion exibit lex, & verbum domini de Ierusalem. Hoc sanè non de lege Moysi dictum est, quæ multò ante iam data erat, & quidem non in monte Sion, aut in Ierusalẽ, sed in Sina monte Arabiæ. Neque de Christi prædicatione: Neque enim ille in Sion, aut in Ierusalem, sed in Galilæa concionari & prædicare cœpit, quemadmodũ testificatur Mathæus: In Galilæa multum versatus est, ita vt Galilæus etiam diceretur: Verùm de doctrina & politia apostolica, quæ secundum præceptum Christi, ab Ierusalem incipere, & per omnes gentes diffundi debuit. Hoc autem sic impletum esse, ex actis apostolorum constat. Memorat enim Lucas apostolis à monte

Ephes. 2.
Apoc. 21.
Exod. 19.
Matth. 4.
Luc. 24.
Act. 1. 2. 3. 4. &c.

Oli-

Olivieti post ascensionem Christi reuersis in Ierusalem, Mathiam cooptatum fuisse ab ipsis in collegium, & post acceptum die pentecoste spiritum sanctum, eos Ierosolymis tantum, & in vicinia eius aliquandiu illam Christi legem & verbũ domini prædicasse, & prima iecisse ecclesiæ fundamenta. Inde posteà persecutione exorta dispersos, per vniuersum orbem terrarum eam propagasse. Atque ideo licet non alia, quàm Christi hæc sit ecclesia (Christo enim, non sibi eam apostoli ædificarunt) apostolicam tamen eam Constantinopolitanum Concilium appellauit. AVL. Atqui ego audiui, ex te etiam, ni fallor, iam inde ab initio mũdi fuisse ecclesiam Christi, & ad eam patriarchas & prophetas veteris legis, atq; adeò quicunque venturum Christũ expectabant, pertinuisse. MON. Verisimũ hoc est. Quin Paulus etiam Ephesios, ciues ac domesticos Dei, non modò apostolorum, verumetiam prophetarum fundamento superædificatos esse ait. AVL. Cur igitur apostolica, non etiam prophetica vocatur Ecclesia? MON. Quoniam à prophetis designata verius, quàm ædificata, ab apostolis demum certam accepit descriptionem & formã, qua non modò à dæmonum, verumetiam ab ipsis veri Dei cultoribus Hebræis distingueretur.

Ecclesia quando esse cœperit.

Ecclesia cur non Prophetica.

Ac

Ac propterea etiam doctrina Christi & apostolorum, quæ est ipsa ecclesiæ ædificatio, nouum testamentum & pactum dicitur, non quòd non extaret iam inde ab initio in prophetis & figuris legis Mosaicæ, imò & ante ipsam legem certa eius quasi delineatio: sed quòd per Christum demũ ac apostolos eius in fine seculorum id suis quasi coloribus depingi & propalari debuit. Ad eundem igitur modum ecclesia, licet ab initio statim post lapsum primorum hominum per patriarchas & prophetas ædificari cœperit, & Christum Dei filium conditorem potissimũ agnoscat, apostolica tamen appellata est, propterea quòd ab apostolis demum certam descriptionẽ ac formam accepit: Ne homines falli ac decipi se paterentur ab ijs, qui secũdum Christi ipsius prædictionem, Christos se esse dicerent, Christum´ve hîc aut illîc ostenderent, aut qui veram & synceram Christi doctrinam vel ex obscurioribus prophetarum oraculis, vel peculiari Dei reuelatione se accepisse iactarẽt: Aquibus multos seductum iri idem ipse dominus prænunciauit. Ne igitur errarẽt homines, & in alia ecclesia (quę & vnitate, & sanctitate, & multitudine, atq; vniuersitate fortassis in speciẽ gloriari posset) quàm in ea, quæ certã descriptionẽ ab apostolis è Christi doctri

Apostolica cur dicatur ecclesia.

ctrina promanantẽ accepit, & perpetua ac nõ interrupta pastorum ac doctorũ ab eis constitorum successione ad finem vsq; firmã & immutabilẽ eam retinet & conseruat, Christũ, hoc est, doctrinam Christi quærerẽt, propterea apostolicam ecclesiam profitemur. Cum qua Picardi, Sacramentarij, Trideitæ, Protestãtes, Lutherani, Anabaptistæ, Osiandrini, Stãcariani, aç cæteri oẽs pseudeuãgelici nihil habent commune: quoniam à perpetua eius descriptione segregat semetipsos, longè magis & contentiosius, q̃ vlli vnquã vetustiores hæretici, tanto eius descriptionis odio inflãmati, vt pleraq; nõ ob aliud, quàm q̃ in papatu (Sic enim ipsi eam contumeliæ causa vocitant) vsitata sunt, abroganda & proculcanda sibi esse putent, quemadmodum nuper etiam audisti. Diuersa verò ab ijs, quæ apostoli nobis in ea reliquerunt, instituta, atque dogmata sibi ipsi comminiscuntur, vel ex apostolicis, quemadmodum videri volũt, scripturis, sed perperàm & improbè detortis atq; contortis, & secus, q̃ tenet ac tenuit semper iam inde ab apostolorũ tẽporibus ecclesia, intellectis, ferè depromũt. AV. Negãt hoc illi, imò nos vel maiores nostros ab institutis apostolicis discessisse, se verò ea retinere, aut neglecta potius & obliterata superioribus se-

seculis, reuocasse, & in lucem protulisse asse-
Ecclesiæ Apostolicæ descriptio & hierarchia
uerant. MON. Id quidem vnum propositum fuit Flacio & sociennis eius falsarijs historiæ ecclesiasticæ, in eoque maximè elaborarunt. Sed an verum sit, perspicuum fiet, vbi expenderimus, qualia instituta, descriptionemque apostoli ecclesiæ reliquerint. Primum igitur non inconditam turbam, sed certum ordinem, concordiam, & adunationem ab initio tempore apostolorum in ecclesia fuisse, testatur Lucas in actis apostolorũ, ita scribens: *Act. 4.* Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Vides adunationẽ: ac tantam quidem, vt maior esse non possit, qualis est inter membra vnius corporis, quæ vno spiritu vegetantur & reguntur, & quorũ idem est velle, idem nolle. Signum autẽ eius euidens statim apponit, dicens: Nec quisquã eorum quę possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. En in vnitate illa, ne existimes inordinatum quicquam fuisse, aut nihil quenquam proprium habuisse (quemadmodum docebant posterioribus temporibus nonnulli hæretici) indicat Lucas, licuisse tunc ibi cuiuis sua retinere & possidere. Nec solum tamen possessorem suis quenque rebus vsum esse, sed cùm vti solus posset, libenter in commune contulisse.

liſſei. Et mox addit: Et virtute magna reddebant apoſtoli teſtimoniũ reſurrectionis Ieſu Chriſti domini noſtri. Vides, non quoslibet homines tunc prædicaſſe, ſiue teſtimoniũ reddidiſſe reſurrectionis Ieſu Chriſti, vt nũc apud iſtos faciunt fabri, ſutores, carnifices, atque etiam mulierculæ, dicentes cum Core, Datan, & Abiron, Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt: ſed apoſtolos tantum ab ipſo Chriſto delectos, & miſſos, ſicut ipſum pater miſerat: quamuis multi itẽ eſſent alij in illa multitudine, qui cum Chriſto verſati erant aliquandiu, & poſt reſurrectionem eum viderant, ſicut ſcribit Paulus, quòd apparuerit pluſquam quingẽtis fratribus. In quo cœtu erant proculdubio nõnulli è ſacerdotum, ſcribarum, & phariſæorum numero docti ac diſerti: atque ita rectè ij quoq; teſtimonium reſurrectionis eius reddere potuiſſent. Additque Lucas: Et gratia magna erat in omnibus illis: vel, vt Græci habent, ſuper omnes illos, ſiue apoſtolos, ſiue credentes. AVL. Quid hoc ſibi vult? MON. Vel miraculorum patrandorum gratia, & vis perſuadendo, vel illud, ni fallor, quòd magno eos fauore, & admiratione proſequebatur reliquus populus. Cuius rei cauſam ſtatim ſubijcit. Neque enim, inquit, quiſquam egens erat

Num. 16.

Ioan. 20.

1. Cor. 15.

rat inter illos. Iusta fauoris & admirationis causa, æqualitas, pietas, & benignitas erga egenos. Quotquot enim possessores agrorū aut domorū erāt, vendētes (nō inuiti quidē sicut è verbis Petri ad Ananiam apparet, sed vltrò pietate suadēte) afferebāt precia eorum, quæ vendebāt, & ponebāt ante pedes apostolorū. Agnoscebāt igitur potestatem & authoritatē apostolorū, non modò in doctrina, sed etiā in externa politia & administratione facultatum, quæ in cōmune conferebātur. Nec nefas esse ducebant apostoli, pecuniam contrectare, & rerum extrernarū curam gerere. Nō tollebat autē inde sibi quisq;, quod volebat: Sed, diuidebatur, inquit, singulis. A quo? Nimirum ab ijsdem apostolis, vel certè mandato eorū, nō Nicodemi, vel Ioseph ab Arimathia, vel potētis ac principis cuiuspiam arbitrio. Quomodo aūt diuidebatur? An quantū quisq; volebat? Minimè: sed, prout cuiq; opus erat, eorū videlicet, quibus ea cura mādata erat iudicio. Viden' ordinē & politiā, quæ eccleſiā illā coadunabat? Omnes quidē ibi vnū erant, sed non omnes idem agebant, neque quod cuique videbatur. Verùm alij erant, qui concionabantur, & orationi instabant, reliquæ multitudini moderabantur, disidia & controuersias subortas diremebant: alij nempe diaconi, dispensabant

Act. 5.

alimenta, vel pecuniam communem: alij neque hoc, neque illud faciebant, sed sex ex præscripto illorum viuebant. Habebat igitur iam tunc multitudo illa moderatores & curatores siue administros suos, quorũ opera & cõsilio fiebat, vt ea tam concors, vnà, & ordinata esset, rectecq; vnius, & apostolicæ ecclesiæ nomen & maiestatem tueretur: De quibus administris & moderatoribus explicatius etiam scribit Paulus: Ad Corinthios quidem ita: Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primùm apostolos, secũdò prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ, interpretationes sermonũ. Ad Ephesios aũt ita: Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam aũt prophetas, alios aũt euangelistas, alios aũtem pastores & doctores, ad consumationẽ sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam nõ simus parui fluctuãtes, & circũferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionẽ erroris: Veritatem autẽ facientes in charitate, crescamus in illo per

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

omnia, qui est caput Christus. Quo nam obsecro modò apertius describere potuit ordinem, politiam, & hierarchiam ecclesiasticam, & magistratus, qui, à quo, quam ob causam, & quoadusque in ea constituti sint? Ac primùm quidem attende, quòd non dicit: In ecclesia sunt hi & illi: ne temeritati hominum istorũ vltro ingerentium sese in functiones ecclesiasticas, & licet missi non sint currentium, feneſtram aperiat. Sed positos ac datos esse
Hier. 32. ait. Quis nam igitur eos posuit ac dedit? Non magistratus profanus, nec ipsa fidelium multitudo, vt nunc fit apud istos pseudeuangelicos: Sed Deus, sed Christus, qui virtus ac dextera Dei, ac Deus est & ipse. Quando autẽ, & quo modo posuit ac dedit? Hîc non memorat Paulus, apertè duntaxat. Ac ipsum quidẽ Christum, quoad in terris versatus est, non legimus in euangelijs magistratus istos, siue ministros ecclesiæ, qui hîc à Paulo recensentur, aut vllos alios instituisse, exceptis duodecim apostolis, & alijs septuaginta duobus di-
Mar. 3. scipulis, & Petro, quem pastorem ouium suaLuc. 6. 10. rum, & clauigerum regni cœlorum instituit.
Ioan. 21. Cæteros oẽs ministros ecclesiasticos, quos
Matth. 16. hîc Paulus enumerat, apostoli post ascensionem domini instituisse existimantur. Quod ipse quoque Paulus hoc in loco ad Ephesios scri-

scribens, subindicat. Nam cùm fecisset mentionem ascensionis Christi in cœlum, & quòd is inde dederit dona hominibus, describit ea dona. Ipse, inquit, dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autē prophetas, &c. Ac ipse quidem Christus per se cœlitus, excep-
tis Mathia & Paulo, nullum dedisse legitur. Act. 1. & 9
Quanquam ne hos quidem duos sine humano ministerio. Per apostolos igitur, quos cō ditores & moderatores ecclesiæ suæ ipse constituerat, dedit cæteros. Et in eo primū sanciuit ordinē ecclesiæ necessariū, vt ij ab illis, à quibus instituti essent, dependerent, quò honestè omnia & secundum ordinem fierent, nec essent in ecclesia schismata. Quod quidē liquidò etiam in suffectione Mathiæ in locū Iudæ proditoris apparet. Ab apostolis enim authore Petro id factum esse Lucas memorat: licet, cùm inter duos pares difficilior videretur esse electio, sors quoq; sit adhibita: Cui Deus proculdubio moderatus est, mentibus apostolorum spiritu sancto nondū penitus illustratis. Quare non immerito, cùm per apostolos creati sint magistratus in ecclesia, constitutaque politia, apostolica ea dicitur. Quod si quis malit, non modò apostolos, & alios septuaginta duos discipulos, & Petrum pastorem, atque clauigerum regni cœ-

lorum, verumetiam reliqua omnia ministeria, quæ Paulus vtrobique enumerat, ab ipso Christo, dum in terris inter homines vixit, instituta, seu potius designata esse, libẽter accepero, cõcedi nobis, aliquid à Christo institutũ esse, cuius nulla fiat mẽtio in euangelio, dũ modò is vicissim nobis cõcedat, ab apostolis post Christi decessionem eas functiones exactius distinctas esse, carũq; administros initiatos & constitutos. Cuius rei argumentũ est illud, quod memoraui dudum de suffectione Mathiæ: Illud itẽ, quod ij (apostoli inquã) crescente indies multitudine, cùm omnia per se ipsi gerere & præstare non possent, curã mensurarum diaconis delegarunt: & quòd cum Samaria Philippo vno de septem diaconis prædicante verbum Dei recepissent, multique ab eo baptizati, spiritum tamen sanctum non accepissent, ijdem apostoli de collegio suo Petrum & Ioannem miserunt, vt imponerent cõuersis manus, & acciperent spiritum sanctũ, Atq; ita appareret, diuino simul ac ipsorum iudicio, distincta ac diuersa esse diaconorũ apostolorũq; munera. Adde quòd, quamuis Paulus & Barnabas non modò fideles, verumetiam prophetæ ac doctores iam essent, Paulusq; diuinitus etiã apostolico muneri iam inde ab initio cõuersio-

Ministeria ecclesiastica per apostolos distincta.

Act. 6.

Vocatio Dei ad ministerium eccl.

sionis suę destinatus fuisset, segregari tamen ambo per alios diuinitus iussi sunt in opus apostolici ministerij. Vbi animaduertendum est, non satis esse, aliquem ad obeundum aliquod munus diuinitus assumi, gratiamque accipere: Sed opus esse, vt ab hominibus quoq;, ad quos id pertinet, gerendi eius muneris potestas ei cõferatur. Hæc enim demũ certa & legitima Dei vocatio & missio est. De qua Paulinum illud intelligendũ est, cùm scribit: Nec quisquam sibi sumit honorẽ, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Constat enim Aaronem per Mosen ad sacerdotium à deo vocatum, institutum & consecratum esse. Sic igitur Paulum cum Barnaba Deus ab hominibus segregari iussit, prouidens, ne quis fortè illud, quòd Deus posuit in ecclesia quosdam apostolos, &cæt. sic interpretetur: Eo ipso positos ac datos eos esse, quòd hoc ipsi sibi sumant, vel quòd gratiam huius vel illius muneris peragendi diuinitus accepisse videantur. Quanquam ipse quoque per se deus sine humano ministerio vocat, & mittit nonnunquã aliquos, vt Mosen ipsum, vt Eliam, vt Ioannem Baptistã. Verùm id rarum est, nec temerè sine certa diuinæ voluntatis testificatione, sicut ostendi Heb. 5. Exod. 28.

nudiustertius, suscipiendum. Proinde arrogantissimè Lutherus, non vocatus à Deo tanquam Aaron, ipse se domini Iesu Christi euãgelistam appellauit: Et Caluinus, Beza, Stãcarus, alijque quidam etiam nunc perquãm impudenter missionem diuinam mentiuntur, ministeriaq; ecclesiastica vsurpant. Sed nos apostolicam politiam persequamur. Nõ hos autem solos ministros, quorum vtroque illo in loco mentionẽ facit Paulus: Christus ecclesiæ suę dedit, verumetiam diaconos, de quorum institutione in actis apoloſtorum memoriæ proditum est: & presbyteros, quorum Petrus, Iocobus, Paulus. Et Lucas in actis apostolorum: & episcopos, quorum idem Paulus tum in actis apostolorum, tum in epistolis suis facit mentionem. Nec tamen de prima presbyterorum & episcoporum institutione vel hi ipsi, vel qui squam alius apostolorum quippiam memoriæ prodidit, sicut proditum est de diaconis: Ita vt vero simile sit, ab ipso Christo eos fuisse institutos. Quin ommunis est Theo logorũ sententia, Apostolos à Christo in prima quidẽ missione (de qua Mathæus cap. 10. Marcus cap. 3. scribunt) diaconos, in vltima cœna presbyteros, die verò ascensionis episcopos esse ordinatos. Ministeria quidem presbyterorum & episco-

Episcopi et presbyteri etiã à Christo dati ecclesiæ.

Act. 6.
1. Pet. 5.
Iaco. 5.
1. Tim. 5.
Act. 15.
Act. 20.
1. Tim. 3.
Titum 1.

po-

porum non multò post Christi ascensionem tam recepta & celebria fuêre in ecclesia, vt eis quasi iam pridem institutis apostoli non modò præficerent per loca certos homines, vt Paulus Timotheũ Ephesi, Titum in Creta, verumetiam officia præscriberent, & præcepta peculiaria darent, vt est in epistolis eiusdem Pauli, & Petri, & Iacobi. Lucas verò memorat, presbyteros cum apostolis in synodo Ieroſolymitana, quid reliquæ multitudini sentiendum & obseruandum esset, decreuisse & præscripsisse. Quanquam illis quoque Pauli verbis ad Corinthios & Ephesios, quæ dudũ recitaui, episcopi, & presbyteri, & diaconi alijs nominib. rectè cõprehẽdi existimãtur. Episcopi quidẽ apostolorũ presbyteri, prophetarũ, diaconi verò euãgelistarũ nomine: Quod etiam annotauit Ambros. Nec deest huius sentẽtiæ fõs in sacris literis. In actis quiẽd apostolorum Stephanus diaconus nõ solum mensis ministrasse, verumetiam disputasse & prædicasse in Concilio Iudæorum legitur. Philippus diaconus, euangelista etiam appellatur: Et in re tam aperta mirum est Caluinum, acutum alioqui hominem, ineptè nugari. Sed missum eum faciamus. In ijsdem actis cùm agit Petrus inter cæteros apostolos de surrogando aliquo in locũ Iudæ pro-

Act. 15.

Ambr. in 4. ca. ad Eph.

Act. 6. 7.

Diaconi euangelistæ.

Act. 21.

Cal. instit. lib. 4.

Act. 1.

ditoris, ostẽdens id ita futurũ, olim à Dauide prænunciatũ esse: Et episcopatũ, inquit, eius accipiat alter: Episcopatũ appellauit, cùm de apostolatu loqueretur. E Pauli aũt epistola ad Corinthios nõ obscurè colligitur, prophetæ nomine accipi nonnunquã in sacris literis interpretes abstrusorũ, & exhortatores. Quo munere presbyteri & cõcionatores fungũtur in ecclesia, quemadmodũ & sacrificãdi munere. Itaq; Lucas quoq;, cùm prophetarũ ac doctorũ mentionẽ fecisset, mox adiecit: Ministrantibus, siue, sacrificantibus aũt illis domino, Græce enim est λειτουργούντων. De quo posteà plura dicam. Nunc id, quod instituimus, persequamur. AV. Placet. MO. Promiscuène autẽ Deus vel Christus hos ministros posuit siue dedit, vt oẽs essẽt omnia, & facerẽt omnia? Minimè gentiũ: Sed quemadmodũ non modò nominibus, verumetiã officijs distincta sunt hęc ministeria, sic ab alijs atq; alijs eaperagi oportere, idẽ Paulus ibi indicat, cùm scribit: Quosdã apostolos, quosdã autẽ prophetas, alios verò euãgelistas. Nota verba illa, quosdã, & alios. Et rogat idẽ, Nũquid oẽs apostoli? nũquid oẽs prophetæ? nũquid oẽs doctores? &c. Quasi diceret: Nequaquã: sed cuilibet suũ munus gratia ac dono Dei tribuitur, vti dudũ indicaui. Quã distributionẽ do-

Apostoli episcopi. 1. Cor. 14.

Ministeria distincta et ministri.

1. Cor. 12. Rom. 12.

donorũ vnus atq; idẽ ſpiritus operatur, diuidẽs ſingulis prout vult: alij quidẽ ad hãc, alij verò ad illã functionẽ, & alij largius ac luculẽtius, q̃ alij, & tamẽ vnicuiq;, digno iuxta ac indigno, non ſecundũ merita ipſius, ſed ſecundũ voluntatẽ ſuã: malis æquè ac bonis, Iuda & Nicolao æquè, ac Ioãne & Stephano ad eiuſmodi functiones vtẽs. Eſtq; efficax etiã ab indignis profectũ eiuſmodi miniſteriũ. Nihil tamẽ prohibet, quominus ad plura ſimul ac diuerſa munera nõnullos peculiari gratia reddat idoneos. Nec eſt incõueniens, inferiora ſuperioribus cõtineri, nimirũ, vt qui apoſtolatus, idẽ & prophetiæ munus acceperit. Neq; enim temerè Paulus ea gradibus & ordine certo diſtinxit, vt diceret: primùm apoſtolos, ſecũdò prophetas, tertiò doctores. Et cõſtat ſanè, prophetarũ & euãgeliſtarũ, & alijs etiã miniſterijs prẽditos fuiſſe, & functos eſſe apoſtolos: Prophetas itẽ & euãgeliſtas inferioribus. Ac etiãnunc epiſcopus presbyteri, presbyter diaconi munere rectè fungitur: Sed nõ cõtra. AV. Quã aũt ob cauſam hęc miniſteria in eccleſia Chriſtus inſtituit? MON. Indicat ibidẽ Paulus. Ad conſumationẽ ſanctorũ, inquiẽs. Hoc eſt, quò adducãtur homines ad fidem & religionem Dei, & in ea progreſſus faciant: per quam ſanctificantur, & conſumantur. Quid præterea? In mini-

Miniſteria cur data eccleſiæ.

sterium, inquit: Ecclesiæ videlicet. Quod est sanè multiplex, vt iam audiuisti, & audies adhuc paulò pòst. Quid autem addit præterea Paulus? Ad ædificationem corporis Christi, hoc est, constitutionem siue collectionem & gubernationem ecclesiæ. AVL. Quo´nam id modo. MO. Ipsemet interpretatur addens: Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionē erroris. Additque: Veritatem autem facientes in charitate, hoc est, verè & syncerè omnia agentes in charitate erga Deum & proximum, crescamus in illo per omnia, in concordia & vnitate ecclesiæ, cuius ille, Christus inquam, tanquã vnius corporis caput est. Hoc est, vt à varietate opinionũ & erroribus doctrinæ liberi, veræque Christi capitis nostri doctrinæ conuenienter viuentes, cum singuli, tum vniuersi in fide & charitate, proficiamus, concordesque & subleuantes nos mutuo, pro sua quisque virili portione, sicut vnius corporis membra, ad perfectionem & promissam partamque ab eo beatitudinem tẽdamus. Vides nihil hîc eum omisisse, quid hi ministri in ecclesia agere, quid prohibere, quo´ue spectare debeant. AVL. Quamdiu verò isthęc politia in ecclesia durare debuit?

Ecclesiasticæ politiæ duratio.

MON.

MON. Benè mones. Ne hoc quidem prætermisit Paulus. Donec, inquit, omnes occurramus in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum: Hoc est, ad extremum vsque diem, quando Christus dominus tradet regnum Deo & Patri, vt alibi scribit idē Paulus, Et quando Deus erit omnia in omnibus: Nimirum quando ipse per se electis & ecclesiæ cœlesti non habenti rugam, neque maculam, neq; aliquid eiusmodi, moderabitur. Nunc enim ait idem Paulus, ex parte cognoscimus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Hic est terminus politiæ, siue hierarchiæ apostolicæ, quæ sæpenumerò cùm hæreticorũ artibus ac dolis, tum tyrannorum armis à Satana oppugnata, nunquam tamen expugnata & euersa, in hunc vsque diem per tot secula durat in ecclesia Christi, & ad extremum vsque durabit. AVL. Atqui videre licet, nunc non eandem prorsus apud nos eius formam esse. Antiquata sunt enim nonnulla illius temporis ministeria, & alia pro ijs subiecta, atq; ea, quæ supersunt etiam, in saginas ociosorum hominum, vel dominatus & satrapias, quemadmodum queruntur isti euãgelici, commutata sunt: cùm Paulus illos ministros ecclesiæ velit esse: Petrus verò disertè presbyteris do mina-

1. Cor. 15.

1. Cor. 13.

Ministeriorũ mutatio

1. Pet. 5. Luc. 22. Matth. 20.

minatu interdixerit. Et ipse aũt Christus apostolos alloquẽs: Reges, inquit, gentiũ dominantur earum: Vos autẽ non sic: vel, Non ita erit inter vos. MO. Non sunt nihil ea, quæ dicis: Et obiectantur nobis vulgò ab ijs, qui nos ex apostolicæ ecclesiæ possessione conãtur deturbare. Verũ enimuerò illud hîc tibi considerandũ est, vtroq; loco à me citato illud solũ Paulo fuisse propositũ, vt ostẽderet, in ecclesia Christi aliquam esse, & necessariò esse oportere politiã, siue hierarchiã, eãq; nõ humano cõsilio atq; traditione, verũ diuinitus varijs ministerijs & magistratibus informatã, per quã homines perinde ac mẽbra in corpore coadunarentur. Qualẽ aũt eam esse, quibusq; ministerijs & magistratibus cõstare oporteat, nõ erat ei tũc operę preciũ explicare accuratius. Vtriq; enim, tam Corinthij, q̃ Ephesij, iam eã habebãt, doctrina atq; traditione apostolica constitutã. Itaq; nihil de eis pręcipit, sed quasi res notas ac diuinitus institutas obiter cõmemorat, nõ omnia, sed quædã ministeria exẽpli causa enumerãs: nec ea prorsus eadem vtrobiq;, ne quis in eam suspicionem veniat, quasi nõ sint alia prętera. Ad Ephesios enim scribens, prætermittit virtutes, gratias curationũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ, interpretationes sermonũ, quæ Corinthijs enumerat. Rursus hîc

Ministeria ecclesiastica non omnia à Paulo enumerata

euangelistarũ & pastorũ nullã facit mentionem, cùm illic faciat. Neutrobi verò de Diaconis vllũ facit verbũ, quos cõstat iam tũc ab apostolis fuisse institutos. Nec de presbyteris, episcopis, & sacerdotibus: De quibus & dixi iã prius, & dicã statim diffusius. Nisi fortè alijs nominibus ij, quẽadmodũ dixi, cõprehẽsi sunt. Ne deviduis quidẽ, de quarũ ministerio nõ modò Lucas in actis, verũ ipse etiã Paulus ad Timotheũ scribit. Nõ igitur exactã politiæ ecclesiasticæ, eiusq; ministeriorũ rationẽ Paulus his duobus locis describere instituit. Ne Lucas quidẽ in actis. Sed viua voce eam apostoli siue ex doctrina Christi, siue spiritus sancti magisterio instituerũt, & ecclesijs à se conditis tradiderũt. Neq; tamẽ simul vniuersam & absolutam, sed accommodatã temporibus. Alia sanè fuit condendæ, alia est iam conditę ecclesiæ ratio, ita vt neq; institutа, neq; ministeria eadẽ esse vtrobiq; necesse sit omnia: quæ Paulus ad vtilitatẽ eius a Deo collata esse scribit. Vendebantur vulgò agri domusq; ab initio exoriẽtis ecclesiæ, & facultates in mediũ conferebãtur, & frangebatur circa domos panis. Nimirũ ita tunc vel expediebat, vel necesse erat. Ac venditio quidem agrorũ atq; domorũ, & facultatũ cõmunicatio, quam isti pseudeuãgelici nunc in monachis improbãt, eò pertinebat, vt discipuli rei

Act. 6.

1. Tim. 3.

Ministeria & instituta ecclesiæ primæ tempora.

1. Cor. 12.

Communicationis facultatum ratio.

familiaris cura vacui, expeditiores essent ad peregrinandum & propagandum euangeliũ per vniuersum orbem terrarum, & vt inde gentibus & sua relinquentibus, vel per magistratum seu tyrannorum iniuriam amittentibus, victus quotidianns suppeditaretur, charitateque illa & sustentatione mutua inuitati homines, plures sese indies eis aggregarent.

Fractionis panis circa domos ratio.

Fractio verò panis siue Eucharistiæ cum orationibus & gratiarum actionibus necessariò domos fiebat, cùm nulla adhuc essent templa & oratoria, nec in publico rectè aut commodè ea fieri posset, ne sacra mysteria impiorum interuentu profanarentur, atque etiam perturbarentur, & cauebatur autem suspitio seditionis aut conspirationis, si ad vnũ locum multitudo subinde conueniret. Posteaquam autem constituta & confirmata est pedetentim ecclesia, cœperũt institui cœtus,

Templa & oratoria cõdita.

& oratoria publica, siue templa, vbi homines non modò doctrinę hauriendæ, verumetiam cultus diuini communiter peragendi, & sacramentorum percipiendorum causa conuenirent. Bona autem sua quisque retinebat, vnde sese cum sua familia, nemini grauis, sustentaret, & in vsus egentium arbitratu suo conferret: cumq; metus eorum amittendorum æquitate magistratuum cessasset, eccle-

sijs

lijs quoq; donari & comparari à pijs & locupletibus hominibus, ipsisque adeò principibus cœperunt, vt non exigui temporis spacio benignitas clauderetur, verumetiã in posterum, quasi fons quidem perennis eius benignitatis manaret, vnde ministri ecclesiarũ iuxtà ac egeni, quique abdicata cura rerum mũdanarum pietatis exercitationi ac diuino cultui sese penitus dedissent, sustentarentur, & sarta tecta sacrarum ædium instaurarentur. Temporaria verò fuisse prima illa instituta, argumento est illud, quòd ea ipsis etiam apostolorum temporibus exoleuerũt. Quod verò domos & facultates suas quisque retinuerit, nec in commune contulerit, & quòd non circa domos, sed certis locis ad eam rem designatis fractio panis peragi paulò pòst cœpta sit, illa Pauli verba ad Corinthios scribens apertè demonstrant: Primùm quidem conuenientibus vobis in ecclesiam. Et paucis interiectis: Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est dominicam cœnã manducare. Vnusquisq; enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nũquid domos non habetis ad manducandum & bibendũ? Aut ecclesiã Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Animaduertis hîc con-

Bona cur ecclesijs attributa.

1. Cor. 11.

Ephes. 4

uentus ad ecclesiam,& suam cuiusque cœnã, domosque,& eos,qui non habent,quique ebrij sunt commemorari? Quæ non sunt consentanea primis illis institutis apostolicis. Proinde euidẽter apparet,ea certa quadã dispẽsatione locis ac tẽporibus definita, ad illã primam siue primitiuam tantùm, non lege perenni ad vniuersam omnium temporũ ecclesiam pertinuisse, quod stolidi quidã existimarũt: Qui eo nomine pro hęreticis damnati sunt. Nõ ꝙ ea seruarẽt, quæ in prima illa Ierosolymitana ecclesia rectè seruata sũt,sed ꝙ nefas esse ducerẽt,homini Christiano ea nõ seruare. Neq; enim religio Christiana tollit ius gentiũ,externarũq́, rerũ publicarũ, quo bonorũ facultatũq́; distinctio & proprietas iam inde ab initio generis humani instituta est. Ostendit tamen id, quod est perfectius, & ad cœlestem vitam accõmodatius,neminẽ eò adigens,verùm blandè inuitans,si quis vltrò amplecti id malit,citra societatis humanę perturbationẽ:vt faciunt monachi. Si vis, inquit Christus,perfectus esse,vade,vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus,& veni, sequere me. Nec isti sanè religiosi historici Magdeburgẽses negãt,ea instituta fuisse temporaria. Quin addũt etiã localia. Quod tamẽ discrimẽ in alijs respuũt. Sic istis quod volũt san-

Gentium iura & instituta non tollit religio.

Consiliorũ euangolicorum ratio.

Matth.19.

Hist. eccl. cent.1. li.2 cap.7.

sanctum est. Non multum autem dissimilis est quorundã ministeriorum ecclesiæ ratio: quæ condendæ quidem ei vtilia, atque adeò necessaria fuerunt, conditæ verò non sunt. Acideo cum ijs ecclesia fuisset vsa initio, authoribut, vt est credibile, apostolis, vel eorũ discipulis, desijt vti posteà. In cõdenda ecclesia opus erat prophetia, virtutibus, gratia curationum, & generibus linguarum, quò homines miraculis humanam virtutem superãtibus ad nouam diuersamq; ab ea, quam imbiberant, religionem & ecclesiam allicerentur, & quasi attraherẽtur. Quibus fideles iam opus non habent. Etenim fides, quæ est religionis Christianæ fundamentũ, sicuti miraculis in animos hominũ insinuatur, ita si ijs semper innitatur, non modò non accipit incrementum, sed languescit etiam: perinde atq; infantes, aut diuturno morbo afflicti, initio quidẽ adminiculis quibusdã innitẽtes, gradiẽdi vsum sibi cõparant. At vbi cõpararint, impedimenta eis fiunt, quæ prius fuerũt adminicula. Sic igitur confirmata fide, neque prophetarum, neq; virtutum & miraculosarũ curationum, atq; linguarum vllus iam ferè vsus est in ecclesia, quæ depositum à domino per apostolos & apostolicos viros, non sine signis & miraculis sibi traditũ, custodit. Pro-

Ministria quædã nascẽti tantũ ecclesiæ data.

Miraculorum ratio.

inde non humano consilio, verùm diuina voluntate ea cessarunt ministeria, Deo gratiam ad ea peragenda subministrare desinente, cũ & linguarum peritia & interpretatio sermonum studio, doctrinaq; in constituta iam, ac per orbem terrarũ propagata ecclesia rectè comparari queat. Tametsi prophetæ futurorum prænuncij, & virtutum atque miraculorum patratores ne posterioribus quidẽ temporibus defuerunt ecclesiæ; quando aliqua in gente (barbara præsertim) primùm plantabatur fides, & condebatur ecclesia, vel vacillans confirmatione diuinitus dignabatur. Quod quidem ex historijs ecclesiasticis facilè est demonstrare. Nec hodie desunt apud Indos, ac noui orbis populos: apud quos nũc longè lateq; propagatur Christiana religio: Et ea quidem non qualem Lutherus, Caluinus, Seruetus, Gentilis, & horum similes alij euangelici nostro æuo è tenebris (quod ipsi non diffitentur) eruerunt, sed qualem nos iam inde ab apostolorum temporibus in ecclesia catholica retinemus & conseruamus. Quæ in nouella illa plãtatione prophetijs etiam & miraculis confirmatur: Quanquam isti ea vaticinia & miracula, vel falsa & commentitia esse cauillantur, vel dæmonum virtuti adscribunt, impudenter & impiè digitũ

Dei

Dei blasphemãtes, propterea quòd ipsi, quãuis conentur nonnunquam, nihil eiusmodi efficere possint, quo comprobent verum id esse verbum Dei, quod cœcutienti per tot secula, quemadmodum ipsi contendunt, ecclesiæ obtrudunt. Cæterùm, vt ad rem redeam, ea ministeria, quæ non modò condendæ, verumetiam gubernandæ & conseruandæ ecclesiæ accommodata sunt, manere debuere, manẽtque perpetua succedentium sibi inuicem ministrorũ cõtinuatione: quandoquidẽ perpetuo vsq; ad consumationem seculi durare debet ecclesia, supra solidam petrã ædificata. Manent igitur etiam nunc in ea pastores ac doctores: Manent prophetę, nõ futurorum quidem prænuncij, sed interpretes sacrorum sermonum. Manent diaconi. AVL. At non manent apostoli & euangelistę. MO. Sed manent concionatores presbyteri: Manent successores apostolorum episcopi, eandem in gubernanda duntaxat, non etiam in condenda & in formanda ecclesia, neque in verbi Dei, ac dispensationis Christi testimonio authoritatem obtinentes. Apostoli enim oculati fuere testes, & omni exceptione maiores. Hi non item. Apostolis dictum est: Ite in orbem vniuersum. Episcopis verò: Propterea reliqui te Cretę. Et, Rogaui te vt remaneres

Ministeria ecclesiæ perpetua.

Episcopi quatenus sint apostolorum successores.

Act.20. neres Ephesi. Illis: Prædicate euangeliũ omni creaturæ: His: Attendite gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit, regere ecclesiam Dei.

2.Cor.4. Omnibus autem simul: Sic nos æstimet homo, vt ministros Christi & dispẽsatores mysteriorum Dei. Ea verò ministeria tribus ferè ordinibus, nẽpe episcoporũ, presbyterorũ ac diaconorũ, continẽtur. Nuncupanturq; ij sacri ordines & ecclesiastici, ad imitationem eorũ ordinũ, qui sunt in ciuitatibus & rebus-pub. sensu, genere, aut moribus, officijsq; distincti. Habent sanè & ipsi suas quiq; dignationes, & peculiares, easq; sacras, & sacris addictas functiones. Quarũ potestas sacris quibusdã initiationibus confertur, semelq; collata non amittitur. Et certo autẽ ordine in ijs ministerijs quasi per gradus quosdã ab imis ad summa conscenditur. Vnde & Paulus de

Ordines sacri.

1.Tim.3. diaconis scribens: Qui enim, inquit, benè ministrauerint, gradũ bonum sibi acquirẽt: Nimirũ ad altiorem ordinem, præstantioraq; ministeria. Absit enim, vt ea cuiuis indiscriminatim pateant, & vt alius hodie sit episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: Quod in sui tẽporis hæreticis notat Tertullianus: Quos etiam laicis sacerdotalia munera iniungere, atq; adeò mulierculas quoq; ea vsurpa-

Tertul. de præscript. aduersus hæret

paremmorat. Quod itidē fit apud istos pseu deuāgelicos. Cyrillus quoq; Alexādrinus, vt est apud Nicephorum in hist eccl. ita scripsit ad Atticum Constantinopolitanum episcopum: Aut enim professione nostra indignū est, vt sacerdotij nomen nihil esse, & rem ipsam communem omnibus esse (quæ tamen eis solis, qui ad eam vocati sunt, asseruata est) dicamus: aut si magnum quiddam est, quod sacerdotalem functionem à populi multitudine dirimit, non miscenda, quæ misceri non possunt, sed eorum quæ diximus, quoduis in ordine suo conseruandum, & honore debito cohonestandum nobis erit. Quod autem hîc scribit Cyrillus de sacerdotio, itidē de cæteris quoq; sacris ministerijs accipiendum est. Quemadmodum pat et ex ijs, quæ dudum è Tertulliano recitaui. AVL. Atqui Tertullianus lectorum quoque facit mentionem: Cyrillus autem sacerdotij. MON. Quid ni? Ac de sacerdotio quidē paulò pòst', Lectorum ordo peculiaris est inter eos, qui minores vocātur. AVL. Quid? Sunt´ne etiam alij præter eos, qui dudum abs te enumerati sunt? MO. Sunt hypodiaconi siue subdiaconi, acoluthi siue acolyti, exorcistæ, lectores, & ianitores siue ostiarij. AVL. At horum mentionem nullam facit Paulus, neque sacra scriptura

Nice. hist. eccl. lib. 14 cap. 27.

Tertul. de præscript. hær. *Ignat. ad Antioch.* *Clem. ep. 3.* *Cornel. ad Fab.* *Euſ. lib. 6. cap. 3. hiſt. eccl.* *Ca. ad Fel. Apoſt. cā. 8. 42 et 43* *Laod. concil. cap. 21. & 24.* *Carth. 4. conc.* *Clerici.* *Ordines maiores & minores.* *Miniſteria eccleſiæ poſterioris*

tura omnino. MON. At faciunt, Tertullianus, Ignatius, Clemens Romanus, Anacletus, Cornelius, & Caius, martyres apoſtolicis tēporibus proximi, atque adeò ipſi quoque apoſtolorum Canones: Et aliquātò pòſt Laodicenſe, & Carthaginenſe quartum Cōcilia. Nicænum autem & Chalcedonenſe eos omnes vnà cū ſuperioribus vno nomine clericos appellat, quaſi in ſortem Dei vocatos, (quamuis id Caluinus admordeat) eò quod peculiariter cultui diuino, & vſibus eccleſiæ eius dedicati ſunt, indeque habent ſua ſtipēdia, quibus ſuſtentantur. Sed hi minores, illi maiores, & ſacri ordines peculiariter appellantur, propterea quòd maioribus & ſacratioribus præditi ſunt miniſterijs, & ſacratioribus autem ritibus conferuntur. Hypodiaconi tamen poſterius è minoribus ordinibus ad maiores translati ſunt. Verùm his de rebus alius erit fortaſsis aptior differendi locus. Quæres forſitan, vnde nobis exorti ſint Abbates, archimandritæ, præpoſiti, decani, archipresbyteri, archidiaconi, ſcholaſtici, cātores, cuſtodes œconomi, priores, cancellarij, canonici, vicarij, officiales, decani rurales, paroeci, ſiue parochi, ſiue plebani & curati, concionatores, pœnitentiarij ſiue confeſſarij, ſacriſtæ, manſionarij, & ſi qui ſunt alij eiuſ-

eiusdem modi ministeriorum ecclesiasticorum tituli & honores: Qui non ijdem sunt in omnibus ecclesijs. AVL. Sunt´ne etiã hæc ministeria ecclesiastica? an potius partim ociosorum hominum saginæ, partim inanes ambitiosorum honores? MON. Non sunt ordines, sed ministeria annexa ordinibus: sicut nominibus, sic & officijs distincta, & curationes particularibus ecclesijs attributæ. Sunt autem eæ quoque ad vtilitatem ecclesiæ totius institutæ: nempe vt eorum, qui ijs præditi sunt, cura & opera honestius & ordinatius cultus diuinus, & ecclesiastica politia administretur. Quod si qui homines ijs præditi, officium suum non faciunt, vel non norunt etiam, & ad quæstum, vel ambitionem, vel desses ac iners ocium ijs abutuntur, ij rationẽ reddent pro se Deo, cum ijs pariter, qui talibus ea scientes imponunt & conferunt, & incessantes & abutentes non animaduertunt. AVL. Etiam´ne hæc ministeria ab apostolis instituta sunt? MO. Non ausim hoc affirmare. Non enim omnia statim potuerunt apostoli constituere, inquit Epiphanius. Non requirebat ea fortasis in paucitate hominũ nascens etiam tum ecclesia. Cùm autem ea longè lateque propagata esset, fuerunt ei nõ modò vtilia, verumetiam necessaria. Quem-

Epiph. cõtra hæres. lib. 3. tom. 1

admodum magnæ ciuitates, exercitus, ac regna, pluribus opus habẽt magistratibus & administris, q̃ singulæ domus, vel oppida, vel paruæ copiæ, vel angustiores deniq; principatus. Potuere tamẽ ex ijs nõnulla successu temporis crescẽte ecclesiarũ amplitudine, etiam ab apostolis instituí, Apostolica quidem authoritate ea quoque instituta esse credendũ est. AVL. Quam tu mihi apostolicam authoritatem narras? MON. Illam, de qua scribit Paulus ad Titum episcopum: Huius, inquiẽs, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, vel quasi corrigendo superaddas (Hoc enim significare videtur græcum verbum ἐπιδιορθώσῃ) & constituas per ciuitates presbyteros. Vbi cùm facit ei potestatem ea, quæ desunt, ad ordinem videlicet & exactiorem politiam ecclesiasticam, corrigendi, vel ea, quę ab ipso siue alijs apostolis prius instituta fuere, superaddendo corrigendi, an nõ videtur eo ipsi authoritatẽ cõcedere alia quoq; ministeria ad vtilitatem ecclesię instituendi? Quin addit is disertis verbis: Et constituas per ciuitates presbyteros. Est autem generis nomen presbyter, quod complures partes officijs distinctas complectitur, sicut & prælatus vulgò, quod multis ex ijs, quos dudum enumeraui, commune est. Vtrunq; enim eminentiam quandam & ho-

Episcoporum authoritas in instituendis ministerijs ecclesiasticis.

Tit. 1.

Presbyter.

Prælatus.

horatam curationem significat, quæ non est vnius modi: nec in magno numerosóq, cœtu hominum ab vno præstari rectè potest. Cóstat sanè apostolicis etiã tẽporibus cõplures fuisse presbyteros & ministros in singulis ecclesijs, amplioribus prẽsertim & populosioribus. Lucas quidẽ scribit, à Paulo conuocatos esse presbyteros Ephesinæ ecclesiæ. Est autẽ Act. 20.
verisimile, licet oẽs ij cõmuniter presbyteri vel diaconi dicerẽtur, diuersis ac distinctis muneribus eos fũctos esse, Aliter enim non decenter, neq; ordine, secundũ Pauli præceptũ, fierẽt omnia. Non vnũ aũt esse officium presbyterorũ, vel ex illis Pauli verbis rectè colligitur: Qui benè præsunt presbyteri, du- 1. Tim. 5.
plici honore digni habeantur, maximè qui laborãt in verbo & doctrina. Cur enim diceret eos maximè honore dignos habendos esse, qui laborãt in verbo & doctrina, nisi in alijs ministerijs laborarẽt, & aliter præessent alij? Proinde nihil prohibet existimare, illa quoque, quæ dudũ enumeraui, ministeria presbyterorum, & nonnulla diaconorum ordinibus & nominibus esse comprehensa. Non nisi à presbyteris enim, vel diaconis, vel hypodiaconis duntaxat ea rectè geruntur. Et sunt certè ad vtilitatem ecclesiæ instituta, vt horum ministrorum alij partium quarundam ecclesiæ, & hominum, alij cultus di-

uini, alij locorum aut rerum cultui diuino, & vsibus ecclesiæ dedicatarum curam gerant. Et elucent in ijs perspicuè illæ gratiarum, ministrationum, & operationum diuisiones, de quibus Paulus: Quæ omnia Deus, vnusq; & idem spiritus operatur in omnibus, diuidēs singulis prout vult ad vtilitatem: nimirum ecclesiæ. Esset autem longum & operosum eas vtilitates & functiones singulorum describere. Et indicantur eæ ferè ipsis nominibus. Archipresbyteri enim & archidiaconi reliquo presbyterorum diaconorumq; cœtui, scholastici scholis, custodes suppellectili ecclesiasticę præsunt, cantores, vt concinnè canatur, obseruare debent. AVL. Quid monachi & monachæ? Sunt ne etiam ministri ecclesiæ? MON. Monachorum nomine vulgò censentur, quicunque ad perfectiorem vitam contendentes, diuinoque cultui sese dedicantes, vltrò solenni voto alienæ potestati se subdunt, proprij peculij possessione se abdicant, & perpetuam continentiam profitentur. Eorum autem duo sunt genera: Alterum eorum, qui verè id sunt, quod dicuntur, hoc est, solitudinis & solitariæ vitæ sectatores: Alterum eorum, qui in vrbibus & in vicis conuentus frequentant. Ipsi se religiosos dici malunt. Ac priores quidem illi, quā-

Monachi an sint ministri ecclesiæ.

Monachorum duo genera.

diu

diu sparsim,& in desertis ac solis locis degebant,ac soli contemplationi rerum diuinarũ & laudationi dei vacabant,aut etiam laboribus manuum operam impendebant, nõ sunt habiti inter ministros ecclesię & clericos,sed medij inter eos & plebem. Habebant tamen ferè moderatorem presbyterum. Nunc ij sapientissimorum virorum, eximiorumq; religionis & pietatis cultorum (quales fuêre Benedictus & Basilius) opera & consilio in cœtus redacti, sacris ferè initiantur,Deoque propitiando & laudando imprimis addicti sunt,aliarum curarum vacui. Religiosorum autem conuentus nihil sunt aliud,quàm collegia clericorum ministrorumque ecclesiæ, qui quò commodius & expeditius Deum colerent,episcoposque & alios curatores ecclesiarum in ministerijs ipsorũ adiuuarent, certam aliquam & communem viuendi regulã cum peculiari vestitu, quo dignoscantur ab alijs, ad præscriptum cuiuspiam præstantis pietate viri,verbi gratia,Augustini,Dominici,vel Francisci,solenni professione amplexi sunt. Eos dubium non est,inter ministros ecclesiæ accenseri,licet nõnulli ex ijs,quos laicos vocant, in profanis & vitæ degendæ necessarijs ministeris reliquo cœtui subseruiãt, Qui etiam Laici vocantur. Habent autem v- *Religiosi.*

triq;

triq; ij Monachi suos præsides, qui abbates, præpositi, ministri, custodes, prouinciales, priores appellantur, subiectos Episcopis, secundum canones ecclesiasticos. Hæc itidem pleraque omnia de virginibus quoque & viduis ad eundem modum diuino cultui mancipatis intelligenda sunt : Olim quidem etiam Diaconissæ & viduæ peculiaria habuere munera, in ecclesiæ ministerio. Habes de monachis ac de ministris ministerijsq; ecclesiæ. Ex ijs autẽ ministerijs quædã nuda sunt ministeria, cuiusq; modi potestatis expertia. Qualia sunt diaconorum & inferiorum ordinum, monachorum, & eorum, quæ vulgò simplicia sacerdotia siue beneficia vocantur. Quædam curationes sunt sine potestate ferè & ipsæ, aut certè sine iurisditione. Qualia sunt, Custodum, Cantorum, Cancellariorum, & nonnullorum aliorum prælatorum officia: Quæ personata & personatus vulgò vocant. Quæ verò Dignitates vocantur, & curata, ea adiunctam habent potestatem. Vt sunt Abbatum, præpositorum, decanorum ministeria. Et in summa presbyteri & episcopi munera sine potestate aliqua in homines, vel in res exerceri nequeunt. Vtrosque certè præesse sacra scriptura testatur.

Monachæ.

Ministerio rũ ecclesiæ discrimen.

Ministeria nuda.

Cum potestate & nuda.

Personatus

Dignitates

AVL.

AVL. Quid ais? Imò illa quoque duo, & omnia nuda sunt, & esse debent ecclesiæ ministeria, non dominatus aut magistratus. *Præsides ecclesiæ nō domini.*
MON. De dominatu non magnopere tecum pugnabo, si dominatum intelligis tyrannidem, & imperium ad solam dominantis vtilitatem siue libidinem omnia referens. Memini enim à Christo præceptum esse apostolis, Reges gentium dominantur eorum. Vos autem non sic. Vel: Non ita erit inter vos. Quin autē partim curationes, partim magistratus sint magna pars ministeriorum illorum, negari non potest, cùm ad gubernandam ecclesiam pertineant, nec sine magistrando & regendo populos, aut sine potestate & iurisdictione exerceri possint. *Luc. 22. Matth. 20*
AVL. At Paulus neq; hîc, neq; vsquam alibi magistratus eos appellat, sed seruos & ministros Christi atque ecclesiæ. MO. Dabo hoc tibi. Regem quoque seruum vel ministrum Dei. Dei appellat. Ergo ne Rex magistratus non est, nec habet præesse, regere ac præcipere? *Rex seruus Dei. Psal. 2. Sap. 6.*
AVL. Rex quidem minister Dei est: non hominum, vel ecclesiæ. MON. Imò & hominum, siquidem hoc interest inter tyrannum & regem (vel gentilium philosophorum iudicio) quòd hic ad publicam eorum, quibus præest, salutem, ille ad priuatam *Rom. 13.*

su-

suam vtilitatem refert omnia. Qui autẽ propter aliũ est id, qd' est, minister est eius quodammodo, propter quẽ est. Proinde & Christus ipse rex regum & dominus dominantiũ non dissimulat, hominum se ministrum esse, quorum seruandorum causa in mundum venerat factus homo. Ita nihil impedit, eundẽ & præesse, & ministrum eorum, quibus præest, non modò dici, verum etiam esse. Audiuisti iam, ministros ecclesiæ, qui itidem Dei quoq; ministri sunt, propter ordinem & politiam esse in ecclesia. AVL. At eum ordinẽ politiamque docendo, admonendo, consolando, & sacramenta rite administrãdo, non regendo ministri ecclesiastici perficere tuerique debent. MON. Sic Anabaptistæ, & Lutherani nonnunquam dictitant. Verùm vbi hoc dicit scriptura? Quandoquidem isti nihil præter scripturam recipiunt. AVL. An nõ scriptura est? Reges gentium dominãtur eorum. Vos autem non sic. MON. Hęc verba, vt tibi dem ad solos ecclesiasticos præsides & ministros pertinere (quod possem non facere) non adimunt tamen ijs regimẽ legitimũ, & præcipiendi, iuris dicendi, & coërcendi authoritatem. AVL. Hoc tibi probandum est. MON. Sequentia mox Christi verba apud eosdem Euangelistas non malè id probant.

Matth. 20
Luc. 22.

Potestas et authoritas ministrorũ ecclesiæ

Apud

Apud Matthæum quidem dicit: Scut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Apud Lucam verò: Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat. Vtrobique sanè ipse se in exemplum ministrandi ponit discipulis, quos ecclesiæ ministros cõstituit, quemadmodum paulò antè dixi. Et tamen apud Ioannem idem dicit: Vos vocatis me magister & domine, & benè dicitis. Sum etenim, Domini autem & magistri est præesse, regere, & præcipere. Et præcepit is discipulis cum alia multa, tum illud: Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicem. Et vendentes atque ementes in templo eiecit: mensas numulariorum subuertit, & æs effudit. Vides potestatem & authoritatem eius, qui negabat se venisse, vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret? Dicit autem alibi apostolis: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Quid autem sibi vult illud, quòd idem apud Lucã statim post illa verba (Non sic erit inter vos) subiungit? Sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. An non apertè indicat, esse in ecclesia, imò inter ipsos ecclesiæ ministros apostolos, maiores & præcessores? Sed eos ita præesse, & ita componere sese vult, vt ad eorum, quibus præsunt, perinde ac iuniores ad seniorum mi

Matth. 20. Luc. 22. Ioan. 15. Mar. 11. Ioan. 2. Ioan. 20.

ministri & serui ad dominorũ suorum vtilitatem omnia referant. Paulus etiam commendat Thessalonicẽsibus eos, qui ipsis præsunt in domino: Quo verbo adiecto testatum facit, de ecclesiasticis, nõ de profanis & ciuilibus præsidibus & magistratibus se loqui. Hi enim cùm essent alieni tunc à religione Christiana, nõ in domino præerãt. Quid aũt dicit idem Paulus, cur hæc ministeria dedit Christus in ecclesia? Iam dixi: Ad consumationẽ sanctorũ: Et, vt mittã intermedia, Vt iam non simus, inquit, paruuli fluctuãtes, & circũferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominũ, in astutia, ad circũuentionẽ erroris. Hoc est, ne astu nequam hominum & seductorũ circumueniamur, & in omne genus falsæ & erroneæ doctrinæ quasi vi & impetu ventorum differamur. Possunt´ne autem hæc perfici sine authoritate & regimine, quod fluctuationem quidquis pro vera doctrina arripientis vulgi sistat, & licẽtiæ seductorũ frena injiciat? Quid autem dices de eo, quod idem Paulus ad Corinthios scribens, inter cætera Ecclesiæ ministeria gubernationũ quoq; facit mentionẽ? Quid aũt de eo, quod pastores quoq; ibi enumerat? aut q̃ scribit Petrus de presbyteris, obsecrãs eos, vt pascãt gregem Christi? AV. Pascãt, sed nõ regãt. Addit enim: Non

1. Thess. 5.

Cur ministeria sint in ecclesia.

1. Cor. 12.

1. Pet. 5.

Pascere, regere.

Non dominantes clero. MO. Iam dixi aliud esse regere, quàm dominari. Quid autẽ quæso aliud est pascere, præsertim, quãdo ad rationẽ vtẽtes animãtes refertur, quàm regere? Quod nõ modò ex Homero, & alijs poëtis ac scriptoribus ethnicis, verumetiã è sacra scriptura euidẽter probari potest. quale est illud de Dauide: Tu pasces populũ meum Israel, 1. Reg. 5.
ait Deus. Et mox id ipse explanat, addens: Et tu eris dux super Israel. Et alibi ipse Dauid. Pſal. 77.
Elegit (Deus scilicet) Dauid seruum sibi, pascere Iacob seruũ suum. Vides pascendi verbo hîc nihil aliud intelligi posse, quã regimẽ. Dauid sanè non fuit magister & doctor, neque dispensator, aut coquus: sed dux ac Rex populi Israel. Paulus quoq; Ephesi maiores Act. 20.
natu siue seniores & moderatores ecclesiæ alloquens, dicit: Quod spiritus sanctus ipsos in ea constituerit episcopos, vt regant ecclesiã Dei. Vbi Græci habẽt pascendi verbum, quod cũ verbis Petri congruit. Hieronymus quidẽ, seu quisquis author est vulgatæ translationis noui testamenti, vnum atque idem verbum ποιμάινειν, à quo ποίμενες pastores dicuntur, apud Petrum quidem pascere, in Actis verò apostolorum regere interpretatus est, illud innuens, pascẽdi munus in ecclesia non esse aliud, quàm regendi.

Sed quid verbis opus est in re manifesta? Paulus Tito episcopo præcipit, vt loquatur, exhortetur, & arguat subiectos sibi populos cũ omni imperio. Timotheo quoque itidem
Tit. 2.
1. Tim. 5. episcopo præcipit, non modò vt doceat, verumetiam vt præcipiat. Aduersus presbyterum accusationem ne recipiat, nisi sub duobus vel tribus testibus: & peccantes coram omnibus arguat, quo cæteri timorem habeant. Vides iurisdictionem & potestatẽ coërcendi in recipiendis accusationibus, & arguẽdis peccantibus. In principio autem epistolæ
1. Tim. 1. scribit, propterea eum se reliquisse Ephesi, quò denunciaret, siue, vt Græci habent, præciperet quibusdam, ne aliter docerent, & cęt. Et infrà de episcopis scribens: Si quis autem, inquit, domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam siue curam habebit? hoc est, quomodo reget ecclesiam Dei?
Heb. 13. Hebræis etiam præcipit, vt obediant præpositis suis. Nec de alijs ibi sermo est, quàm de ecclesiasticis. Addit enim: Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Quod est ecclesiasticorum magistratuum proprium. Nemini autem nisi præcipienti obeditur. Porrò de seipso ad Corin
1. Cor. 4. thios ita scribit: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?

nis? Cernis hîc virgam potestatis atque coërcionis? Et in altera epistola. In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Et mox: Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis dominus in ædificationẽ, & non in destructionem vestram, non erubescam. Et aliquantò pòst: Prædixi enim, & prædico vt præsens vobis, & nunc absens ijs, qui ante peccauerũt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. Et mox rursus: Ideò hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundũ potestatẽ, quam dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. Nec verbis modò, verumetiam factis ille eam potestatẽ exercebat. Non solùm enim docuit, arguit, & increpuit, sed etiam asperiori coërcione vsus est, quando Corinthium illum, qui nouercam duxerat, tradidit Satanę in interitum carnis: Himenæum item & Alexandrum hæreticos: Elimam verò magum cæcitate percusit. Petrus item Simonem magum non tantùm increpuit, sed etiam ex ecclesia eiecit, quemadmodum priùs dixi: Ananiam verò & Sapphiram mortis supplicio condemnauit. Atque adeò Christus ipse, à quo magistratus omnes ecclesiastici ducũt originem, flagello eiecit de templo eos, qui in eo ven-

2. Cor. 10.
3. Cor. 13.
1. Cor. 5.
1. Tim. 1.
Act. 13.
Act. 8.
Act. 5.
Ioan. 2.

debant & emebãt, & numulariorum mensas subuertit, & æs effudit, sicut paulò antè dixi. Animaduertis´ne eum non modò docuisse, sed exercuisse etiã potestatẽ in delinquẽtes?
Matth. 21. Et cũ eũ interrogarẽt Iudæi, qua potestate id faceret, nõ obscurè præ se tulit, diuina potestate id se facere. Quã apostolis quoq; diuinitus datã argumẽto est illud, quod Pauli decretum contra Elimam statim cœcitas consecuta est. Ad Petri etiã vocem Ananias & vxor eius expirarunt. En habes executionem decreti apostolici, non ab homine factam, sed ab ipso Deo, quo certius & maiore efficacia sanciret potestatem præsidum ecclesiæ, non aliundè quàm à se profectã, vt eam homines timerent: & quò iam tum redargueret hæreticos futuros, qui nostro tempore eam scripturarum antiquitatisq; testimonijs, partim ineptè, partim mendaciter productis, abrogare & euertere nituntur: indignumq; facinus clamitant, quando ministri ecclesiæ decretorum suorum executionem à magistratibus ciuilibus, principibus, regibus & imperatoribus postulãt, cùm Deus ipse rex regũ & dominus dominantium non sit dedignatus eam peragere. Quid illud? Nullius´ne potestatis & authoritatis tibi esse videtur, quod vsurpant apostoli & seniores siue presbyte-

ri

in Actis apostolorum in definienda controuersia inter fideles exorta? Visum est spiritui sancto & nobis, &cæt. AVL. Faceor. Oportet aliqua potestate & authoritate præditos esse ministros ecclesiæ, si ordo ac certa politia in ea conseruari debet, modò vt ij moderatè ea vtantur, nec fines suos transgrediantur. MON. Fit hoc nonnunquam (vt est hominũ ingeniũ ægrè continens se intra fines à natura, nedum à legibus præscriptos) vt ministri & magistratus ecclesiastici modũ non seruent in exercẽda potestate sua. Quod quin corrigatur nihil prohibet. Sed sæpè fines ecclesiasticæ potestatis etiam profani siue seculares inuadunt, & in eius functiones sese ingerunt, & ad extremum iam etiam iudicium de doctrina & hæresi, quod maximè proprium est episcoporum, impudenter sibi arrogant. Esset autem consultius, vt suo quisque officio fungeretur, aliena ne appeteret. Sed reijciamus hoc in alium locũ. Hîc nunc satis sit ostendisse, quòd non adimat verbum Dei ministris ecclesiasticis regimen & imperium, imò magnam etiam potestatem & authoritatem eis tribuat. Atq; ea partim in res, partim in homines exeritur. In res quidẽ est, docendi, sacra conficiendi & peragẽdi, sacramentaq; administrandi authoritas, verbo

Abusus potestatis.

Potestas ecclesiastica.

dei non quibuslibet ministris, sed solis col-
Iudiciaria potestas plex. lata episcopis & presbyteris. In homines verò iudiciaria potestas. Atq; ea duplex: Quarũ altera quidem in foro conscientiæ, sicut loquuntur theologi, in remittendis & retinendis peccatis versatur, & spiritualis appellatur: Altera externa, & in foro iudiciario, siue contentioso in inuitos etiam exercetur. De
Matth.18. hac dicit Christus apud Matthæum ad discipulos suos: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. De illa apud Ioannem:
Ioan.20. Accipite spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. AVL. Atqui vtrobiq; de vna & eadem re loquitur: nempe de remissione peccatorum. Quo enim alio, quàm peccatis, ligatur homo? Quemadmodum &
Prou.5. sapiens Solomon scribit. Funibus, inquiens, peccatorum constringitur peccator. In his autem funibus soluendis aiunt isti nudum esse ministri ecclesiæ ministerium. Nimirùm ex euangelio pronunciare, ligatum esse quem-
Euangelicorũ error de potestate ecclesiastica. piam, vel solutum, siue remissa esse cuipiam peccata, vel retenta à deo, cuius est solius peccata remittere. MO. Ita quidem ferè pseudeuangelici isti dictitant: Sed sine authori-

ritate, imò verius contra authoritatem sacræ scripturæ, ad quam semper prouocant. Nec vnum hîc est peccatum eorũ. Primùm enim peccant in eo, quòd cùm Christus in genere dixerit: Quæcunque alligaueritis, & quæcunque solueritis, ipsi de solorum peccatorũ ligatione & solutione id volunt intelligi. At Christus non Quemcunq;, sed, Quæcunque, dixit: Nec de solis autẽ peccatis illud ipsum, Quæcunq; alligaueritis, & quæcunq; solueritis, intellexit. Sicut & alibi, cùm diceret de pharisæis: Alligant enim onera grauia & importabilia super humeros hominũ. Itemque: Qui ergo soluerit vnũ de mandatis istis minimis. Deinde verò, vt maximè de sola peccatorum ligatione & solutione illa Christi verba intelligantur, alia certè vincula, & alios funes, quàm peccata esse oportet, quibus minister ecclesiæ ligat quempiam. Absq; ministro nanque, ipsis peccatis suis ligatur siue constringitur peccator, quemadmodum tu ipse dudum è prouerbijs recitasti. Quibus autem vinculis minister eum ligat, ijsdem etiam ligatũ soluit. Ex aduerso enim hæc duo sibi inuicem respondent. Non igitur ad solã & nudam retentionem & remissionẽ peccatorũ ligatio illa & solutio referenda est, sed latius patet, iurisdictionem, ac potestatẽ iu-

Ligare & soluere.

Matth. 23.

Matth. 5.

bendi ac vetandi, definiendi ambigua, coërcendi delinquentes, & relaxandi coërtionem complexa. Qua iam inde ab initio in ecclesia rectè vti potuisse, & vsos esse apostolos & alios præsides ecclesiasticos, paulò antè citatis scripturarum sacrarum testimonijs, cõstat. Sed ea posteà fusiùs explicabitur. Postremò falsum est & iliud, quòd isti negant, ministros ecclesiæ verè peccata remittere, & retinere, sed pronunciare tantũ ex euangelio, remissa ea esse, vel retenta. Atqui disertis verbis quę mentiri nescit veritas, dixit: Quorum remiseritis peccata, & quorum retinueritis. Negant autem isti à verbis euangelij discedi oportere. Nec sanè vsquam in euangelio reperias, vbi mihi, vel tibi, vel cuipiam nominatim remittantur aut retineantur peccata (præter eos, quibus Christus ipse tunc præsentibus remisit) vt satis esse queat, ea verba nobis à ministro recitari. Sed apostolorum, & eorum, qui in eorum loca successerunt, iudicio id permisit Christus, qui remittant, vel retineant, ad præscriptum tamen euangelij: Quemadmodum & magistratus ciuiles secundum leges iudicant, reosque vel puniunt, vel absoluunt. Cui autem iudicium rei cuiuspiam committitur, confertur etiam necessaria ad id potestas, au-

Peccata ue rè remittũtur à ministris.

uthoritas,& iurisdictio. Ac diuina quidem est ea potestas, vel secundum scribas & pharisæos: sed summa Dei benignitate etiam hominibus communicata, non solùm eorundem Iudæorum opinione, quos scribit euangelista Matthæus,glorificasse deum, quòd talem dedisset potestatem hominibus, verùm Christi ipsius dei ac domini nostri asseueratione, qui quã accepit à Deo patre potestatem,eam discipulis etiam suis impertitus est. Quam etiam, itidem vt illam externam, exeruerunt non solùm ipsi, sed etiam successores ipsorum omnium temporum episcopi & presbyteri, ab illis quasi per manus acceptam, magna promissi diuini fiducia: Atque etiamnum exerunt,& exerent deinceps quoq; frustrà oppugnantibus portis inferorũ dæmonibus, & eorũ satellitibus priscis ac nouis hæreticis. AV. Est´ne discrimẽ aliqd inter episcopũ & presbyterum, nõ dico honoris,sed functionis & officij? MO. Peropportunè istud quæris. Est enim ad id, qd de potestate politiaq; ecclesiastica dicendũ supereſt,scitu necessariũ. AVL. Gaudeo. Intereſtne igitur inter eos aliquid. MO. Negãt pseudhistorici Magdeburgen. & oẽs ferè pseudeuangelici. Negauit etiam olim Acrius hæreticus. Quin diuus quoq; Hierony. scribit, *Mar. 2.* *Matth. 9.* *Ioan. 20.* *Episcopos & presbyteros non esse.* *Cent. 1. lib. 2. cap. 7.* *Hierony. in ca. 1. epist. ad Tit. & ad Euagr.*

bit, ab initio nascentis fidei eundem fuisse presbyterum & episcopum, & antequàm diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, & ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesias esse gubernatas. Postquàm verò vnusquisq; eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi in toto orbe decretum esse, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quē omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatū semina tollerentur. Hieronymum in eo secutus est nostra ætate Erasmus Roterodamus: cuius hoc fuit studium in theologia, vt quæ rara essent ac singularia consectaretur, recepta fastidiens, ita vt nonnunquam cum hæreticis, quàm cum ecclesia sentire mallet. Sed non est necesse omnia excutere, ne sim prolixior. Illud quidem satis constat ex euāgelijs, Lucæ præsertim, alios fuisse à Christo designatos apostolos, quorum loca episcopi detinent, alios septuaginta duos discipulos, in quorum loca presbyteri successerunt, & aliter atq; aliter missos. Ex actis etiam apostolorū multis in locis apparet, maiori authoritate fuisse prędītos in ecclesia apostolos, quàm illos alios discipulos: præsertim quādo apostoli in locum Iudæ proditoris alium surroga-

Eras. Rot. studium.

Eras. in annot. in nouum Test.

Lu. 9. et 10

Act. 1.

garunt è numero discipulorum. Quod sanè operæ præciũ non fuisset, si idẽ munus fuisset vtrorumq;. Extant etiam canones apostolorum à concilijs prouincialibus & vniuersalibus recepti & approbati, è quibus deprehenditur, non modò nomina, verumetiam ordinationem, authoritatẽ, & functiones episcopi & presbyteri diuersas esse, temporibusq́; apostolorum fuisse. Et apparet id luce meridiana clarius, ex ipsis etiam scriptis apostolicis. Episcopo dictum est, vt constituas per ciuitates presbyteros: Presbyterum ne increpaueris: Aduersus presbyterum accusationẽ ne recipias, nisi sub duobus vel tribus testibus. Presbytero de episcopis nihil eiusmodi præceptum est. Confirmant idem Dionysius Areopagita Pauli discipulus, Clemens, Ignatius, & Anacletus, Petri non modò discipuli, sed etiã successores: Damasus item & Chrysostomus, & Epiphanius, & multi alij vetusti ac sancti patres. Quin ipse etiã Hieronymus, quemadmodum recitaui modò, fateri videtur, viuẽte adhuc Paulo apostolo (tunc enim schismata in ecclesia exoriri cœperũt, vt alius Pauli, alius Apollo, alius Cephæ se esse diceret) alios fuisse episcopos à presbyteris: & quidem totius orbis decreto factum id esse ait, ita vt ea munera, si non Christi ipsius, certè

Can. apost. Sexta & septima syno. uniuer.

Dion eccl. hier. cap. 4 & 5.

Cle. ad Iac. & recogn. lib. 3.

Ignat. ad Smirnen.

Anaclet. epist. 2.

Dam. ad episc. Afric.

Chrys. ad Philem. hom. 2.

Epiph. aduers. hær. lib. 3. tom. 1

tè apostolorũ institituto distincta esse videantur. Promiscuè quidẽ vtuntur his nominibus sacræ literæ citatæ ab Hieronymo: sed intelligendũ est, nominũ eã fuisse cõmunitatẽ, non etiã munerũ & functionũ. In rebus enim notis, cũ vel nouis vtendũ esset nominibus, vel vsitatis quidẽ vulgò, sed deflexo nõnihil ab vsu cõmuni sensu, & ad rẽ præsentẽ accõmodato: hoc maluerũt apostoli. Itaq;, cũ in nouã repub. hoc est, in ecclesia nouos ij magistratus & curatores instituerẽt, qui præessent reliquæ multitudini, partim presbyteros, hoc est seniores, siue maiores natu, non tã ab ætatis, q̃ ab honoris & authoritatis, quæ ætatem plerũq; cõsequitur, prærogatiua, partim episcopos, quasi speculatores & curatores, sumptis de medio vocabulis, eos appellarũt, ijsdẽ nominibus indiscriminatim primùm vti sibi permiserũt, cùm & episcopus nemo sit, qui nõ idẽ sit presbyter, & presbyteri præsint & ipsi multitudini siue ecclesiæ, curãq; eius gerãt, & multa habeãt cõmunia cum episcopis. Proinde Petrus, dùm presbyteros hortatur, vt pascãt gregẽ Christi, qui sit in ipsis, presbyterorũ nomine episcopos etiã complectitur, imò se quoq; ipsum in numero eorũ ponit. Paulus verò & Lucas cõtrà, presbyteros appellãt episcopos. Quin vtriq;, nẽpe & presbyteri

Nominum vsurpandorum ratio.

Presbyter unde dictus

Episcopus unde.

1. Pet. 5.

Phil. 1.

Act. 20.

teri & episcopi, nonnunquã etiã diaconi, hoc est ministri, vocabãtur, quãuis haberẽt vtriq; nõ nudũ ministeriũ, sed cum potestate & authoritate coniunctũ, & alius autẽ esset ab vtraq; ordo diaconorum. Itaque idem Paulus scribit: se factum esse ministrum, siue, vt Græci habẽt, diaconũ Euangelij: quãuis esset apostolus. Et Timotheum episcopum admonet, vt impleant τὴν διακονίαν, hoc est, ministeriũ suum. Mox autem ordines hi, sicut iam tunc erant re ipsa & functionibus distincti, quod paulò pòst planũ tibi faciã, ita nominibus quoq; accuratiùs distincti sunt, Christiani populi consuetudine: ita vt presbyter episcopus non vocaretur, licet episcopo presbyteri, sicut functio cõpetit, sic nomẽ etiã cõpetat: cùm ad illum gradũ non nisi per hũc perueniatur. Proinde damnauit ecclesia dogma illud Aërij asserentis, eundem esse presbyterum & episcopum, quemadmodum testificantur Epiphanius & Augustinus. Habent ij tamen, nempe presbyter & episcopus multa inter se cõmunia: vel si mauis adeò, vnum sacerdotij nomen & ministeriũ complura in se complectens munera, ad presbyterum itidem atque episcopum pertinentia. AVL. Mihi verò perplacet, huc te cursu sermonis delatũ esse. Iam dudum enim ex te de sacerdotio

Diaconus.

Ephes. 4.

3. Tim. 4.

Epiph. ad uers. hæres lib. to. 1. Aug. de hæres. cap. 53.

dotio aliquid audire aueo. Nam id repudiãt prorsus noui isti euãgelici, quippe quòd neque à Christo, neq, ab apostolis eius institutum sit, neque primeuæ seu primitiuæ ecclesiæ institutum fuerit, & sit autẽ officio Christi mediatoris repugnans, & meritum crucis eius obscuret. MON. Ita illi quidem dictitant. Sed faslò. Argumenta tamen eorum omnia refellere, non est huius loci. Suffecerit nunc tibi, si ostendero, iam inde ab apostolorum tempore vsitatũ fuisse in ecclesia Christi sacerdotale hominum ministerium. Cùm enim ecclesia, sicut iã ante ostendi, sacra quędam respublica, siue, vt græci dicunt, hierarchia sit, & quemadmodum ait Petrus, regale sacerdotiũ, gens sancta, ad colendum Deũ, & annunciandum virtutes eius, ac bonitate eius fruendum instituta, nullum nomen moderatoribus & administris eius primoribus magis consentaneum imponi potuit, nullũq; est officium conuenientius, quàm sacerdotum: quippe qui legatione quadam Dei ad homines, & hominũ vicissim ad Deum fungantur, vt Deum ipsis, ipsosq; Deo reconcilient, cùm, licet reconciliari semel, in multis tamen, & sæpenumerò offendamus omnes, vt ait Iacobus: & auertamur à deo. Itaq; Paulus se cum collegis suis legatione pro Christo

Sacerdotiũ Christianũ

2. Cor. 5.

Sacerdos mediator.

Iacob. 3.

2. Cor. 5.

sto (ad homines videlicet) fungi scribit. Idēq; sacerdotem pro hominibus in ijs, quæ sunt ad Deum, constitui testatur. Chrysostomus quoq; & Cyrillus Alexādrinus cōuenienter Paulo sacerdotes volūt esse mediatores quosdam inter Deum & homines. Quoniam autē præcipuum sacerdotum munus est sacrificare, ita vt inde etiam nomen accepisse videantur, visum est apostolis initio abstinere eo nomine apud rudem multitudinem, cùm in flore adhuc essent Hebræorum sacerdotes, ne quid commune cum eorum sacrificijs religio Christiana habere existimaretur, cùm Christus in ea longè diuersum sacrificiū instituisset, qd' propalari infidelibus nō oportebat, ne cōtra eius præceptum sanctum daretur canibus, & margaritæ ponerentur ante porcos. Proinde perpetuò catholicæ ecclesiæ more & instituto, iam inde ab apostolorum temporibus etiamnunc excluduntur ab eo, quicunq; baptismo initiati non sunt, etiamsi catechumeni sint, religionēq; Christianam profiteantur. Presbyteri igitur appellabātur, qui eo munere & legatione in ecclesia Christi initio fungebantur, atque etiam episcopi. Posterior sanè ætas, Iudæis cum sua lege, sacerdotio, & sacrificijs exterminatis, Christianismo autem longè lateq; per popu-

Chrys. in Esaiæ uerba hom. 5 & ad Colos. hom. 3.

Cyr. in Leuit. lib. 3.

Sacerdotū nomine cur abstinuerint apostoli.

Matth. 7.

Basil. de spiritu S. cap. 27.

Sacerdotiū & sacrificium Christianum.

los sese diffundente, libentius non solùm sacerdotij, sed & sacrificij, siue oblatiõis nomine vsa est, non de vnico illo, quod à Christo semel in cruce peractũ est, sed de iugi ecclesiæ eius sacerdotio & sacrificio verba faciẽs, quamuis nihil noui instituueret, sed institutis à Christo, & quasi per manus apostolorum acceptis rebus vti se profiteretur. Cyprianus quidem propiciare deũ, sacerdotũ esse munus memorat. Clemẽs etiã Petri apostoli discipulus facit sacrificij, missæq; mentionem. Ignatius item Ioannis, ac Dionysius Areopagita Pauli auditores. Anacletus autem Clementis successor, sacrificij administros sacerdotes & episcopos nominat. Iam qui huic, vno intermedio, successit in pontificatu Alexãder, & ipse itidẽ ac superiores oẽs, martyr, materiam quoque huius sacrificij, panem & vinum aqua mixtum commemorat. Porrò Martialis, & ipse apostolorum discipulus, Burdegalẽses hortatur, vt sacerdotes Dei omnipotẽtis honorẽt, qui vitam ipsis tribuant in calice & viuo pane. Et mox expressiùs sacrificij quoq; mentionem faciens, corpus & sanguinem Christi Deo creatori ab ipsis in vitam æternam offerri, & salutis nostræ causa in ara sanctificata proponi scribit. Iam Achaiæ quoque presbyteri, qui

Cypr. lib. 1 epistol. 3.
Cle. ad Iac. epist. 3.
Ignat. ad Smir.
Dion. eccl. hier. cap. 3.
Anacl. ep. 1. & 3.
Alex. Papa
Mart. ad Burd. ep. 3.

qui nec Andrææ apostoli interfuere, literis mandarunt, vt author est a. Philatetus; Ipsum Andræam Aegeæ proconsuli ad sacrificandũ dijs se cogenti respondisse: Se quotidie Deo omnipotenti agnum immaculatum immolare, qui cùm ab vniuersa fideliũ multitudine manducatus fuerit, nihilominus tamen integer & viuus permaneat. Atque hæc ipsis etiãdum apostolicis temporibus ita obiter de sacerdotio & sacrificio Christiano memoriæ prodita sunt. Iam verò b. Ignatius idem, & c. Cyprianus, itemq; d. Irenæus, & e. Fabianus sancti martyres, & his aliquantò posteriores, f. Eusebius, g. Epiphanius, h. Ioã. Chrysostomus, i. Augustinus, k. Ioannes Damascenus, nõ modò sacrificij, & administrorum eius sacerdotum apertè faciunt mentionem, verumetiam à Christo in vltima cœna & sacrificium & sacerdotium institutũ, ecclesiæq; per apostolos traditum

a. Phil. c. 39.

b Ignat. Heron.

c. Cyp. de cœna dom. & libr. 1. ep. 9. d. Iren lib. 4. cap. 32 & 34. aduers. hæres. Valent. e. Fab. epist. 2. ad orient. epis. f. Euseb. demon. euan. libr. 1. cap. 10. & lib. 5. cap. 3. g. Epiphan. cont. hæres. lib. 1. tom 2. & lib 3. tom. 2 & ad Ioan. Hieros. epis. h. Chrys. in 2. Tim. om. 6. & in 1. Cor. omil. 24. & ad Heb. om. 17. & de sacerdotio li. 6. cap 4. & de incomp. nat om. 13. & in Matth. omil. 26. & de proditi. Iudæ, & de Eucharist. in encæniis. i August. de ciuitate Dei libr. 10. capit. 20. & libr. 16 cap. 22 & lib 17. cap. 20 & contr. aduers. legis & prophet. lib. 1 cap 20. & epist. 122. & de Trinit. lib. 4 cap. 14. k. Dam. lib. 4. cap. 14.

tum esse affirmant. Cyrillus etiam Alexandrinus patriarcha, apostolos altaris ministros appellat. Nullum est autem aliud altaris ministerium, quàm sacrificiũ & oblatio. Denique vt mittam singulos patres, cùm vetustiores, tum recentiores, conciliũ Nicænũ statuit, ne diaconi presbyteris, & hi qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. Ephesinum etiam primum Cyrilli Alexandrini præsidentis authoritatem sequens: Sanctum, inquit, ac viuificum incruentũq; in ecclesijs celebramus sacrificium, non hominis alicuius nobis similis & communis corpus, consimiliter preciosum sanguinẽ esse, quod proponitur, credentes, sed magis tanquam proprium viuificantis verbi corpus & sanguinẽ accipimus. Citantur etiam à Petro Galatino, & alijs nonnullis, Hebræorum quorundam Rabinorum de hoc ipso iugi Christianorum sacrificio & sacerdotio testimonia: Quæ eò maius pondus habere debent, quòd partim ante Christum natum, partim post, sed ab ijs, qui alieni fuerũt à religione Christiana, sunt prodita. Sed ea omitto. Neque enim de sacrificio & sacerdotio ex professo hîc nobis hodie sermo institutus est. Sed non fuit tamen abs re, cùm de ordine ecclesiæ & politia apo-

Cyril. in Ioan. lib. 12 cap. 5. & 6 & in Leuit. lib. 5.

Nicæ. cõc. can. 44.

Cyr. in declar. anath. 11. & idem cum Alex. synod. & Nest. epis. 10.

P. Gal. de arcã. cath. ueri. li. 10 cap. 4. etc.

apostolica, eiusq; magistratibus & administris episcopis & presbyteris agamus, obiter de sacerdotio, atque ita consequenter etiam de sacrificio pauca commemorare, cùm præsertim hæretici nostri temporis vtrumque id tollere summopere conentur. Et cùm tanta nube testium ex omni antiquitate iam inde ab apostolicis vsque temporibus productorum premantur, ad ea se recipiunt præsidia, partim vt suppositia esse testimonia illa & scripta tam multa, tamque congruentia inter se contendant, partim vt non propriè patres illos sacrificij & sacerdotij nominibus vsos esse nugentur, vt aliquid tamen contrà dicere videantur. Illo solo Donatistarum freti documento. Quod volumus, sanctum est. Quãquam de eo quoque, vt de plerisque variè loquuntur & scribunt, sicut audisti ex me nudiustertius. Libet autem vnicum Lutheri testimonium, quod ibi prætermisi, hîc recitare. Sic igitur scribit is de Melchisedecho in Psalmum 109. Quid verò sibi vult, quòd panem & vinum coram Abraamo obtulit? Significat id Christi sacerdotium in hac vita tẽporanea ad finem vsque mundi, quod is tectum altaris sacramentum sanctissimi corporis & præcioſi sanguinis sui in ecclesia offerat. Audis veritatem per inimicissimi homi-

Lutheri de sacrificio. testimoniũ Lutherus in Psal. 109

nis iugulum erumpentem? Quomodo autē, ô bone vir, Christus hoc sacrificium (Nihil enim refert, sacrificium ne an sacramentum dicas, offerendi verbo vtens) offert? Per seipsum ne? At ascendit is in cœlum, quod oportet eum suscipere vsq; in tempora restitutionis omnium. Tu verò de huius vitæ sacerdotio, ac de altaris siue sacrificio, siue sacramento, & quidem tecto loqueris. Per eos igitur, qui id in hac vita vsq; ad finem mundi ad altare speciebus panis & vini tectum offerūt: Per sacerdotes inquam à se institutos, & ordinatos in vltima cœna: Vbi is & ipse sacerdotio secundum ordinē Melchisedech perfunctus est, & apostolis id, ac per eos ecclesiæ contulit, cùm diceret: Hoc facite in meam commemorationem. Quod quidem non modò ij, quos dudum commemoraui, sancti doctores, verumetiam multi alij, atque adeò vniuersa per omnes ætates Christi ecclesia summo consensu affirmat. Idem est autē hoc sacrificium cum eo, quod in cruce oblatum est, sed aliter tamen peragitur. Ibi enim Christus cruētè & visibiliter propitiationem pro peccatis totius mundi seipsum Deo patri obtulit: Hîc incruentè & inuisibiliter per ecclesiam, quæ est corpus eius, ministrosque eius sacerdotes offertur, non ad repetendam pro-

Sacerdotes à Christo instituti.

Sacrificiū Christi cruentum & incruentū, & suus utriusq;. Hebr. 10.

propitiationem (vna enim oblatione ille cõsumauit in æternum sanctificatos) sed ad illius semel peractæ fructum ijs, qui denuò peccarunt, impertiendum, & gratias agendum de peracta & impertita. Sed hæc accuratiùs persequi non est præsentis instituti. Nos ad nostrum reuertamur. AVL. Ego verò sanè quàm lubens hæc de te audiui. Euangelici enim isti nihil contentiosius vulgò inculcant, quàm nullũ esse apud Christianos externum sacerdotium, nullumque sacrificium, præter id, quo Christus in cruce Deo patri semel seipsum obtulit. Quod verò in templis nostris frequẽtatur vulgari missæ nomine, commentum esse recentiorum, & nihil aliud, quàm idololatriam. MON. Sic istis, verbi scilicet Dei vindicibus, Christus ac Deus idolum est. Neque enim quisquam alius in missa adoratur, quàm Deus: neq; aliud quicquam ei offertur, quàm Christus, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris: nec ab alio, quàm à seipso, (Ab ecclesia enim, quę est corpus eius) eiq; soli salus totius humani generis accepta fertur. Sed nos cætera persequamur: Nisi tibi fortè molestum est. AVL. Non est. Absoluendũ certè est opus inchoatum. Eò res perducta est: Cùm presbyteros & episcopos Christi & apostolorum instituto

Missa an idololatria

in ministerium ecclesiæ datos esse ostenderes, vt alios à presbyteris esse, & fuisse semper episcopos, commune tamen sacerdotij nomen & munus obtinuisse, demonstrares. Reliquum est igitur, vt quod sit inter eos discrimen, edisseras. MON. Probè mones. Verùm illud obiter prius tibi sciendum est, præter sacrificium, esse & alia quædam officia, presbytero & episcopo inter ipsos sacerdotij nomine communia. Cùm enim sacerdos, sequester quidam sit & minister reconciliationis inter Deum & homines, sicut dixi dudum, pro Christo quidem ac Deo legatione fungitur apud homines, doctrinâ salutarẽ diuinamq; voluntatẽ ipsis annunciãs, & beneficia Christi per sacramẽta ab ipso instituta, & benedictiones eis impartiens. Pro hominibus verò constituitur, vt inquit idem Paulus, in ijs, quæ sunt ad Deũ. Quod quid sit, ipse statim explicat, subdens: Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Ac donorum quidem nomine venire gratiarum actiones, & laudes Dei, nemini dubium est, vel mediocriter versato in lectione legis Mosaicæ, vnde hæc deprompsit Paulus. Per sacrificia verò pro peccatis, primùm quidem iuge illud sacrificium secundum ordinem Melchisedech à Christo ecclesiæ relictum, de quo modò locuti sumus,

Sacerdotũ officia.

Hier. in ca. 1. Malach.

2. Cor. 5.

Heb. 5.

Dona offerre.

Sacrificia pro peccatis.

mus, deinde verò etiam orationes sacerdotum, cùm ex eiusdem legis, tum ex Ioannis & Iacobi apostolorũ doctrina accipiendę sunt. AVL. At Paulus cum de oblatione ista dorum & sacrificiorũ pro peccatis loquitur, pontifici, qui idem est, ni fallor, qui episcopus, eam attribuit. MON. Imò sacerdotis ἱερεὺς enim (quo verbo ibi Paulus vtitur) Græcis sacerdos est, à sacris dictus: Pontifex Romanus à ponte faciendo: quod munus nihil neque ad presbyterum, neque ad episcopũ Christianorum pertinet. Sunt igitur sacerdotum officia presbyteris & episcopis communia, sacrificare, orare, & laudare Deum ecclesiæ nomine: prædicare, siue euãgelizare, sacramẽta administrare: benedicere, seu bene precari populo. Quo cõprehẽditur etiã rerũ ad esum & alios vsus hominũ aptarũ sanctificatio quædam ac benedictio. Nihil enim vetat, nos vulgaribus verbis vti in rebus linguæ latinæ authoribus minime notis: Hæc sunt ergo sacerdotum munera & officia. Ac de sacrificando quidẽ satis iam opinor, quod ad res postulabat, demonstratum est. Nisi forte illud addendum est, quòd scribit S. Martyr Ignatius: Presbyteros sacrorũ præfectos esse. Vnde non malè & illud colligitur, quod hîc prætermittendum non est: Quòd cum sa

Leuit. 4. Apoc. 8. Iac. 5.

Pontifex unde.

Sacerdotũ officia.

crificij huius hostia seu victima caro siue corpus & sanguis Christi sit, pane & vino ab ipsomet Christo domino in vltima cœna mirabiliter in ea conuersis, ipseque quod tunc fecit apostolis, & per eos successoribus eorũ presbyteris seu sacerdotibus faciendum mãdauerit, conficere quoque, siue consecrare eam ipsam hostiam, eo, quo fecit ille, modo, & verbis ijsdem, ad presbyterum seu sacerdotem pertinet, illius ipsius verbi & mandati eius (Hoc facite in meam commemorationem) virtute, quemadmodũ cùm ij, quos paulò antè citaui, tum alij sancti patres interpretantur. Quorum Cyprianus (vt vnus pro omnibus sufficiat) ita scribit: Manducauerant, & biberant, nimirũ apostoli, de eodẽ pane secundũ formã visibilẽ: Sed ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à domino dictum est, Hæc facite in meam commemorationem: hæc est caro mea, & hic est sanguis meus. Quotiescunque (nota verba) his verbis, & hac fide actum est, panis substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, &

Cyp. serm. de cœna do mini.

pur-

purgandas iniquitates existens. Et aliquantò pòst: Panis iste, quem dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia. Vis addam & Chrysostomum? AVL. Placet. MON. Sacra ipsa oblatio, inquit, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam anteà sacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est. Deniq; Lateranense concilium ita definiuit: Hoc vtiq; sacramentum corporis & sanguinis nemo conficere potest, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claues ecclesiæ, quas ipse concesserit apostolis, eorumq; successoribus Iesus Christus. Quid apertius, quàm de re nũc loquimur, dici potuit? Quod si quis pertinaciter, non dico aduersus authoritatem

Chrys. in 2. ad Timoth. hom. 2.

Lat. conc. cap. 1.

In Euchar. ristia Euangelici idolatræ sunt.

tem tantorum virorum, sed aduersus perpetuum vniuersæ Christi ecclesiæ sensum & cósensum neget, non modò sacrificium, sed etiã sacramentũ corporis & sanguinis Christi, eiusq; sacrameti administrationem & efficaciã prorsus impiè sustulerit, & panẽ vinumq; merum pro corpore & sauguine Christi sumens, alijs ue distribuens, idololatriæ crimẽ non effugerit, etiamsi non adoret. De quo hîc nunc disputandum non est. Cętera sacerdotum officia persequamur. Orare pro populo, quòd ad sacerdotem pertineat, scriptũ est in Paralipomenis, Sacerdotũ munus esse, vt precentur pro Israël iuxta omnia quæ præcepit Moyses seruus Dei. Quin Deus ipse per Moysen ita præcipit: Quod si omnis populus, aut princeps, aut quis alius peccauerit, orabit pro eo, & pro peccato eius sacerdos, & dimittetur ei. Audis officium sacerdotis, & adiunctam ei promissionem diuinam? AVL. At hæc sunt in veteri testamento de sacerdotibus Hebræorum dicta. MON. Quasi verò in hoc, vt in plerisque, veritas euangelij, figuris legis respondere non debeat. Vis autem è nouo quoque testamento probem? En tibi Iacobum apostolum, qui sic scribit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum. Cur non ipse oret, vel ami-

Orare pro populo sacerdotis est.

1. Para. 6.

Leuit. 4.

Iac. 5.

amicos & vicinos ad orandum pro se inducat? Nempe quia presbyterorum peculiare id est officiũ, habetq; hîc etiam promissionem efficaciæ. Et oratio, inquit, fidei salua- bit infirmum, & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Nec diuersa est oratio infirmitatis à peccati ratione, & aliis hominum temporibus, vt ijs quoq; presbyteri ad orandum pro alijs induci debeant. Et in genere autem, sacerdotum esse orationem publicam, testantur a. Augustinus, b. Chrysostomus, c. Cyrillus Alexandrinus episcopi, & d. Alexander Papa & martyr, tem poribus apostolorum propinquus. e. Quin apostoli ipsi: Nos verò, inquiunt, orationi, publicæ videlicet, & ministerio verbi instantes erimus. f. Chrysostomus autem sacerdotum preaationes vult esse ecclesiæ precationes. Itemque g. Augustinus. Atque ideo efficaces eæ sunt ijs, pro quibus fiunt, etiamsi ab indignis & reprobis fiant. h. Nec alia est laudis & gratiarum actionis, quàm orationis ratio. i. Paulus quidẽ ad Timotheũ episcopum scribens, gratiarum actiones cum obsecrationibus, orationibus, & postulationibus coniungit, postulans ea fieri in ecclesia pro omnibus hominibus, & præsertim in sublimitate & honore & magistratu constitu-

a Aug. de dogm. eccl. cap. 30.
b Chryf. 2. ad Cor. ho. 2. & in 2. ad Theß. hom. 4.
c Cyril. in Leuit. libr. 5. & 6.
d Alex. epistol. 2. ad Aegypt.
e Act. 6.
f. Chryf. 1 hom de Adam et Eua
g Aug. de dogm eccl. & de hær.
h Laudare deum sacerdotis est.
i. Tim. 2. 1. Cor. 14.

Cæ-

tis. Nec de alia re loqui videtur, cùm dicit: Cæterùm, si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet amẽ ad tuam benedictionem? Statim enim adiungit, eadẽ de re prosequẽs: Nam tu quidẽ benè gratias agis, sed alter nõ ædificatur. Vbi cũ ait: Eum qui supplet locum idiotæ, amen dicere solere ad alterius benedictionẽ, non obscurè innuit, Aliũ ab idiota, hoc est, priuato esse eum, qui benedicere soleat: nempe magistratum. Hæc enim duo, priuatus siue idiota, & magistratu præditus ex aduerso sibi inuicẽ respõdent. Cùm aũt de ministerijs & ritibus ecclesiasticis Paulus ibi loquatur, proculdubio de magistratu quoq; nonnisi ecclesiastico: nimirum sacerdotio. Est autẽ huic sententiæ cõsentaneum illud, quod alibi idem Paulus de sacerdote scribit, quòd is ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Vbi per dona laudes Dei, & gratiarum actiones accipi iam priùs dixi. Sacrificiorum verò nomine etiam orationes, vel Dauide in Psalmis, & Ioanne in Apocalypsi authoribus, comprehenduntur. Quorũ ille: Dirigatur, inquit, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Eleuatio manuũ mearũ, sacrificium vespertinum. Hic itẽ odo-

Idiota.

Heb. 5.

Psal. 140.

Apo. 5. et 8

odoramenta, quæ incẽduntur deo, sanctorũ orationes appellat. Quod si benedicere in superiori Pauli loco nõ pro laudare Deũ, & gratias ei agere, sed pro benè precari populo accipitur, habes aliud sacerdotis officiũ: Quod isti quoq; pseudeuãgelici ministri sibi vẽdicant. De quo apertius etiã in veteri testamẽto Deus præcepit sacerdotibus, imò & formulã benedicẽdi præscripsit. Sic benedicetis, inquit, filijs Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi dominus, & custodiat te: Ostendat dominus faciẽ suã tibi, & misereatur tui: Conuertat dominus vultũ suã ad te, & det tibi pacem. Additq; promissionem dicens: Inuocabũtq; nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Quin & ante legem datã patriarchas benedicere alijs solitos esse legimus. Cõstat autẽ, eos iure primogenituræ sacerdotio fũctos esse. AVL. Quid autem interest, inter orationem, & benedictionem istam? MON. Oratio ad Deum dirigitur: Benedictio non item, sed ad eos ferè, quorum gratia fit. AV. Habeo. Perge. MON. Sunt autem & aliæ benedictiones rerum, ad vsum hominũ à Deo creatarum, ex ijsdem fontibus ad sacerdotes pertinentes. De quibus neque exempla desunt in sacris literis, neque vetusti vsus, & institutionis documenta apud priscos patres

Benedicere sacerdotum est.

Num. 6.

Primogenti in lege naturæ sacerdotes fuere.

Oratio & benedictio differunt.

tres & pontifices, neque salutares, ac demonibus terribilis efficaciæ exempla apud scriptores ecclesiasticos. Sed nō est necesse nūc ijs diutius immorari. Vis ne autem ostendā,

Verbi Dei minister sacerdos.

ministerium quoque verbi Dei proprium esse sacerdotis officium? Nam Picardi & Sacramentarij, atque adeò Lutherani quoque nonnunquam, negare videntur, & vulgò id permittunt. Certè Deus ipse per Mosen sa-

Leuit. 10.

cerdotes alloquens: Et vt habeatis, inquit, scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundū, doceatisq; filios Israël omnia legitima mea: Per Malachiam verò prophetam, Labia enim sacerdotis, inquit, custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. Quia angelus, siue legatus & nuncius domini exercituum est. Iam quæ dudum recitaui, dicta ab apostolis: Nos

Act. 6.

verò orationi, & ministerio verbi instantes

Matth. 9. & 28.

erimus: Et quòd Christus ipsis præcepit: Prædicate: Et, Docete omnes gentes: Et quòd eadem de causa designauit alios septuaginta duos discipulos, dicens eis: Qui vos audit, me audit. Non ad illos solos pertinet, verum etiam ad successores eorū episcopos &

Tit. 1.

presbytéros. Itaque Paulus Tito scribens, Episcopum, quo nomine presbyterum quoque ibi complectitur, vult eum fieri, qui amplectatur eum,

eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Iam sacramenta administrare populo, sacerdotum siue presbyterorum esse officiũ, nemo dubitat. Ne istorum quidem pseudeuangelicorũ quisquam ferè diffitetur. Tametsi ministros ij vocare malunt, aut seniores, ne quid commune cum ecclesia habere velle videantur. Imò præter hoc, & prædicandi siue docendi munus nihil fermè eis relinquunt. Caluinus quidem perire sine baptismo hominem mauult, quàm à non ministro baptizari. Nec cœna dominica sine ministro apud eos apponitur: Nec absolutio vel remissio peccatorum cõceditur. Quanquam vix eam inter sacramenta admittunt. Omnia quidem hęc Christus apostolis, & 12. illis discipulis ad ministerium & regimen ecclesiæ segregatis, & spiritu sancto imbutis, peculiariter attribuit. Ij verò, quoniam his rebus siue sacramẽtis ecclesia Christi carere nunquam potest, successoribus suis ecclesiæ præsidibus, hoc est, sacerdotibus, atq; hi deinceps alijs alij administrationem eorum quasi per manus tradiderunt. Non ita tamen, vt indiscrimina-tim omnia quisque administraret: Sed vt pœnitentiæ, matrimonij, & vnctionis extremæ po-

Sacramentorum administratio.

Cal. instit.

Sacramentorum sinulorũ administri.

potestas esset penes presbyteros. Eucharistię administratio diaconis quoq; communicata est: nō etiā cōfectio: Baptismi, vulgò etiam & mulierculis permissa, necessitatis & periculorū vitandorum causa. Cæterùm Ordinatio & Confirmatio solis seruata est episcopis. De quorū peculiaribus his & alijs muneribus iā dicendū est. Idq; quatenus ad informandam hierarchiā ecclesię satis esse videbitur. Quod in cæteris quoq; ministerijs ecclesiasticis itidem factū est hactenus. Est autē præcipuum episcopi officiū, & quasi fons cæterorum, intendere gregi, & regere ecclesiā Dei, quēadmodū inquit Paulus. Inde & nomen habet apud Græcos ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, quod iam anteà quoq; dixi. Sunt igitur episcopi curatores, rectores, & moderatores ecclesiæ, & sui quisq; gregis. Proinde pastores quoq; dicūtur, nō modò quòd pabula salutaris doctrinæ & sacramentorū procurēt hominibus curæ suæ commissis, verum etiam quòd omnē salutis & incolumitatis eorum spiritualis, & quæ ad animos pertinet, curam gerāt. Quod sine potestate & authoritate fieri non potest, quemadmodum superius demonstraui. Quanta autem antiquitus in ecclesia Christi semper fuerit episcoporum potestas & authoritas, abundè testantur vetustissimi & grauis-

Episcoporum officia

Regere ecclesiam.

Act. 20.

Episcopus unde dicitur.

uissimi authores, a. Ignatius, b. Cyprianus, c. Athanasius, d. Hylarius, e. Gregorius Nazanzenus, f. Basilius, g. Hieronymus, h. Ambrosius, i. Chrysostomus, k. Augustinus, l. Sozomenus, m. Theodoritus, atq; adeò cuncta ecclesiæ antiquitas. Hæc est illa eximia ligandi & soluendi potestas, quæ cùm in terris exerceatur, ad cœlos vsq; mirificè sese exerit. De qua imprimis verba illa Christi intelligenda sunt: n. quęcũq; alligaueritis super terrã, erũt ligata & in cœlo: Et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Itaq; & doctrinæ, & sacramentorũ, rerũq; sacrarũ, & omniũ ecclesiæ ministeriorũ, arbitriũ & iudiciaria potestas in omnes, quotquot ad ecclesiam pertinent, penes episcopos est, in ijs præsertim, quæ ad religionẽ & rempubl. ecclesiasticã attinent, aut ei vtriq; aduersa sunt, ita vt eorum sit iudicium, quos inde eijciant siue excommunicent, & quos recipiant.

AVL. Quid ais? Iudicium quidem de doctrina, & remissionem atque retentionem peccatorum, atq; adeò sacramentorum ferè omnium administrationem communẽ esse epi-

a. *Ignatius ad Philad. et ad Smir.*
b. *Cypria. ad Cornel.*
c. *Atha. in ep. ad Heb. & ad sol. uit. ag.*
d. *Hylar. ad Constant.*
e. *Nazan. de dict. Hier.*
f. *Basil. ser mon. 3. exerc. & quæst. 114.*
g. *Hie. ep. 11*
h. *Ambros. lib. 5. epist. 32. & 33.*
i. *Chry. ex Esaia hom. 3. & serm. de Petro & Paulo.*
k. *Aug. de bapt. cont. Don. lib. 2. cap 4. & de sacerd.*
l. *Sozo. hist. eccl. lib. . cap. 24. et lib. 5. cap. 16*
m. *Theod. lib. 4. cap. 5. & 7. hist. eccl.*
n. *Matth. 18.*

scopis cum presbyteris, paulò antè ostendisse te memini. Eijciendi verò ex ecclesia, siue excommunicandi authoritatẽ Christus ipse disertis verbis nõ episcopis, sed ecclesiæ vniuersæ contulisse videtur, cùm dixit: Si non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. MON. Adde quæ sequuntur, tum demum rectè verba illa intelliges. AVL. Quæ igitur illa sunt, quæ sequuntur? MON. Nempe: Amen dico vobis: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solueritis super terram, erũt soluta & in cœlo. Apostolos alloquitur. Apostolis igitur & successoribus eorum episcopis, quos secundum apostolos super familiam suã constituit, non ecclesiæ seu promiscuæ multitudini dat illam ligandi & soluendi potestatem, tametsi ad vtilitatem ecclesiæ. Atq; ita eum locum interpretatur etiã Chrysostomus. Nec legimus in sacris literis quenquam præter ecclesiæ præsides ea vsum esse. Et ij verò nõ retulerunt prius ad ecclesiã, cũ ea ipsis in quempiam vtendum erat. Petrus quidem sua, non ecclesiæ authoritate contra Simonem magum pronunciauit: Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Paulus itidem Alexandrum & Hymenæum tradidit Satanæ: De incæsto quoque illo Corinthio iu-

Excommunicandi potestas ad quem pertineat.

Chrys. in Matth. homil. 61.

Act. 8.

1. Tim. 1.

1. Cor. 5.

iudicauit absens: Tradere huiusmodi hominem Satanæ. Quod non erat aliud, quàm eijcere ex ecclesia. Ecclesiæ verò executionem absens ipse mandauit. Hanc ipsam potestatẽ deinceps quoq; nemine pio repugnante, impijs verò & præfractis frustrà repugnantibus retinuerunt in ecclesia Christi omnium temporum episcopi, non modò aduersus priuatos homines, verumetiam aduersus magistratus, principes, & imperatores. Itaq; Ambrosius quidem Mediolanensis Theodosiũ senior em, Innocentius Romanus Arcadium, & vxorem eius Eudoxiam, Honorius tertius Fridericum imperatores, Stanislaus noster Cracouiensis Boleslaum secundum, Bozentam Cazimirum magnum, reges nostros, alij itẽ alios excommunicarunt. Scribit etiam Eusebius Cæsariensis, Philippum Imperatorem Gordiani successorẽ, cùm in ecclesia ad pascha cum cætera multitudine communicare vellet (fuit enim Christianus) non prius esse admissum ab eo, qui tunc ecclesiæ præerat, q̃ peccata cõfiteretur, & inter pœnitẽtes locũ acciperet. Isti verò, si Deo placet, euangelici cõtra tam apertum Dei verbum, & vsum priscę seu primitiuę ecclesię ex ecclesijs suis excommunicationis vsum exterminarunt, quò inconditã & eigeuillij, siue licentiæ cupidam

Imp. & reges excommunicati ab episcop. Theo. hist. eccl. lib. 5. cap. 19. Niceph. li. 13. cap. 24. hist. eccles. Platina in uitis pont. M. Crom. hist. Pol. li. 4. & 12. Euseb. hist. eccl. lib. 6. cap. 34.

Aug. Confeß. cap. de potestate eccles.

hominum multitudinẽ ad se allicerent. Nũc ij queruntur, restitui semel eliminatam non posse. Episcopis tamen eã peculiariter Augustana cõfessio tribuit. Profitetur enim, illam quoq; iurisdictionẽ cõpetere episcopis: Impios, quorum nota est impietas, excludere à cõmunione ecclesiæ. AVL. Ohe. Igitur & in laicos ac seculares exerit sese tãta ista episcoporũ iurisdictio? MON. Audi quid scribat S. martyr, apostolicorũ discipulorũ discipulus Ignat. Principes, inquit, obedite Cæsari: milites principibus, diaconi presbyteris sacrorũ pfectis: Presbyteri, diaconi, & reliquus clerus vnà cũ omni populo, & militib. & principib. & Cæsare, episcopo: Episcopus Christo, sicut Christus patri: & ita vnitas per omnia seruatur. AV. Nullus itaq; erit vsus imperatorũ, regũ, principũ, & aliorũ magistratuũ, ciuiliũ siue secullariũ, inter Christianos. MO. Permagnus. Neq; enim tollit iurisdictionẽ ciuilẽ ecclesiastica: Siquti neq; hãc illa. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, ait Christus: Et quę sunt dei deo. Et alibi: Homo, quis me cõstituit iudicẽ, aut diuisorẽ super vos? Sunt eæ diuersæ, certis q; limitibus nõ tã subiectorũ hominũ, q̃ causarũ, & finiũ, quas respiciũt, & rationũ quibus exercẽtur, distinctæ. Quod vel è vernaculis nostratibus legibus siue statutis di-

Iudiciaria episcoporũ potestas.

Ignat. ad Philadelp.

Matth. 22.

Luc. 12.

Iurisdictiones ecclesiastica & secularis distinctæ.

discere potuisti. Nec pugnãt eæ iurisdictiones inter se. Quin vtraq; alterius posçit opẽ, & cõiurat amicè, vt ait poëta quidã. Idq; vsq; adeò, vt Cõstantinus Magnus Imperator etiã in profanis causis à quibuslibet iudicibus prouocationẽ ad episcopos permiserit, & executionẽ rerũ etiã à se iudicatarũ ad eosdẽ remiserit, è repub. id esse iudicãs. Arcadius vetò, Honorius, & Theodosius prouocationẽ ab episcopali sentẽtia fieri vetuerũt. Tãta tũc erat episcopaliũ iudiciorũ dignatio. Quo fit, vt mirari satis nequeã, barbarã nonnullorum hominũ importunitatẽ & intemperiẽ, ex isto nouo euangelio exortam, & nõ solùm à legibus maiorũ ipsorũ, sed etiã à moribus & institutis religiõnis Christianæ prorsus alienam.

Horat. in arte poëtic.

Iudicia ciuilia permissa episcopis.

Sozo. lib. 1. cap. 9. hist. eccl. & in Codice.

AV. Istud aliãs: Nunc id agamus, quod cœpimus: Cuperẽ equidẽ ex te nosse discrimen & fines harum iurisdictionũ, & an episcopi vicissim profanorum principũ, quemadmodũ hi illorum, potestati & iurisdictioni sint obnoxij. Sed id quoque opinor, in aliud tempus reijciendum est. Videtur enim prolixior iuxta ac difficilior forè ea tractatio. MO. Nõ malè cõiectas. Luculẽtè argumentũ hoc tractauit vir doctus Albertus Pigghius. Nobis sanè absoluẽda nũc est forma ecclesiæ apostolicę. In qua quanta fuerit iudiciaria potestas

Al. Piggh. in hierar. ecclesiast.

episcoporum in omne genus hominũ, etiã in principes, reges, & imperatores, iam audisti. Et luculẽtius autem è supra memoratis à me priscæ & apostolorũ tẽporibus propinquioris, & vt isti quoque volũt pseudeuangelici, purioris ecclesiæ sanctis patribus ac doctoribus, imò & ex ipsis apostolorum canonibus discere potes. Cyprianus quidem martyr ita scribit: Nec putẽt sibi vitæ aut salutis ratione constare posse, si episcopis & sacerdotibus obtemperare noluerint. Quod eum de omni genere hominum scribere, allegatum è Deuteronomio testimonium indicat. Et paulò pòst subijcit idem: Nũc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles seruos dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesia eijciuntur. AVL. Papæ. MON. Verùm de ea quoque potestate alius erit explicatiùs dicendi locus. Nunc, iudicium de doctrina an ad episcopos peculiariter spectet, expẽdamus. Decretum certè illud Ierosolymitanum de legalibus, presbyterorum iuxta ac apostolorum titulum prę se fert: Et ita hoc initiò seruatum fuit in ecclesia, vt communi consilio presbyterorum ecclesiæ gubernarentur, quemadmodum scribit Hieronymus. Sed hoc tunc apostolorũ, & post eos episcoporum modestia & indul-

Can. apost. 6. 29. 30. 34.

Cypr. lib. 1. epist. 11.

Iudicium de doctrina ad quos pertineat.

Hier. ad Euag. in ep. ad Tit.

gen-

gentia factum est, vt ij ius suum cum presbyteris communicarent, eosq; in consilium adhiberent. Quod etiam nũc ita fit, ac fieri debet, vt de rebus grauioribus non temerè sine consilio presbyterorum, primariorũ præsertim (quæ collegia sacra & capitula metropolitana & cathedralia vulgo vocamus, estq; is senatus episcoporũ) statuant ac decernant episcopi. Cæterùm authoritas iudicandi & statuendi iure optimo est, fuitq́ue semper penes episcopos. Quod non obscurè illis Pauli verbis demonstratur, vbi scribit is Timotheo in Ephesina ecclesia à se instiuto episcopo. Ideo se eum reliquisse Ephesi, vt denunciaret quibusdam (nempe sacerdotibus vel presbyteris) ne aliter docerent, quàm ipse videlicet iudicaret, aut præscriberet. Et ex ipsis autem, quæcunque vnquã celebrata sunt, œcumenicis Concilijs constat, de dogmatibus religionis solos ferè episcopos dixisse sententias, & iudicasse. Theodosius quoque iunior Imperator Romanus id apertè comprobat, ad Cyrillum Alexandrinum patriarcham ita scribens: Nos sanè non patiemur, vt simul & vrbes & ecclesiæ turbentur, neque vt inexcusa nobis sit ea doctrina, cui dijudicandæ præfici oportet eos, qui circumquaque sacerdotio præsident, & per quos in sententia veritatis

Presbyteri episcoporũ consiliarij. Collegiorũ seu capitulorum officium.

Iudiciũ de doctrina ad episcopos pertinet.

1. Tim. 1.

Inter epist. Cyrilli 4.

tis firmiores & sumus,& posthac erimus. Sic ille fieri, non solere,sed oportere affirmat. Nec diuersum sensere Marcianus Imperator in Chalcedonensi, Constantinus Magnus in Nicæno Cõcilio. Imò & Theodoricus rex Gotorum, quamuis hæreticus, in Romano. Nec sanè aliter ordo & politia conseruari in ecclesia potest, quàm si multitudo presbyterorum, quã requirit amplitudo ecclesiæ, à pauciorum & prẽstantiorum, episcoporum videlicet, authoritate depẽdeat. Sed non est opus hîc operosiore probatione. Nec in eo nanq; dissentiunt à nobis isti pseudeuangelici. Augustana certè Confessio profitetur, illã quoque iurisdictionem competere episcopis, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere. Sic autem vniuersè non solũ de hac iudiciaria potestate, verumetiam de administratione sacramentorum & rerum sacrarum, ac omni episcoporum officio accipe. Regimen ecclesiæ ijs potissimum diuinitus commissum esse, vt cœperam dicere. Sed in tanta varietate atq; difficultate negociorum ecclesiasticorum, & in magna multitudine populorum, cùm episcopus ipse per se omnia, quæ ad cultum diuinum, hominumque salutem pertinent, gerere & præstare nequeat, socijs, adiuto-

Chal. Syn. Act. 4.
Theo. hist. eccl. lib. 1. cap. 6.
Rom. Syn. sub Symmach. Papa.
Aug. Conf. ca. de potestate eccles.
Episcoporum socij et administri.

toribus, & administris vtatur oportet, & tanto quidem pluribus, quanto grex est numerosior: nec ijs temere oblatis, sed certo iudicio delectis, & in ordines quosdam descriptis, vt ab ijs omnia ordine ac decorè fiant. Idque cum Hebraici populi, qui & ipse lege diuina gubernatus est, exemplo, tum Christi & apostolorum instituto. Et in illo quidem veteri populo Dei, cùm summus esset sacerdos Aaron iussu Dei constitutus, & sacrificijs cultuique diuino praeesset, accepit sui muneris adiutores, filios & nepotes, & contribulos suos sacerdotes, & Leuitas, eosque in tres ordines distinctos, ac diuersis muneribus adscriptos. Exod. 28. Quibus deinde Dauidis & Solomonis regum tempore cantorum & ianitorum munera mandata sunt. Num. 4. et 8. 1. Paral. 15. Moses quoque eiusdem populi dux & moderator, socios adsciscere sibi iussus est à Deo sic praecipiente: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint & magistri: & duces eos ad tabernaculum fœderis, faciesque ibi stare tecum: & descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Num. 11. Alibi etiam idem memoratu relegisse Exod. 18.

VI-

viros ſtrenuos de cuncto Iſraël,& conſtituiſſe principes populi,tribunos,& centuriones, & quinquagenarios,& decanos: qui iudicabant plebem domini omni tempore. Quicquid autem grauius erat, referebant ad Moſen,faciliora tantum modo iudicantes. Sic igitur in veteri teſtamento Moyſes & Aaron ſummi ſacerdotes & moderatores populi, præcepto Dei ſocios munerum ſuorum acceperunt. Chriſtus verò cùm duodecim apoſtolos,conditores,propagatores,& moderatores eccleſiæ ſuæ conſtituiſſet:Poſt hæc, inquit Lucas, deſignauit & alios ſeptuaginta duos.Et ipſi autem apoſtoli poſt eius deceſſionem præter illos duos & ſeptuaginta diſcipulos, diaconos etiã in partem oneris ſui vocarũt,& illa alia,quæ ego ſuperius recẽſui, eccleſiæ miniſteria, partim ipſi inſtituerunt, partim ſucceſſoribus ſuis epiſcopis inſtituẽdi poteſtatem fecerunt,vt ne deeſſent vineæ domini cultores & operarij, non ex æquo quidem cum epiſcopis regendæ eccleſiæ poteſtatem adepti, ſed eorum ſocij & adminiſtri.Quod de presbyteris non obſcurè Lateranenſis Concilij canon indicat: Eos videlicet eſſe ſocios & adiutores epiſcoporũ.Hinc mos ille inoleuit, qui etiamnum durat apud nos in eccleſia, vt presbyter concionaturus, epi-

Luc.10. Act.6.

Preſbyteri & alij miniſtri ſocij & adiutores epiſcoporum.

Lat. conc. cap.10.

Benedictio quæ petitur ab epiſcopo.

episcopum, si præsens adsit, adeat, flexisq; genibus prædicandi potestatem reuerenter ab eo petat. Idemque faciat diaconus euangelium in missa cantaturus. Quin & Clemens Romanus scribit, ex instituto Apostolico presbyterum sine cõmendatione Episcopi, quæ formata vocatur, ad prædicationem non admitti. Eodem spectat & illud, quod scribunt Ignatius, & Clemens idem, apostolorũ discipuli: Presbyterum sine episcopi authoritate missas celebrare, atq; adeò ministrare omnino non debere. Quod de omni sacramentorum & rerum sacrarum administratione intelligendum est: Cui nullum presbyterum aut ministrũ manus admouere fas est, sine permissu episcopi, aut eius duntaxat, cui is ecclesiæ, seu parœciæ curam peculiariter commisit. Nec aliter, aut alibi, aut alio tempore id gerere, aut sacramenta administrare quisquam debet, quàm ex præscripto episcopi. Interdicto autẽ eius abstinere quiuis necesse habet, quamuis ritè priùs delegato ministerio. In quo pseudeuangelici isti protestantes, quemadmodum paulò antè ostendi, à nobis non dissentiunt. Eousq; autem protendit se hæc episcoporum authoritas in cæteros ministros, vt non solum præscribant eis agenda & vitanda, verumetiam in delinquen-

Clem. recognit. lib. 4

Ignat. ep. 6. Clem. ep. 3.

Episcoporum iudiciaria potestas in cæteros ministros.

quentes animaduertant. Quod vtrumq; ex
2.Tim.1. vna Pauli ad Timotheum epistola satis constat, apostolicum esse institutum. Sic enim scribit ille, quod paulò antè memoraui. Sicut rogaui te, vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, vt denunciares, vel præciperes quibusdam, ne aliter docerent, &c.
1.Tim.5. Et cap.5. Aduersus presbyterum accusationē noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Certè accusationem recipere iudicis est, & iurisdictionem cum potestate coërcendi habentis. Extant autem nonnulli canones tum apostolici, tū Synodici de abstinendis siue arcendis à ministerio, ac deponendis etiā certas ob causas ministris. Nec alio spectat id, quod Paulus Alexandrum & Hymenæum circa fidem naufragantes, tradidit Satanæ, vt discant non blasphemare. Ex eodem autem causa ipsorum quoque ministeriorum conferēdorum potestas est penes episcopos, vt ij non cuiusq; modi habeant socios & adiutores, verùm iudicio suo delectos & obsequentes. Quo Paulinum illud pertinet, qui Titum episcopum ideò se in Creta reliquisse scribit, vt constituat per ciuitates presbyteros. Idem Timotheo quoque præcipit: Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.

Ministeriorum collatio ad episcopos pertinet.
Tit.1.
1.Tim.5.

nis. Neque enim aliud ibi est, manus imponere, quàm potestatem exercendi ecclesiastici ministerij cuipiam impertiri. Quod cùm temerè fieri vetat, significat, à nemine eam potestatem vsurpari rectè posse sine authoritate, & iniussu episcopi. Quod à Leone quoque illo magno pontifice definitum est. Simul autem vult Paulus idem iustum in eo adhiberi delectum, minas adijciens: Cõmunicare alienis peccatis, hoc est, alienorum peccatorũ, reum teneri eum, qui negligenter ac temerè cuipiam manus impo suerit. Neque verò diuersa in hoc est presbyterorum, ac aliorum ministrorum ecclesiæ ratio. Nec alij à Christo deoque in ea ponuntur ac dantur, quàm qui ab episcopis constituuntur. Cùm autẽ ministeria ecclesiæ nõ vniusmodi sint, mandandorũ quoq; siue cõferendorũ eorũ nõ vna est ratio. Nã quę sacrorũ ordinũ nomine comprehenduntur, eorũ gerendorũ potestas vniuersè nulli loco, neq; tempori alligata, sacratioribus ritibus ac cæremonijs nõ sine gratia diuina per episcopos cõfertur, semelq; collata non amittitur. Nec iterari eã fas est. Ordinationẽ eam & initiationem, in episcopis verò etiam consecrationem vocamus. Quæ verò ministeria particularibus ecclesijs addicunt homines, ac præ-

Leo ad epi. scop. Gall. & Germ.

Ordinatio & consecratio.

la-

laturæ, dignitates, sacerdotia, & beneficia vulgò appellantur, sola manuum episcopi impositione mandantur. Prouisio, institutio, & collatio ea vocatur, quæ est quasi adscriptio quædam certæ in aliqua ecclesia curationi & ministerio, ab aliquo ordine sacro dependẽti. Atque ideo initiatum, & in aliquo ordine, minori duntaxat, constitutum esse prius oportet eum, cui quippiam eiusmodi mandatur. Et à volente autem ea ministeria refutari siue reijci, & nolenti auferri ex iusta causa quouis tempore possunt. Nihil hîc dico de officijs temporarijs, quę sine manus impositione, non solum episcopi, verumetiam inferiorum ministrorum & laicorum arbitratu nõnunquam mandantur iuxtà, ac adimuntur. Nihil enim, vel non multum ea faciunt ad politiam siue hierarchiam ecclesiasticam, de qua hîc nobis institutus est sermo. Ex illis autem duabus rationibus mandãdorum ministeriorum ea, quę fit per solam manus impositionem, ad iurisdictionem pertinere videtur. Proinde per solam electionem vel confirmationem, vel quæ his successit multis in locis, prouisionem ea, sicuti cæteræ quoque iurisdictionis partes, acquiritur, & cum presbyteris & alijs inferioribus ministris communicari potest. Ordinum verò collatio sacra-

Collatio ministeriorum & beneficiorum Prouisio et Institutio.

Iurisdictio episcopalis quibus cõpetat.

cratiores ritus requirens, ad potestatem ordinis peculiariter spectat. Itaque non nisi ritè ordinatus seu consecratus episcopus exercere eam iure potest. AVL. Peroportunè verò istud mihi in memoriam reuocasti. Iam dudum enim quærere ex te volebam: Sint'ne etiam cõsecrationes istę episcopales, & ordinationes clericorum siue ministrorum eccle siæ ab apostolis institutæ. MON. Maximè: Nec eæ sunt ociosæ aut superstitiosæ, vt volunt nouatores isti, cæremoniæ. Ac diaconos quidem per impositionem manuum & orationem ab apostolis, primùm initiatos, siue ordinatos esse, potestatemque ministerij sui exercendi accepisse, constat ex actis apostolorum, quemadmodum anteà commemorauimus. Nec ad solum mensarum ministerium ea pertinebat, vt volunt isti, verumetiam ad euãgelij prædicationem. Quod ipsum etiam ex ijsdem actis de Stephano & Philippo satis cõstat. Episcopos quoque per impositionẽ manuum ordinari solere, è Paulo non obscurè colligitur, quando is Timotheum à se constitutum episcopum admonet officij sui. Vt resuscites, inquit, gratiam Dei, quæ est in te per impositionẽ manuũ mearũ. Eodem & illud pertinet, quod scribit idem ad eundem priore epistola. Noli negligere gratiam, quæ in

Manuum impositio *Act. 6.* *Diaconorũ officia.* *Act. 6. et 8* *2. Tim. 1.* *1. Tim. 4.*

te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Cuius vtriusque loci eadem est sententia: Nisi quòd alter alterũ explicat. Nã in posteriori, impositioni manuum addit, presbyterij, vt ostẽdat, quid sibi velit, per impositionem manuum: nempe eam cæremoniam, per quam Timotheus presbyterij munus accepit. In priori verò dicit, per impositionem manuum mearũ, quo indicat, à quo nã ille presbyteriũ acceperit, nempe à se apostolo. Indistinctè aũt vtitur presbyterij nomine, quemadmodũ dixi superius, cùm episcopũ compellet. Quod si propriè hîc presbyteriũ accipias pro eo ministerio, quod est infra episcopi munus, aut pro sacerdotio (quod presbytero & episcopo cõmune est) sicut antecedentiũ & consequẽtium verborum ratio dictare videtur, liquebit, presbyterium quoq; per impositionem manuum conferri solere. Sed vt maximè nõ satis id hinc probetur, certè vel absq; scriptura credere par est, in intermedio quoq; gradu & ordine legitimum id esse, quod in superiori iuxta ac inferiori (nempe episcoporũ ac diaconorum) legitimum & receptũ est. Iam verò Paulo quoq; & Barnabæ Lucas per impositionem manuum munus apostolicũ collatum esse scribit, & quidem cum oratione

Act. 13.

&

& ieiunio. Quanquam non ab apostolis aut episcopis id ibi tunc factum est. Sed fuit in eo peculiaris dispensatio & præceptum spiritus sancti. Priuilegia verò paucorum nō faciunt legem communem. Chrismate quoq; inungi eum, qui initiatur siue consecratur, non nouitiū est commentū, sicut apparet ex eo panegyrico, quē Tyri habitū, Eusebius Cęsarienſis historiæ suæ inseruit. Quin eo lōgè vetustior Dionysius Areopagita, negat sacerdotem quenquam sine sacratissimo vnguento fieri, & nisi pontificalibus siue episcopalibus officijs, consumationibus ſue ad hoc promotus, & ἱεροποιοῖ, ἐπικλήσεσιν, hoc est, sacrificijs, vt ita dicā, inuocationibus consumatus & sanctificatus fuerit. Aequalis etiam eius & condiscipulus Clemens Romanus testatur, pontifices & sacerdotes iam tunc vnguento perungi solere. Huius autem successor Anacletus vide quid scribat: Ordinationes, inquit, episcoporum authoritate apostolica ab omnibus, qui in eadē prouincia fuerint episcopis, aut saltem nō minus quàm à duobus, aut tribus, reliquis omnibus assensum præbentibus, sunt celebrandæ. Qui simul conuenientes scrutinium diligenter agant, ieiuniumq; cum orationibus celebrēt, & manus cū sanctis euangelijs, quæ prædicaturi sunt,

Ordinatio à non episcopis facta.

Chrismatis usus in ordinationibus

Euseb. hist. eccles. lib. 10. cap. 4.

Dion. hier. eccl. ca. 10. & cap. 5.

Cle. ad Iac. epistol. 2.

Anacl. ad episc. Ital.

Episcopi ordinatio.

imponentes, dominica die hora tertia orantes, sacraque vnctione, exemplo prophetarũ & regum capita eorum, more apostolorum & Moysi vngentes: Quia omnis sanctificatio constat in sancto spiritu, cuius virtus inuisibilis sancto Chrismate est permixta. Et hoc ritu solennem celebrent ordinationem. Animaduertis hîc non modò Chrismatis vnctionem, & impositionem manuum, sed alios etiam ritus consecrandi episcopi, iam inde ab Apostolicis temporibus in vsu fuisse, quos etiam recenset Carthaginensis quarta synodus, & seruat tot seculis etiamnunc Ecclesia Catholica & Apostolica, ita vt locus non sit istorum calumniæ quasi commentitia & suppositiua sit illa epistola. Testatur autem sanctus ille martyr, eos apostolica authoritate esse institutos, quãuis id perfricta frõte subsannet heri aut nudiustertius natus Brentius. Synodus verò illa Carthaginensis, cuius mentionem feci modò, cæterorum quoque ordinum initiationes deinceps describit, repetitque canonẽ apostolicũ, quo sancitũ est, vt episcopus à tribus vel duobus dũtaxat episcopis, cæteriverò omniũ ordinũ clerici ab vno tantũ ordinentur. Nõ superstitiosas autẽ, nec ociosas eas esse cæremonias, sed efficaces ad implenda ea ministeria, quibus conferendis ad-

Carth. 4. syn cap. 2. &c.

Brentius in Prolog.

Apost. can. 1. & 2.

Chrysma: tis & impositionis manuũ in ordinationibus efficacia.

adhibentur, non modò ex ijs, quæ dudum ex Dionysio & Anacleto recitaui, quando sanctificationis, consumationis, & Chrismatis faciunt mentionem, verumetiam è Cypriano apparet. Sic enim scribit is de Chrismate: Ex hoc humore constat, descendere omnes gratiarum diuisiones, quas spiritus sanctus prout vult singulis distribuit & largitur. Nimirũ eas gratiarum diuisiones significat, quas spiritus sanctus distribuit ad rectè implenda ministeria ecclesiastica. Itaq; ijsdem verbis vtitur quibus Paulus, vbi de ijs ex professo agit. Quid illud, quod scribit ipse Paulus? Vt resuscites gratiã dei, quæ est inte per impositionẽ manuũ mearũ? Et: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiã cum impositione manuũ presbyterij; Nónne liquidò probat, conferri gratiam Dei per impositionem manuum apostolicarum vel episcopalium: Eamq; gratiam semel collatã inhęrere deinceps quasi characterẽ quendã impressum, ita ordinato siue consecrato, quippe quæ incuria negligi, & rursus quasi ignis cinere obrutus cura studioque resuscitari possit & redaccendi. Hoc enim sibi vult verbũ grẽcum ἀναζωπυρεῖν. Et est autẽ ea efficax ad vtilitatem ecclesiæ, membrorumque eius, etiãsi sacerdotes ipsi indigni sint & mali, & indigne

Cyp. de unct. Chry.

1. *Cor.* 12.

2. *Tim.* 1.

1. *Tim.* 4.

Orig. in 16 ca. Ezech. Chrys. ad Colos. hom. 3. & in 2. ad Tim. ho.

ministrent, vel Origenis & Chrysostomi testimonio. Quoniam autem vtraque hæc cæremonia, nempe vnctionis & impositionis manuũ, ex lege Moysi sumpta est, inde quoq; fructus & efficacia vtriusq; rectè demõstratur. Ac per impositionem quidem manuum Moyses iussu Dei Iosuæ ducem populi instituit. Sic autẽ de eo dicit scriptura: Iosue verò filius Nun repletus est spiritu sapiẽtiæ: quia Moyses posuit super eum manus suas. Vides vsum pariter & efficaciam impositionis manuum? Aaronẽ verò & filios eius sacerdotes idem sacri vnguenti vnctione consecrauit & sanctificauit. Vbi etiam vsum simul & efficaciam vnguenti scriptura ostendit. Quin & reges vngebantur, & prophetæ. Vis autem videre vnctionis eius vim? Ecce tibi. De Saule quidem, postea quàm à Samuele vnctus est, dicit scriptura: Immutauit ei Deus cor aliud. De Dauide verò: Et directus est spiritus domini à die illa in Dauid. Sic Elisæus quoque per vnctionem ab Elia prophetiæ donum accepit. Hinc igitur apostoli vsum impositionis manuũ & vnctionis, & nonnullarũ aliarum cæremoniarum ad consecrationem siue ordinationẽ episcoporum, presbyterorum, & aliorum clericorum siue ministrorũ

Num. 27. Deut. 34. Exod. 29. 30. & 40. Leuit. 8.

1. Reg. 10.

1. Reg. 16.

2. Reg. 19.

cc.

ecclesiæ transtulerunt, spiritu sancto procul dubio authore, institutumque suum diuisionibus gratiarum approbante. Nec est verè sacerdos, presbyter, episcopus, aut omnino minister ecclesię, nec peragere vllum sacrum ministerium rectè potest, quisquis ad hunc modũ à legitimis episcopis vèl episcopo ordinatus non est. Hæc ita obiter de sacris ordinationibus, & ministeriorum ecclesiasticorum collationibus dicta sunto. Cætera, si libet episcoporum munera, à potestate ordinis itidem dependentia perpendamus. Ea sunt autem, confirmationis sacramentum: Chrismatis, oleique, quæ ad vsum quorundam sacramentorum, & alias nonnullas actiones sacras adhibentur, sanctificatio; pœnitentium publicè solennis reconciliatio: templorum, altarium, vasorum, vestium, & aliarum rerum ad cultum diuinum destinatarum dedicatio siue consecratio. AVL. Qualia hæc esse videantur euangelicis istis, nihil nunc dico: Cæterùm demiror, eorum potestatem & administrationem peculiariter sibi sumpsisse episcopos, cùm baptismus & eucharistia, quæ sunt præcipua (nolo enim cum Caluino & quibusdam Luthe-

ranis dicere sola) sacramenta, etiam à presbyteris rectè administrentur. MON. Non est necesse nunc mihi neque de numero, neque de dignitate & præstantia sacramentorũ disputare. Illud quod instituti nostri est proprium, satis fuerit demonstrare, ea iam inde ab apostolorum temporibus propria esse episcoporum munera. Ac de confirmatione quidem baptizandorum sufficerit vnius Lucæ testimonium, vt constet, hoc non humanũ esse commentum, aut papæ doctrinam, quẽadmodum delyrus garrit Ochinus, sed apostolicum institutum. Sic igitur scribit Lucas: Cùm autẽ audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quòd recepissent Samaria verbũ Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cũ venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquã illorum venerat: sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritũ sanctum. Non potuit hoc Philippus diaconus facere, qui eos prædicando ad Christum conuertit & baptizauit, licet faceret signa & virtutes maximas. Oportuit fieri non ab aliquo de presbyteris, vel 72. discipulis, sed ab apostolis. Alibi quoque scribit idem de duodecim ferè viris, qui Ioannis baptismate baptizati

Confirmationis minister episcopus.

Och. dial. 1

Act. 8.

zati erant, cùm essent denuò baptizati Ephesi in nomine domini Iesu, Paulum apostolum imposuisse eis manus, & mox venisse spiritũ sanctum super eos. Apostolicum igitur iam tunc hoc erat officium imponẽdi manus baptizatis, & vberiorem spiritus sancti gratiam impertiẽdi: a. Quæ tunc in ipsis quasi fidei & ecclesiæ incunabilis, visibilibus linguarum & prophetiæ signis & miraculis cõprobabatur, quemadmodum & potestatis iudicijque apostolici efficacia, Ananiæ & Sapphyræ morte, & vexatione Satanica eorum, qui excommunicabantur. Nunc ijs signis opus non est. Manet tamen in ecclesia idem sacramentum, per quod fideles spiritus sancti virtute inuisibiliter confirmãtur: & à solis episcopis administratur, antiquissimo vniuersæ ferè ecclesię more & instituto. Cuius rei testes citare possũ, b. Clementẽ Petri discipulũ, Vrbanum, Fabianũ, Corneliũ, Eusebiũ, Melchiadem, Romanos pontifices antiquissimos, & omnes, ni fallor martyres: c. Cyprianum, d. Eusebium Cæsariensem, e. Hieronymum, f. Augustinũ: g. Concilia itẽ Nicænum, Meldẽse, Aurelianen. h. Laodicense, Toletanum primũ, Antisiodorense, Bracarense, i. Carthaginense secundum & tertium, Lateranense, Florentinum, & nonnulla fortasis alia. Quan-

a. Signa visibilia in confirmatione & excõmunicatione.
b. Clem. ad Iul. & Iulian. ep. 4. Cõcil. to. 1.
c. Cypr. de hær. bapt. & de ablu. pedum.
d. Euseb. hist. eccl. libr. 6. cap. 43.
d Hier. cõt. Lucifer.
f Aug. cõt. lit. Petil. li. 2. ca. 104. et l. 4. ca. 4
g. Nic. concil. cap. 77
h. Laod. cap. 48.
i. Carth. 3. cap. 3.

Carth. 4. cap. 36. quam & à presbyteris alicubi administratũ esse legimus, episcoporum, opinor permissu & indulgentia, necessitate vel torpore expressa. Iam quod templorum, altarium, vestium, vasorum, & rerum aliarum, quæ cultui diuino destinantur, dedicationem siue consecrationem attinet, non nisi magna ratione hæc instituta, & episcopis reseruata sunt. Quoniam enim vbi decenter omnia aguntur, discrimen esse debet inter sacra & profana, ne promiscuus eorum vsus cultui diuino, qui summa cum reuerentia peragi debet, contemptũ pariat, visum est vel apostolis, vel proximis eorũ successoribus, legis Mosaicæ exemplũ secutis, ea, quæ ad cultũ diuinũ aliqua ex parte pertinere deberẽt, certis quibusdã ritibus ac cęre monijs dedicare, & quasi sanctificare per verbũ Dei & orationẽ. Nam, vt inquit Leo papa sanctissimus: Apostolica institutio, quæ dominũ Iesum Christũ ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed impleret, ita veteris testamenti sacramenta distinxit, vt quædam ex eis, sicut erant cõdita, euangelicę eruditioni profutura decerperet, & quæ fuerant dudum consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ Christianæ. Hæc ille. Non nouitium autem esse inuentũ, tem-

Templorũ, altarium, uasorum et uestium sacrarum dedicatio.

Leo ep. 88

plo-

templorum, altarium, vestium & vasorum, cultui diuino destinatorum consecrationem apud Christianos, sed ipsis etiam Constantini Magni temporibus vsitatã eam fuisse, testantur Eusebius, Nicephorus, & alij scriptores historiæ ecclesiasticæ. Neq; verò vulgare eas actiones in omnem populum, aut in omnes ministros ecclesiæ, aut in omnes duntaxat sacerdotes visum est, verùm solis ecclesiarũ moderatoribus, episcopis proprias seruare placuit; sicut in lege quoq; summis sacerdotibus attributę fuere, quo maiori iudicio & authoritate cũ dignitate cõiuncta id fieret: quęq; ita semel dedicata & cõsecrata, siue sanctificata essent, reuerentius haberentur, & minus forent obnoxia profanationi. Iam cõsecrandi Chrismatis & olei, quorum magnus est vsus in sacris & sacramẽtis, partim Christi, ipsius, & apostolorum eius doctrina institutus, partim ex eadẽ lege Mosaica petitus, tum hæc ipsa est causa, tum illa, quam dudũ obiter perstrinxi, nimirùm quo ea fiant efficacia gratiæ & virtutis diuinæ hominibus & rebus inserendæ instrumẽta. Iam inde autem ab apostolorum temporibus consecrari solitum esse chrisma, & quidem ab episcopis, testis est Dionysius Areopagita, qui ritum etiam consecrationis eius de-

Euſ. lib. 10.
Niceph. li. 8. cap. 50.
hiſt. eccl.
Chriſmatis conſecratio.
Dion. eccl. hier. cap. 4.

describit. Fabianus verò Papa & martyr ante mille trecẽtos sexaginta annos scribit, Christum post cœnam & lotionem pedum, docuisse apostolos Chrisma conficere, sicut, inquit, à sanctis apostolis prędecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt. Syluester quoque & Innocentius papæ, quorũ ille post trecentesimum, hîc intra quadringentesimũ annum post Christum natum præfuit ecclesiæ, & Carthaginenses secunda, tertia, ac quarta, ac Toletana prima synodi, circa idem tempus ferè celebratæ, à solis episcopis id consecrari solere ac debere memoriæ prodiderũt. Cyprianus etiam cum triginta duobus episcopis in epistola synodica, sanctificationem Chrismatis vti receptissimam in ecclesia cõmemorat. Eiús verò præceptor Tertulianus benedictam vnctionem id appellat. Cyrillus autẽ Ierosolymitanus per inuocationẽ id cõsecrari, & postquàm fuerit consecratum, iam non nudum & commune vnguentum id esse, sed charisma Christi & spiritus sancti, quod diuinitatis eius præsentiam efficiat, fieri asserit. Idemque oleum, cuius vsus est in baptismo, & in extrema vnctione, per orationem & inuocationem Dei exorcizari, & non modò reliquias peccatorum expurgandi, verũ etiam dæmones repellendi vim cõsequi ait.

Innoc. ad Decent. episc.
Carth. 2. syn. cap. 3.
Tertia ca. cap. 36.
Quarta ca. 36.
Tole. 1. ca. 20.
Cypr. lib. 1 epist. 12.
Tertul. de baptis.
Cyril. catech. 3.
Olei benedictio.
Idem catech. 2.

Au-

Augustinus etiam oleum benedici testatur. Basilius verò eã vnctionis olei benedictionẽ ex arcana & non scripta apostolorum traditione originem ducere affirmat. Atque hæc sunt scilicet sancti illius patris pudenda, quæ tegi potius, q̃ nudari conueniat, quẽadmodũ impudẽter garrit Brẽtius, nimirùm tot sanctorũ, vt vides patrum, atque adeo vniuersæ Christi ecclesiæ sensus, consensus, atque vsus antiquissimus. Itaque in eam, quæ est sponsa & caro Christi, non in Basilium blasphemus est Brentius. Et negat erro quidã, præceptores istos suos iudicium suum ecclesiæ iudicio anteponere solere? Quod quid est aliud, quàm nigra in candida vertere? Certè nihil ibi de suo docet Basilius, neque de oleo siue Chrismate, neque de alijs sacris ritibus atq; institutis. Sed Eunomium hæreticum, negantem extra sacram scripturam quicquam recipi oportere (vt nunc quoque isti negant) cõmemorandis illis, quæ tunc erant receptissima & indubitata in vniuersa ecclesia, refellit ac retundit. Non modò autem de consecratione siue benedictione Chrismatis mentionem faciunt ij, quos dudum recensui, sancti patres, verumetiã vsum eius, iam inde à tempore apostolorum in ecclesia receptissimum in vngendis, & consignandis ijs, qui baptizati sunt,

Aug. de bapt. cont. Donat. lib. 5. cap. 9.

Bas. de spiritu sancto cap. 24.

Chrismatis vsus.

sunt, euidenter ostendunt. Quod facit etiam Clemens Petri discipulus & successor. Est autem duplex ea vnctio: Quarum altera in baptismo fit etiam à presbytero: altera in cõfirmatione, non nisi ab episcopo cum imposi tione manuũ, idq; in fronte. Quarum rationes explicare, nõ est huius temporis. De vtra que sanè extant constitutiones Syluestri Papæ, non quasi noua præcepta, ac de re noua, sed vt, quod viua voce vel ipsa actione in silentio traditum erat ecclesiæ antiquitus (vt plerique omnes ritus sacri) de eo certa in literis extaret regula, quam sequerentur omnes, ne quis per arrogantiam, vel per ignorantiam alienum ministerium vsurparet, aut per negligentiam suam prætermitteret. Est & alius Chrismatis vsus in sacris ordinibus: De quo iam dixi. Altaria verò, & templa, & vasa sacra exemplo veteris legis inunguntur, dum dedicantur & consecrantur. Dionysius quidem Areopagita, in genere episcopos ait vti Chrismate in sanctissimis consumationibus ad omnem ferè sacerdotalis officij functionem. Iam verò pœnitentium publicè solennem reconciliationem, Abbatum benedictionem, virginum sacrarum velationem, & enormiorum criminũ absolutionẽ, quam reseruationem

Clem. ep. 3 *Vnctio baptizatorũ duplex.* *Cõfirmatio* *Conc. to. 1.* *Altarium, templorum & uasorũ sacrorum unctio.* *Dion. ca. 4 hier. eccl.* *Pœnitentium reconciliatio.* *Velatio virginum.*

nem casuum vocant, non temerè, sed magno consilio soli sibi vendicant episcopi: nimirũ exemplo Mosis: qui cùm iussu diuino, sicut paulò antè ostendi, muneris sui adiutores sibi cooptasset, grauiorum causarum cognitionem sibi Dei præcepto reseruauit. Et expedit autem ecclesiæ publicè, vt ea non vulgentur, quo maiori iudicio à maioribus sacerdotibus peragantur, & quo facilius retineatur disciplina ecclesiastica, sine qua ordo & politia vix retineri potest. Extat autem de reconciliatione pœnitentium, & virginum velatione canon vetustus Carthaginensis secundæ synodi. Memorat etiam Abdias Babylonius Iphigeniã virginem Aethiopum regis filiam à Matthæo apostolo sacrum velamen accepisse, voto perpetuæ castitatis nũcupato. Hæc igitur peculiaria sunt episcopi officia. AVL. At horum pleraq; negant isti euãgelici à Christo aut apostolis eius esse instituta. MON. Scio. Et in ijs exagitandis nullum neq; modum, neque pudorem seruant Caluinus, & corruptores historię ecclesiasticæ. Verùm nos ipsis heri, vel nudiustertius, quod dicitur, exortis, illos, quos iam audiuisti, ac plures etiam alios sanctos patres apostolorũ tẽporibus multò propinquiores, & magnæ certæq; in ecclesia Christi authori-

Casuum re-
seruatio.

Carth. syn. 2. cap. 3.

Abd. in uitis apost.

ta-

tatis & fidei concilia, perpetuamque eccleſię praxim opponimus, ac prophetæ ipſorum oraculum eis occinimus. Nunquid credẽdum eſt hæreticis vix (non quinquaginta, vt ſcribit ille, ſed) quadraginta vel triginta annos nuper natis, & fidem tot ſeculorum falſam fuiſſe contendendum? Quo autem argumento iſti vtuntur? Nempe illa ſua potiſsima demonſtratione, quæ à me heri luculentè etiam ipſorummet ſcriptis refutata eſt, quòd nihil ijs de rebus proditum eſt ſcripturis Euangelicis & apoſtolicis. Præclarè. Cur igitur ipſi nullis nixi ſcripturis, ſed leuibus modò, & ſe rè à præiudicata opinione ſua ſumptis coniecturis, quæ libitum eſt pro apoſtolicis inſtitutis nobis obtrudunt: Velut, cum ordinationẽ domini & præceptum Pauli eſſe ſcribunt, vt tantum ſtipendij miniſtris eccleſiæ detur, vnde ſe & familiam ſuam ſuſtentent. Quamuis neque dominus familiæ mentionem faciat, neque Paulus. Sed hîc eis vxorculæ, opinor, cum liberis loco ſcripturæ aures obtundunt. Ad eundem modum renunciationem, quæ in baptiſmo fit, peccato, mundo, & diabolo, eiuſq; operibus, inſtitutum apoſtolicum eſſe volunt. Rectè quidem, ſed ſine vllo tamen ſcripturarũ teſtimonio: Pernegat ſanè Ochinus, & alij ſacramentarij. Quibus autem ſcriptu-

Luth. in reſolut. concluſ. 5.

Pſeudeuangelici ſine ſcripturis docent multa.

Cent. 1. lib. 2. cap. 7.

Cent. et li. ijſdẽ cap. 6

pturarum documentis ijsdem asseuerant? Ioannem baptistam in præsentē Messiam, eiusque nomine baptizasse? Christum stantē, accinctum, & baculum tenentem cum discipulis suis agnum paschalem in vltima cœna comedisse? Illis opinor, quòd scribūt Matthæus & Lucas, eum cum discipulis discubuisse. Ioannes autē, surrexisse à cœna. Ita scilicet istis quod volunt, sanctum est, hoc est, apostolorum & Christi institutum, deiq; verbum. Atque vt dem eis, Non omnia illa, quæ recensui episcoporum munera, esse instituta apostolica, certè Christus posuit episcopos, vt regāt & pascant ecclesiam Dei, nec vsquam præscribit, vt hoc tantum vel illud faciant. Sed quicquid ad vtilitatem & ædificationē eius pertinet, vti fideles prudentesque serui ac dispēsatores, quos constituit dominus super familiam suam, vt dent ipsi in tempore cibum, siue dimensum tritici. De quo alius nobis erit spero, pertractandi locus. Nunc hæc de episcoporum & presbyterorum, aliorumq; ministrorum ecclesiæ institutione, muneribus, & ratione omni ad politiam siue hierarchiā ecclesiæ pertinente dicta sufficiāt. Sic igitur ab apostolis fundata & ædificata est hæc ciuitas Dei sancta, supra montem posita, quæ nec abscondi, nec latere potest. Sic instructa

Cent. 1. li. 1 cap. 6.
Matth. 26.
Luc. 22.
Ioan. 13
Mat. 5.

Cant. 6. & ordinata est hęc terribilis castrorum acies,
Matth. 12. aduersus quam portæ inferorum non prævalebunt. Sic descripta & admirabiliter distincta est hęc veri Solomonis, vel plusquã
3 Reg. 10. Solomonis regia, vt regina Saba, hoc est, humana sapientia, meritò obstupescat, nec habeat vltrà spiritum, quemadmodum dicit scriptura, videns omnem sapientiam Solomonis, & domum, quam ædificauit, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantiũ, vestesq; eorũ, & pincernas, & holocausta, quæ offert in domo domini. Sicut autem semel constitutus est hic ordo, &

Successio sacerdotũ nota ecclesiæ euidentissima.

hæc tam admirabilis descriptio in ecclesia per apostolos, ita durat apud nos, durabitq; donec occurramus omnes in virum perfectum, vt iam è Paulo audisti, & donec Christus tradat regnũ Deo & patri, hoc est, vsq; ad consumationem seculi, continua sacerdotum & episcoporum successione. Quã

Iren. lib. 4. cap. 43.

qui non habeãt, eos Irenęus episcopus & martyr apostolorum temporibus proximus, prorsus excludit ab ecclesia, sic scribens: Quapropter ijs, qui in ecclesia sunt, presbyteris obedire oportet, his qui successionẽ habent ab apostolis, sicut ostendimus: qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum patris acceperunt. Reliquos

quos verò, qui absunt à principali successione, & quocunq; loco colligũtur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sentẽtiæ, vel quasi scindentes, elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate. Et alibi: Agnitio vera, est apostolorum doctrina, & antiquius ecclesiæ status in vniuerso mundo secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoq; loco est, ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsq; ad nos custodita. In eandẽ sententiam Augustinus: Vides, inquit, in hac re, quid ecclesiæ catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum vsq; ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, & tot populorũ consensione comprobatur. Idemq; sentit plu ribus alijs in locis. Nec aliter Origenes, Tertullianus, Cyprianus, & alij sancti patres. Nec aliò pertinere videtur illud, quod scribit Paulus Timotheo: Et quæ didicisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei & alios docere. Quin & illud, qd Tito: Propterea reliqui te Cretæ, vt cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego cõstitui tibi. Vtrobiq; sanè nexus & cathena quędã, & quasi per manus traditio mi-

Idem libr. eod. ca. 63. Aug. cont. Fau. lib. 11. & 28. Cõt. epist. Manich. cap. 4. in psal. cõt. part. Don. De util. cred. ad Honor. ca. 17 Origen. in proœm. peri Archon. Tertul. de præscr. aduers. hær. Cyp. lib. 4. epist. 9. 2. Tim. 2.

ministerij ecclesiastici denotatur. Hæc autẽ successio episcoporum & sacerdotum, atque adeò omnis descriptio ordinis & hierarchiæ ecclesiasticę perdurat, quemadmodum dixi, apud nos, quos isti pseudeuangelici per contumeliam Papistas vocant, ita vt, quod faciũt Irenæus, Optatus, & Augustinus in Romana ecclesia, nobis quoq; in nostris Polonicis, & in cæteris per vniuersum orbem terrarum fa cere liceat: nempe vt in singulis certã ac perpetuam succedentium sibi inuicem episcoporum seriem ab ipsa vsque susceptione religionis Christianę enumeremus, & inde porrò ad apostolos vsq; perueniamus. In qua serie nullus ostendi potest, qui non ab alijs legitimis episcopis, vel ab ipsis apostolis ordinationem, & cum successione episcopatus charisma veritatis certũ, vt ait Irenæus, acceperit. Hinc satis, opinor, constat, apud nos apostolicam esse ecclesiam. AV. Hîc expecto quid de euãgelicorum istorum omnium, ac de Boëmorum Husitarum, Græcorũ, Russorum, & Armenorum ministris, politiaq; & ordine ecclesiastico dicturus sis accuratius, quàm adhuc feceris. MON. Mane. Nondum nobis omnis apostolica ecclesiæ forma descriptioque explicata & absoluta est. AVL. Num quid adhuc restat, quod de ea dicendũ sit?

Ire. aduerſ. hæreſ. lib. 3. cap. 3.
Opt. cont. Don. lib. 2.
Aug. epiſt. 165.
Iren. lib. 4. cap. 43.

sit? MON. Non multum quidem: Verùm id eiusmodi est, quod consociationem & vnitatem ecclesiæ potissimum contineat & cõseruet, & in quo momenti plurimum sit ad verã Christi ecclesiam pernoscendam. Sed in pomeridianum tempus id differamus, si placet. AVL. Mihi verò perplacet: Non quod satietas me iam teneat audiẽdi, sed quòd te prolixiori sermone fatigatum, recreatione opus habere arbitrer. Et iam imminet hora prandij. Quin tu mecum is ad prandium meum. Quo peracto, licebit nobis reliqua persequi. MON. Dabis mihi veniam, est aliud quod agam. Ad horam autem vicesimam hîc tibi vacabo. AVL. Benè facies. Ego verò te reficiam pater. MON. Vide, ne graues magis fili. AVLIC. Nihil est. periculi.

PRIORIS COLLOQVII FINIS.

LIBRI TERTII COLLOQVIVM ALTERVM.

AVLICVS.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,

Terent. in Adelph.

Ait apud Terentium Demea,

Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat: ut illa, quæ te scire credas, nescias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

HOC adeò hinc mihi venit in mentẽ, quod mihi persuasione istorũ, qui se vulgò Euãgelicorum nomine venditãt, & mei loci ac ordinis hominum vulgari consuetudine, nullum genus hominum hactenus fuit contemptius & odiosius monachis, & istis, quæ religiosorũ vocantur, collegijs siue conuentibus, mendicantium præsertim. Videntur enim ij laborẽ & industriæ exercitationem, quæ societati humanæ seruire posset, fugitantes, alienorũ laborum atq; sudorum fructus, & iners ac ignauum ocium consectari. Sed iam animaduerto, perutilia & salutaria vitæ humanæ hæc esse

esse sapientum ac piorum hominum institu- *Monachorum & religiosorum usus.*
ta, vt homines ingenioſi, curis rei familiaris
vacui, pietatis ac doctrinæ ſtudijs & cultui di
uino vacarent expeditiùs, aliosq; quibus mi-
nus esset ocij à curis domesticis aut publicis,
partim orando, partim docendo subleuarẽt,
ac exemplis etiam ſuis excitarẽt. Et ſunt qui-
dem inter eos longè plures fortasse, qui offi-
cium ſuum non faciunt, vel non norunt etiã:
vt est in omni genere hominum mira bono-
rum & officij ſui memorum paucitas. Nõ de-
ſunt tamen etiam probi & honeſti, doctrina-
que & pietate præſtantes viri, quorum gratia
illos quoque alios tolerari par eſt, ſecundum
Chriſti doctrinam, perinde ac zizania ſiue lo
lium inter triticum. Hic ſanè meus magnam *Matth. 13.*
præſe fert pietatem, & non vulgarem ſacrarũ
literarum, & antiquitatis eccleſiaſticæ peri-
tiam: quod hoc triduò probè animaduerti.
Sed vellem etiamnunc adeſſet, inſtitutum-
que de eccleſia Chriſti ſermonem abſolue-
ret. Eccum autem. MON. Salue. AVL.
Tu quoque. MON. Gratiam tibi ha-
beo de edulijs & vino. AVL. Boni conſule.
Video tibi curæ esse ſalutem meam, mi Pa-
ter, quod non pateris à me requiri officium,
vltrò mihi abs te oblatum. MON. Alienum
facerem non modò à charitate Chriſtiana,

verumetiam ab humanitate, si tibi, non dicã erranti, sed quærenti viam nõ commonstrarem. Quod apud quosdam populos olim gra-

Cic. lib. 2. offic. de Athenien. uissima pœna sancitum fuisse memoratur.

AVL. Benè facis. Equidem videor mihi tuis istis sermonibus iam reductus esse in viam, vnde ætatis temeritate, æqualium curiositate, & peruerso perditorum hominum studio prorsus excideram. Videris mihi hodiè ecclesiam Christi, quæ nobis columna & firmamentum veritatis esse debet, non tam eminus demonstrasse, quàm oculis planè subiecisse: Nisi quod tute nonnihil adhuc reliquũ esse dixisti, quod de ordine atq; descriptione eius dici debeat: Idq; tale esse, quod vnitatem eius potissimum contineat atque conseruet. Id quid sit expecto. MON. Nõ alienũ opinor absre fuerit, id quod tu mane postulabas, prius explicare, an videlicet Græci, Russi, Armeni, & Boëmi Hussitæ siue Calixtini eum, quem hactenus descripsi, ordinẽ & hierarchiã ab apostolis, & apostolica authoritate ecclesiæ Christi traditã, & in ea perpetuò conseruatã retineãt, atq; ita ius apostolicæ ecclesię rectè inde sibi vendicare possint. Quin de cæteris quoque notis idem faciendum est, expendendumque accuratiùs, an illis conueniant. Ac non solùm illis, verumetiã

Hæretici & schismatici ad ecclesiam nõ pertinent.

pseu-

pseudeuangelicis istis omnibus, quibuscunque ij nominibus appellantur, quatenus id manè prætermissum est. Sic autem fiet, vt ad id, quod nobis reliquum est, de ordine atq; descriptione ecclesiæ apostolicæ, quasi Thesei filo perueniamus. Nisi fortè aliter tibi videtur. AV. Mihi verò perplacet idē, quod tibi. MON. Agamus autē prius de istis, si Deo placet, euangelicis: Qui dum nullum alium exitum inueniunt, quo minus vel suis ipsorū iudicijs schismatis & hæreseos condemnentur, nō solùm iniustè, sed etiam perquàm impudenter hasce ecclesiæ veræ notas sibi vendicant & vsurpant, cum profanis nouitatibus & secessione delectati, non modò à cæteris omnibus Christianis populis, qui nunc sunt, quiq; fuerunt vnquam in toto orbe terrarū, dissideāt, & segregent semetipsi, sed inter se etiam de rebus perplurimis & maximis miserè digladientur, seq; inuicē damnent, atq; adeò sibi ipsi non constent, quemadmodum nudiustertius euidenter & luculentè demōstratum est, & ipsi, quamlibet sint perfrictis frontibus, negare iam non audent, neque possunt. Huc adde, quòd ad licentiam ferè, quam libertatis euangelicæ nomine cohonestant, non ad sanctitatem doctrinam suam instituunt, & nonnulli ex ijs sanctificatio-

Euangelicā extra eccle sia m sunt

nem sanguine Christi nobis partam esse negant, cæteri verò: quamuis ea glorientur, sacramentis tamen eam, & cultui diuino, bonisq; operibus à charitate proficiscentibus, per quæ quasi media & instrumenta nobis eam Deus impertitur, detrahunt. Quo fit vt neque vnius, neq; catholicæ, neque sanctę ecclesiæ nomẽ & ius omnino vsurpare queant. De vnitate dicam adhuc nonnihil paulò pòst. Nunc illud ostendendũ est, eos, vt maximè sanctæ & catholicæ ecclesiæ notas vendicare sibi posse viderentur, apostolicæ quidem nequaquam posse, propterea, quòd ordinem atq; descriptionem ab apostolis instituta non seruant. Sunt´ne enim apud eos magistratus ecclesiastici & ministeria, quæ à Deo per apostolos ecclesiæ ad vtilitatẽ data & instituta esse hodie prolixiùs demonstraui, & sine quibus ecclesia ne cogitari quidem vlla potest? Non dico prophetia, gratia sanitatum, genera linguarum diuinitus infusa, apostolatus, & si qua sunt alia, quibus ad ponenda fundamenta ædificationemque ecclesiæ magis, quàm ad conseruationem & gubernationem iam ædificatæ opus erat: Quę apud nos quoque ferè in vsu esse desierunt. Verũ enimuerò sunt´ne apud istos, pastores, doctores, episcopi, presby-

Pseudeuangelici non tenẽt apostolicam ecclesiam.

byteri,& omnino sacerdotes,diaconi siue euangelistæ,gubernationes deniq;,quo nomine vniuersè magistratus omnes ecclesiastici, qui ordinem,concordiam,& politiam ecclesiasticam tueri,& quasi manutenere debent, comprehenduntur? De Anabaptistis &Suëcfeldianis nihil dico. Delectantur ij sua anarchia & reuelationibus. AVL. Cæteri habent sanè suos ministros ecclesiarũ,pastores, doctores,euangelistas,parochos,& superintendentes. MON. Non possum hîc non ridere istorum ineptias,& studiũ separationis: qui cùm alioqui libenter græcizent, ita vt euangelion etiam dicere malint,quàm euangeliũ vsitato Latinis more, Seniores tamen & superintendẽtes vel superattendẽtes nouè,nec scio an satis latinè,malunt, quàm presbyteros & episcopos: Quibus nominibus græcis & rotundis omnis omnium temporum ecclesia latina,atq; adeò Europæa vsa est,& vtitur. Vellem idem facerent in nomine ecclesiæ,vt cœtus suos, conuenticula seu conciliabula (quæ tamen latina ac tersa sunt vocabula) dicerent potiùs,quàm ecclesiam, vel ecclesias: Nisi quòd suas tamen fere vocant ecclesias, quo planè constet,eos cum vna,sancta catholica & apostolica ecclesia nihil commune habere velle. Sed ad rem: Credísne tu istos eorum

Pseudeuangelicorum nouãdi omnia studiũ. Superintẽdentes & seniores.

rum superintendentes, vel superattendentes, parochos, pastores, doctores, euangelistas, & ministros ecclesiæ verè id esse, quod dicuntur? Nihil minus sunt: Quandoquidem sacerdotes non sunt. Negat autem Ambrosius, sacerdotium esse apud hæreticos. AVL. Funguntur certè ministrorum muneribus. MO. quibus obsecro? An quia concionantur, & sacramenta administrant? Primùm non satis est: Deinde in his peragendis non seruãt instituta apostolica: Postremò ne agere quidẽ quicquam eiusmodi ritè possunt. Ac non satis id esse, quod concionantur ac sacramenta administrant, patet ex ijs, quæ memoraui manè è scriptis & institutis apostolicis de ministerijs & magistratibus ecclesiasticis, eorumque officijs. Fuerit sanè satis euangelistis euãgelium prædicare, doctoribus docere, ministris (quod nomen generale, illi adstringũt) sacramenta ministrare, & si volunt prædicare? quid facient pastores & parochi, & seniores? quid autem superintendentes? AVL. Scilicet illi curam gerent populi, hi verò ipsorũ parochorum, pastorum, & seniorum, eisque præerunt. MON. Non igitur satis erit prædicare & sacramenta administrare, si alia præterea, proferunt ministrorum istorum officia. Quod si alij sunt superintendentes ab episcopis,

Ambro. de pœnit. li. x. cap. 2.

Ministeria ecclesiastica euangelicorũ qualia

Superintẽdentes euãgelicorum.

pis, vnde ij ipsis exorti sunt? sacræ quidem literæ nullam eorum faciunt mentionē. Quo iure autem episcoporum ij munus vsurpant? Sin ijdem sunt, cur alia episcoporum munera, & ipsa ex institutis apostolicis, quē admodum ostendi, promanantia, & ad ædificationem ecclesiæ, siue adeò iam ædificatæ gubernationem non minus, quàm illa duo, pertinē tia, non modò non adimplent, verumetiam aspernantur, abrogant, & contumeliosè proscindunt? Vbi sunt autē presbyteri, & sacerdotes, qui & ipsi non tam ab Apostolis, quàm ab ipso Christo domino, quemadmodum probatum est, ad opus eximij ministerij, hoc est, iugis sacrificij, & omnis cultus diuini (vt cætera eorum officia prætermittam) instituti, per tot secula perpetuò durarunt, durantq; in vniuersa eius ecclesia? Vbi gubernationes, non modò verbis, verumetiam rebus ipsis & operibus à Paulo, alijsq; apostolis proditæ, si regimen omne multitudinis ecclesiasticum, & ipsorum adeò ministrorum est penes profanos principes & magistratus, quèmadmodum ipsi dictitant? Vbi cętera illa ministeria, quæ recensui, ad vtilitatem ecclesiæ, consumationem sanctorum, cultusq; diuini administrationem ab apostolis, aut certè apostolicis viris apostolica authoritate instituta?

Quis

Quis autem omnino vsus est apud istos vel pastorum & parochorum, vel superintendentium, si iudicium omne de doctrina est penes eosdem profanos principes & magistratus, vel penes multitudinem, vel denique sibi quisq; pastor est, suoq; ipsius iudicio de ijs, quæ ad doctrinam atq; religionẽ pertinent, relinquendus est. Nec debet quisquã credere legitimorum ecclesiæ ministrorum iudicio sine suo? Vidisti enim, opinor, quæ contra virum imprimis doctum ac pium, Petrum à Sotto scripsit Ioannes Brentius. AVL. Non vidi: sed perge. MON. Hæc´ne, nõ dico apostolicæ, sed vllius omnino sunt ecclesiæ & politiæ? Hic´ne est ordo, secundum quem Paulus omnia fieri vult in nobis? Ita´ne perficitur, vt ij, qui Christo nomina dedere, iam nõ sint paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris? An potius, vt sublata ministrorum authoritate & officio præcipuo, pateant omnia nequitiæ & astutiæ perditissimorum quorumque hominum ad circumuentionem erroris, discipulos abducere post se stũdentium? An hoc nõ est eigeuillium potiùs, quàm euangelium, hoc est, licentiam vulgi alere & propagare, & vel turrim Babylonicam, vel ecclesiam quidem,

Brentij Prolegomena, & pericopæ. 1. Cor. 14.

dem, sed confusam, & Ephesinæ illius, de qua scribitur in Actis apostolorum, similem, non apostolicam ædificare? Nihil igitur præter nudum verbi & sacramentorum ministeriũ apud istos relinquitur ministris ecclesiæ, quocunque ij nomine censeantur. Quid? In eo seruantur´ne instituta apostolica, cùm id vtrunque vel principum & magistratuũ profanorum, vel inconditæ turbæ arbitratu geritur? An non videmus euangelicos istos prurientes auribus, coacceruare sibi magistros, vel ministros potiùs, eisq́; & prædicandi, & administrandorum sacramentorum formã rationemq́ue præscribere? & amouere eos pro sua libidine, qui rationem sibi præscriptam non sequantur? Scilicet hoc ius est ecclesiæ, inquit Melanchton, à scriptura ei tributum. Vbi´nam? Cùm præcipit, inquit, de vitandis impijs doctoribus: Cauete à pseudoprophetis. Item, Si quis aliud euangelium euangelizauerit, &c. At hęc, ô bone vir, nõ magis multitudini publicè, quàm priuatim singulis præcipiuntur, vt sibi caueant à pseudoprophetis: vt anathema sit, si quis aliud euangelium euangelizauerit. Idem´ne autem, aut eiusdem´ne est, vitare impios doctores: cauere à pseudoprophetis: anathema habere eos, qui aliud euangelium euangelizant, & iu-

Act. 19.

Ministerio-rum exercendorum ratio apud euangelicos.

Melan. in loc com. de potest. eccles.

Iudicium de doctrina ad quem pertineat.

iudicare de ijs, quínam tales sint, qui nõ sint?

Cõf. Aug. de potestate eccleſiæ.

Si idem & eiusdem est, cur igitur Confessio Augustana, ab eodem Philippo conscripta, iudicium de doctrina, & excludere impios à communione ecclesiastica, non cuiuslibet hominis, neq; multitudinis, sed episcoporũ vult esse proprium officium? Sin diuersum, quid ad rhombum ea, quæ dicit, & è sacris scripturis citat Philippus? An non hoc est deprauare scripturas, non modò ad suã ipsius, verum etiam ad multorum aliorum perditionem? Quid autem hoc est aliud, quod hîc arbiter, si Deo placet, honorarius decernit, quàm boues à curru trahi, quod contrà fieri oportet? Vult Christus summum esse iudiciũ Ecclesiæ, cùm ait: Dic Ecclesiæ. Fateor. Aut igitur ista ipsorum confessio, quam ipsi pro verbo Dei venditant, pugnat cum doctrina Christi (quod vtinam nobis dent) aut per ecclesiam ibi non multitudinem atq; turbam, sed præsides & Præsules eius accipiamus necesse est. Quod sequentibus continẽter verbis Christi recte comprobatur, quemadmodum prius ostendi: Nec diffitetur Caluinus.

Cal. instit. lib. 4.

Non est igitur apostolicis institutis & verbo Dei consentaneum, quod docent & faciunt isti, vt multitudo arbitratu suo verbi & sacramentorum administris ministrãdi leges præscri-

scribat. Non ita docuit Paulus, ad ministrum verbi Dei Timotheũ scribens: Formã, inquit, habe sanorum verborum, quæ à me (apostolo, non principe, vel magistro ciuium, vel plebe) audisti. Nõ ita Deus per Malachiam: Sed, Labia, inquit, sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirent (populi videlicet) ex ore eius. Quare? Quia, inquit, angelus siue nuncius & legatus est (cuius? Putas eum dicere populi, vel magistratus ciuilis, vel ludimagistri grammatistæ? Non: Sed) domini exercituum. Non ita denique Christus, quando fidelem dispensatorem & prudentem dicit cõstitutum à domino super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Itaque Paulus non cedit Galatis ad obseruationem legis recurrentibus: sed magna authoritate insensatos eos appellat. Ne Corinthijs quidẽ de vsu eucharistiæ, licet ij Christi institutum vel exemplũ duntaxat sequi viderẽtur. Quid est autem, quod alibi scribit? Presbyteri, qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur. Vides hîc eum velle, vt presbyteri præsint, non subsint. Additq;: Maximè, qui laborant in verbo ac doctrina: vt ostendat, in quo præsint: & non solùm id esse eorum officiũ, vt laborent in verbo ac doctrina: sed esse etiã alia. Quid autem, quòd ait idem: Episcopos

2. Tim. 1.

Malach. 2.

Luc. 12.

Gal. 2. & 3.

1. Cor. 11.

1. Tim. 5.

Act. 20.

à spiritu sancto positos esse, vt regant ecclesiã Dei? Isti verò superintendentes & ministri reguntur, non dico ab ecclesia, sed à profanis magistratibus & principibus, imò vnius aut alterius oppidi vel pagi dominis, vel administris, atq; adeò scribis & actuarijs, & ludorum magistris: Et qui heri pro veris euangelij sacramentorumque ministris habiti sunt, postridiè, nulla in eis facta mutatione, pellun tur tanquam seductores & impij. Quod alicubi nuper factum esse constat. Imò sæpè fit multis in locis, quod etiam querelę ipsorum in lucẽ editæ, & à me recitatæ nuper, demonstrãt. Sed faciamus ministros istorum in exercendis ministerijs suis non pendere ex arbitrio multitudinis, aut principum, aut magistratuum profanorum: sequuntúrne autem ij, quæso, in exercendis ministerijs suis, instituta apostolica? AV. Idquidem ipsi maximè asseuerant: Nos autem ab ijs discessisse contendunt. MON. Scio. Atq; hunc esse volunt statum controuersiæ suæ nobiscum: Cùm illud quoque nihilominus in controuersia sit, solísne scripturis, an etiam traditionibus apostolorum ea instituta contineantur. Nec de scripturarum autem sensu inter nos conuenit. Quibus de rebus actum est heri accuratè: Atq; inde ad hanc de ecclesia disputatio-

Pseudeuangelicorum ministeria non consentanea institutis apostolicis.

tionem noster desfluxit sermo. Quo nondũ absoluto, non potest exactè demonstrari, nõ sequi eos instituta apostolica in exercendis ministerijs verbi Dei & sacramentorum: Nisi quòd paulò pòst fortasis obiter ostendã, nos, qui per Dei gratiam Catholici sumus, ab eis non discessisse, quemadmodum isti criminãtur. Quod vbi planum factum erit, consequẽs erit, ipsos, qui diuersum & contrariũ sentiunt, discessisse. Et non obscurè autem id arguunt ipsorum inter se dissidia, & varietas ac inconstantia non minus in sacramentis & vsu eorum, quàm in dogmatibus. Quibus de rebus multa iam nobis dicta sunt. Postremò iam illud quoque demonstratum est: Non esse id verbi Dei ministerium, quod sibi sumit is, qui à Deo missus non est. Nec ea vera & legitima esse sacramenta Dei, quæ ab eo, cui potestas eorum mandata ritè nõ est, perficiuntur, seu veriùs assimulantur. Sicut enim euangelij, seu verbi & sacramentorũ author fuit Christus Dei filius: ita vtrumque non à quibuslibet ꝓmiscuè, sed à certis hominib. & peculiariter ad hoc delectis, potestateq; & gratia spiritus sancti cœlitus instructis administrari voluit. Itaq; cũ numerosã haberet auditorũ atq; discipulorũ turbã, tamẽ ex omni numero quosdam delegit, quibus dixit? Ec-

Euangelicorum inter ipsos dissidia.

Euangelici ministros ecclesiæ legitimos nõ habent.

Matth. 10.

Luc. 22. ce ego mitto vos, Sicut misit me pater, & ego
Ioan. 20. mitto vos. Hoc facite in meam cõmemorationem. Accipite spiritum sanctum: Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorũ
Matth. 28. retinueritis, retenta sunt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo in mundum vniuersum, prædicate euangeliũ omni creaturæ. Et alia eiusdem modi: Quibus præceptis instructi illi, & faciebant ipsi, quæ sibi mandata erant, & alijs mandabant, potestatem, quam acceperant ipsi, eis impertientes. Nec modò vt facerent, & muneribus illis fungerentur, sed vt ipsi quoq; deinceps alios sibi non modò socios & adiutores, verumetiam succcessores constituerent. Nec id quomodolibet fiebat, verùm certis quibusdam, vt ostendi, ritibus & cæremonijs sacris, ab ipsis, vel ab ipso Christo domino institutis. Ostendant autem isti pseudeuãgelici, ea seruari apud se in ordinationibus ministro-
Cal. instit. rum eccleſiæ. Caluinus quidẽ mirificus scri-
lib. 4. cap. pturarum & verbi Dei vindex, eccleſiæq; re-
3. 19. 20. formator, etiã eos ritus, qui apostolicis scriptis proditi sunt, scitè, vt ipsi videtur, eleuat & aspernatur. An non vsurpat autem apud istos quilibet de fæce vulgi, vt libet, & quando libet ministerium verbi, & sacramentorũ dispensationem? Mitto sartores, textores, fa-

bros,

bros, lanios, carnifices, certè & mulerculæ alicubi ea obeunt. Proinde graphicè ij depingũtur à D. Cypriano, cùm ita scribit: Hi sunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispositione præficiũt, qui se prępositos sine vlla ordinationis lege constituũt, qui nemine episcopatũ dãte episcopi sibi nomẽ assumunt. Quos designat in psalmis spiritus sanctus, sedẽtes in pestilẽtiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrũpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes: Quorum sermo, vt cancer serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. AVL. A hoc temeritate quadam & abusu fit. Cæterùm in benè constitutis ecclesijs seruatur & apud ipsos delectus, & manuum impositio. MON. Nempe quando multitudo vel magistratus ciuilis ministrum sibi cõstituit, & manus ipsi imponit. AVL. Sic est. MON. Ostendat mihi quispiã, vbínam hoc ita vsitatum fuerit in Christiano populo ante ducentos, trecentos, & mille annos, aut sit etiamnum nostro tempore, præter istorum & pauculorum quorundam similium istis hæreticorum obscura conuenticula, & vbi hoc ita Christus vel apostoli eius instituerint. Equidem ostendi instituta apostolica, quę per

Cypr. de vnit. eccles.

Ordinationes Euangelicorum ministrorum.

tot secula perpetuò durarunt, durantq́; apud omnes Christianos populos, & ab ipso Christo domino sumpserunt initium. Nam ipse per se apostolos & alios illos 72. discipulos ad ministeria ecclesiastica ordinauit, ac non sequentibus se, & in se credentibus turbis, vt eos ordinarent, præcepit vel permisit. In quo seruarítne eos ritus, de quibus dixi, an non seruarit, non multum refert. Quis enim Deo legem præscribat? Satis est ab apostolis eos nobis esse relictos. Vbínam autẽ quæso scriptum est, multitudinem Christiani populi, presbyteros, episcopos, & alios, siue magistratus, siue ministros ecclesiasticos sibi ipsi instituisse, & imponendo, vel, vt vult Caluinus, protendendo, manus, spiritum sanctum, sine quo ea munera rectè peragi non possunt, dedisse, dare´ue potuisse? Videntur isti sibi niti eo, quod in actis apostolorum de diaconis scriptum est. Nimirùm, eos non ab apostolis, sed apostolorum iussu à multitudine electos esse: Et quod in Ecclesia Antiochena Paulus & Barnabas ad ministerium ex reuelatione spiritus sancti segregati, & per impositionem manuum dimissi sunt. Verùm deprauant ij has, æquè ac cæteras scripturas, peruersa interpretatione ad suam ipsorum perditionẽ. De quibus enim ea scribit Lucas? Id quidem perspicuum est, si quis non amputauerit ver-

Cal. instit. lib. 4. ca. 3.

Act. 6.

Act. 13.

ba, sed totam eorum seriem, quemadmodū ibi descripta est, perpēderit. AVL. Quónam autem modo ibi scriptum est? MON. Sic incipit Lucas: Erant autem in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores: In quibus Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manaën, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem, siue sacrificantibus illis domino, & ieiunantibus: Quibus nam? Nimirùm prophetis illis & doctoribus, dixit illis (non multitudini) spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabā in opus, ad quod assumpsi eos. Prosequitur Lucas: Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt eos. Quínam? Nempe ijdem, quibus præceperat spiritus sanctus, prophetæ ac doctores, non multitudo, ad quam ibi nullus fit sermo: Nec erat operæpreciū, vt ab ea illi protensione manuum Caluiniana eligerentur, quos iam Deus ipse ad illud opus ministeriumq; assumpserat. De Diaconis scribens Act. 6.
Lucas idem, facit quidem mentionem multitudinis, fateor: sed ita, vt dicat ab ea illos electos, & ante conspectum apostolorum constitutos esse. Quod longè aliud est, quàm ordinare vel instituere. Non enim confert gratiam & potestatem ordinis & ministerij sacri

electio, sed ordinatio vel institutio, quemad modum hodiè manè ostendi. Quod ex eo ipso quoque loco planum fit. Non enim satis fuit, septem illos electos esse à multitudine. Sed statuerunt, inquit, eos ante conspectum apostolorum: commendantes eos videlicet. Satísne autem hoc fuit? Nequaquam: sed addit statim: Et orantes imposuerunt eis manus. Quínam? Apostoli proculdubio, ante quorum conspectum illi statuti erãt, quique Petrum & Ioannem miserunt Samariam, vt per impositionem manuum eorum acciperent Samaritani spiritum sanctum. Tametsi autem diuersa ab hac fuit illa manuum impositio, tamen eam sibi sumere Philippus Euãgelista, ab apostolis ordinatus, ausus non est. AV. At enim apud istos quoque iam, delectis à multitudine vel magistratu ciuili, non ipsa multitudo vel magistratus, sed alij ministri vel superintendẽtes manus imponunt. MO. Non est nouum, ipsos met damnare temeritatem suam. Quo autem præcepto euangelico vel apostolico freti id faciunt? Caluinus quidem aliter sentit de ea impositione manuũ, siue χειροθεσία. Paulus sanè de ea nihil præcipit, neque Lucas: Ostendit modò vterque quid factum sit quodam tempore. Sed vtut est, ita quoque discedunt ij nihilominus ab in-

Act. 8.

Cal. instit. lib. 4. ca. 3.

instituto apostolico. Iam audiuisti impositionem manuum, per quam confertur spiritus sanctus, & potestas ministerij ecclesiastici, ad apostolos & successores eorum episcopos peculiariter pertinere. Scribit Paulus ad Titum episcopum, Vt constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Et ad Timotheum itidem episcopum, de presbyteris agens: Manus cito nemini imposueris. Vnde sunt autem isti episcopi? Quis episcopus vel apostolus eis dispossuit, successionemq; episcopatus, & cum ea charisma veritatis, vt ait Irenæus, vel, vt Paulus, gratiam Dei quasi per manus tradidit? Edãt origines suas. Quomodo autem quis alteri cõferre potest id, quod ipse prior ab alio non accepit? Quis vnquam Lutherum, aut Philippum Melanchtonem, aut Caluinum, episcopum aut superintendentem alicuius loci, aut vllius ecclesiæ ministrum constituit? Mitto Lutherũ, & Caluinum, qui nihil non sunt ausi: Philippus certè nullũ vnquã ministeriũ in ecclesia Vitébergensi, vel vlla alia vsurpare ausus, id tamẽ, qd̃ est maximum omnium, vsurpauit. Nimirùm, vt ministros, pastores, & superintendentes ecclesijs, etiam longissimè à se disiunctis, in Vngariam, ac Transyluaniam vsque mitteret. Quis autem ipsi dedit eam potestatem, *Tit. 1.* *1. Tim. 5.*

Const.ant. 1.concil. cap.2.& 3.

non iam episcopalem, & certis finibus diœceseos circumscriptam, sed planè Apostolicam? Concilium quidem Constantinopolitanum primum definiuit: Non licere cuiquã episcopo in aliena diœcesi quenquam ordinare, siue initiare. AVL. In Vngariã & Transsyluaniam Philippus pastores & superintendentes mitteret? Non arbitror tam effrontem eum esse. Certè modestior is esse fertur omnibus alijs istis euangelicis. MON. Erras. Vult quidem permodestus videri, sed non semper benè modestiam asimulat. Misisse autem eum, non est dubium. Reperti sunt non pauci, qui rogati à iustis episcopis, & eorum visitatoribus, ipsum authorem missionis & ministerij sui ediderunt: Et proferebant, ni fallor, diplomata, quas formatas literas vulgò vocant. Hócne autem solum ambitiosè ab eo factum est? An non queruntur Illyricus, Sneppius, Gallus, Osiander, & alij permulti de eo, quòd authoritatem interpretandi Confessionem Augustanam solus sibi sumat, eamque à Lutheranismo ad Zuinglianismũ siue Caluinianismũ transferat? Et videtur sanè iustã quærendi causam habere. Cur enim vnus, aut ille potissimũ tantã habeat potestatẽ in eo, quod omnium est, & pro verbo Dei habetur? AVL. Quid ais? Pro verbo Dei? MO. Sic est. Extat libellus Ioachi

Melanchtonis ambitio & insolentia.

mi Vestphali, contra Ioannem Lascum ædi- *Vestphal. contra mēdacia Ioan. Lasci.*
tus: In quo ille vehementer indignatur, Confessionem Augustanam pro humana doctrina à Lasco haberi. Sed nos nostra persequamur. Non est igitur apostolica ratio ordinandi ministros & pastores ecclesiæ apud istos euangelicos, sed recèns excogitata per homines arrogantes & præfractos, quibus placent nouationes, quò euerso vel perturbato ordine, ius omne & arbitrium rerum ecclesiasticarum, atque religionis iustis & legitimis possessoribus ereptũ, ad se transferãt. Quod de Philippo, Luthero, & Caluino, grauiter queri socios ac discipulos eorum, audisti ex me nudiustertius. AVL. Ne illud quidem video turmihi esse institutum apostolicum apud uos, cùm episcopos & presbyteros non ipsa sibi multitudo eligit. MO. Fateor. Erat hoc receptum antiquitus apud Christianos, vt nulli populo præter voluntatem ipsius præficeretur episcopus, quod è scriptis Origenis & Cypriani animaduerti potest, extatque ea de re antiquus canon in quinta synodo Aurelianensi: & alibi vetustiores etiam. Sed non eligebat eum sibi sola multitudo sine presbyteris. Imò soli presbyteri eligebant, populus autem de moribus & meritis eligendorum consulebatur, quemadmodum testatur *Electio ministrorum in ecclesia catholica. Orig. in Leuit. hom. 6. Cypr. ad Corn. et ad Rogatian. Conc. Aurelian. ca. 4*

Cy-

Cyp. lib. 2. epist. 5. Theo. li. 4. ca. 22. hist. eccl.

Cyprianus: siue vt scribit Theodoritus, Eligebant clericorum suffragia, postulabat populus, constituebat siue ordinabat conuentus episcoporum: Idq; fieri solere secundum sanctiones ecclesiasticas. Itaque non eligebat populus, sed assentiebatur eligentibus clericis, aut si quid haberet cõtra electum electionémue, quod iustè posset obijcere, reclamabat. Cuius rei testes sunt etiam Stephanus primus, & Leo primus Papæ sancti. Quo tranquillior autẽ & ordinatior esset electio, intererãt vicini aliquot episcopi. Quin alicubi ij soli eligebant: Quod constat è synodo Alexandrina, quæ est inter scripta Athanasij. Sic igitur creabantur olim episcopi. Ac propterea temporibus illis probi, vigilantes, ac sancti erant episcopi, & nauiter officium suũ faciebant, neque aliud quicquam magis curabant, quàm vt commendatum sibi populũ rectè, & cum eius beneuolentia gratiaque, ac dignitate sua gubernarent. AVL. Sanctum hoc, mi pater, & salutare fuit institutum. Cur autem id antiquatum est? MON. Non est huius temporis id persequi. Equidem liberas episcoporum electiones abrogatas esse, laudare non possum. Præclarus hic mos, & laudabile institutum erat (quod durat adhuc nonnullis in locis) cum presbyteri peracto

Steph. epist. in lib. concil. Leo ad Anastasium Thessalon. episcopũ. Alexandr. synod.

iciu-

ieiunio, placato & inuocato ritè Deo, acceptaque sacrosancta eucharistia, iurati, non aliud, quàm vtilitatem ecclesiæ spectaturos se esse, suffragia inibant, & non ex aulis principum, neque ex foro, & à profanis negocijs, sed ex ecclesia, seu collegio suo, vel è monasterio, vel academia episcopum sibi deligebant eum, cuius mores probos & honestos, doctrinam, solertiam, & pietatem non ipsi modò, sed populus etiã probè nosset. Tametsi id quoque nõ semper benè succedebat, propter astutiam & peruersitatem, aut etiam leuitatem & inconstantiam hominum. Sed neque vbique tamen, neque semper huiusmodi electio fuit in ecclesia. Apostolicis quidem temporibus Petrus Clementem Romæ, Zachæum Cesareæ, Euodium Antiochię, & Marcum Alexandriæ: Iacobum item Ierosolymis, vt est apud Chrysostomum: Paulus Titum, Timotheum Dionysium Areopagitam, episcopos ordinauit: in quibus nullam legimus præcessisse electionem. Scribit etiã Chrysostomus, licuisse Petro soli alium in loco Iudæ apostoli præuaricatoris surrogare. Socrates autem in historia ecclesiastica testatur, ab ipso Chrysostomo, patriarcha Constãtinopolitano, sine vlla electione episcopum alicubi ordinatum esse, itemque à Romano pon-

Episcopi creati sine electione. Clem. recogn. Chrys. ho. 87. in Ioã. Chrys. in Acta, hom. 3. Socr. lib. 6 ca. 11. lib. 7. ca. 36. & 37.

pontifice alium,& alium item ab Attico, itidē Constantinopolitano patriarcha. Potest etiā demonstrari, vbi in gratiam imperatorum nulla præcedente electione constituti & ordinati sunt episcopi, sed ab ijs tamen, quorū hoc munus fuit. Quod factum est nonnunquam etiam apud nos in Polonia. Antiquitus quidem libera erat apud nos quoque penes collegia primariorum sacerdotū, quæ capitula cathedralium ecclesiarum vulgò vocā tur, sui cuique episcopi eligendi potestas. Verùm cœpere deinde reges primùm modestas preces & concilia, mox authoritatem quoq; suam interponere in electionibus, & præscribere eligentibus, quem eligi vellent. Ad extremum eò res perducta est, ambitione nonnullorum, aut etiam contentione siue prauitate eligentium, vt rex nō expectata electione, à pōtifice maximo peteret nonnunquam arbitratu suo renunciari episcopum. Nō laudo factum. Valentinianus quidem pius Imperator delatam sibi à sacerdotibus electionem repudiauit, quemadmodum testatur Theodoritus in historia ecclesiastica. Interdicit etiam principibus ea potestate octauū generale concilium. Quanquā peccatur nō rarò etiam in electione, peruersis eligentiū (vt nunc sunt tempora) studijs, prauisq; iudicijs,

Episcoporum electio et designatio in Polonia.

Theod. lib. 4. cap16. Concil. 8. can. 22.

cijs,& quiduis aliud ſpectatur ab ijs, quàm quod ſpectari potiſsimùm oporteret: ita vt in hac noſtrorum temporum peruerſitate dubitari poſsit,vtrum ſit conſultius,eligíne à ſacerdotibus, an à principibus deſignari epiſcopos.Non derogatur tamen,vt vides,inſtitutis apoſtolicis per id, quòd non eliguntur epiſcopi,cùm neque electio, neque profani alicuius principis vel magiſtratus nuncupatio faciat epiſcopum,ſed ordinatio ſiue conſecratio, quæ ad epiſcopos ſolos pertinet, ſemperq; pertinuit,ſicut oſtẽdi hodie. Quẽadmodum nec per illud derogatur, quod parochiæ,& alia ſacerdotia, ſiue miniſteria eccleſiaſtica ad arbitrium profanorum patronorum conferuntur,modò vt accedat epiſcopi iudicium,authoritas,inſtitutio,& ordinatio, quemadmodum iam inde ab initio ad hoc vſque tempus apud omnes Chriſtianos populos receptum eſt,ac non quemadmodũ fit apud nouatores iſtos: vbi profani homines propria authoritate eiuſmodi miniſteria eccleſiaſtica conferunt, ac rurſus arbitratu ſuo adimunt.Ad ſolos enim epiſcopos pertinet,ſocios miniſterij ſui ſibi adſciſcere, ſicut oſtendi. Sed conceſſerunt ij huius iuris ſui partem multitudini: non vt ea eiuſmodi miniſtros ipſa ſibi inſtituat(quod concedere ſaluo

Sacerdotiorum ſiue miniſteriorum collatio penes epiſcopos.

Ius patron. laicis conceſſum.

saluo officio suo non possunt) sed vt eligat modò atque edat siue nominet, ac episcopo commendet eum, quem probat, testimoniũ ei reddens, quòd rectè & honestè se gerat, & idoneus ei muneri obeundo esse videatur, quo maiore is dignatione & beneuolentia sit apud eos, quorum voluntate constitutus est. *Act. 6.* Cuius rei exemplum est in prima illa diaconorum electione: Qui à multitudine electi sunt apostolorum siue iussu, siue permissu, ac deinde apostolis repræsentati & commẽdati, ab eisq; per impositionem manuum instituti. Sic igitur hoc fiebat antiquitus. Sed cũ posteà populi ea potestate abuterentur, dissidiaq; & factiones, imònonnunquam etiam prælia & cædes in electionibus exuscitarent, abrogatus est is mos. Extatq; eius abrogationis argumentum in synodo Laodicena: Etalicubi magistratus profani consensum populi episcopis renunciare cœperunt, velut ij, quibus eius populi cura & gubernatio incũberet. Id quoque deinceps longiùs progressum est, ita vt domini siue magistratus, nesciente populo, quem volunt, edant, & episcopo commendent, vel repręsentẽt. In quo retinuere tamen illud episcopi, vt electorum siue nominatorum & repræsentatorum delectum habere possint, atque adeò debeant.

Syn. Laod. cap. 13.

Præsentatorum delectus penes episcopum est.

Itaq;

Itaq; licet concesserint nonnihil episcopi de iure suo profanis, authoritas tamen mandandarum curationum ecclesiasticarum atq; munerum, & initiandi sacris, penes ipsos manet etiamnum. Et initiationes quidem nonnisi ab ipsis episcopis, qui sacris pontificalibus initiati sunt, peragi possunt: Initiandorum autem examinationem de fide & eruditione, ortus & morum honestate, & populari de ijs opinione, itemque mandationem curationum, siue sacerdotiorum, vt vulgò loquuntur, collationem, communicarunt ij cum vicarijs suis, & alijs ministris, quemadmodum audiuisti hodiè manè. Vellem hæc quoque ipsi per se peragerent, aut certè idoneis hominibus mandarent, ijq; quibus ea mandantur, nauiter ac diligenter per se ipsi, ac nõ per alios rursus quales quales vicarios officium suum facerent. Minus certè laboraret ecclesia, minusq; obnoxius esset ordo sacer odio & contemptui. AVL. Hoc profectò verum est. Nunc dum in delectu eorum, qui sacris initiantur, & quibus mandantur curationes ecclesiasticæ, minus adhibetur curæ atq; diligentiæ, fit vt pro episcopis, præpositis, canonicis, parochis, & alijs ministris ac magistratibus ecclesiasticis, habeamus principes, satrapas, dominos, tyrannos, œconomos, fœnera-

Abusus in conferendis sacerdotijs & ordinibus sacris.

tores,rationarios, menſarum cupediarumq́; inſtructores,milites,venatores,aucupes, caupones,ne quid aliud addam: Qui non modò non faciunt, ſed ne norunt quidem officia ſua: quiq́ue etiam quouis alio, quàm ſacerdotij, vel miniſteriorum ſuorum nominibus appellari malunt: & ſatis habentes ſacerdotiorum fructus & emolumenta per fas & nefas corradere, & vel recondere, vel in propinquos ſuos ditandos impendere, vel denique turpiter profundere, ad eccleſias, quarũ ſunt miniſtri, perrarò adeunt, aut ne adeunt quidem. Quid ego pueros commemorem, quibus luculentiſsima & honoratiſsima quæq; miniſteria ad cunas propemodum deferuntur? Per oſtiúmne autem ij tales intrant, an per feneſtras, atq; adeò per hiatus perfoſſorum parietum vel perrumpunt, vel irrepunt in ouile Chriſti, qui non virtute, doctrina, & meritis, ſed precio, vel obſequijs & miniſterijs, honeſtati & pietati non vſquequaq; conſentaneis nonnunquam, malíſue artibus, aut vi ad magiſtratus & honores eccleſiaſticos graſſantur, aut generis ſolius ac ſanguinis præſidio prouehuntur? Híne tales legitimi ſunt miniſtri ſiue magiſtratus eccleſiæ? Recténe autem, ijs miniſtrorum loca occupantibus, in eccleſia conſeruatur ordo politiaq́;

apo-

apostolica, vt ea vera ecclesia Dei dici queat? MON. Satis vehementer ista dicis, & odiosè: vtinam quidem minus verè, quàm res ipsa loquitur. Sed respõdebo tibi ad ea, quæ quæris. Equidem ista sic fieri nõ probo: Nec scio an vlla sit pestis capitalior ecclesiæ Dei prauitate ista in conferendis iuxtà atque captandis, & obtinendis ministerijs ecclesiasticis. Languere enim totum corpus necesse est, vitalibus membris malè affectis. Sed aliud est, abuti re bona, aliud rem ipsam tollere. Vix enim vnquam rei bonæ tantus est abusus, quin is boni aliquid admixtum habeat. Et re autem ipsa manente, abusus eius corrigi potest, ita vt incipiat esse vtile id, quod antèà fuit minus vtile, vel etiam pernitiosum. Eius verò quod non est, quis vsus esse potest? Episcopum, presbyterum, pastorem, parochum, & omnino sacerdotem ac ministrum ecclesiæ non tam functio facit, quàm potestas fungẽdi muneris legitima. Quæ vbi præsto est, etiam si quis non ea, qua debuit, via eam adeptus sit, aut officium suum non faciat, est tamen episcopus, presbyter, parochus, pastor, sacerdos, & minister ecclesiæ: Et, si non ipsi, ecclesiæ tamen vtile ac efficax esse potest ministerium eius, si quod peragit secundum mores & instituta ecclesiastica,

Abusus tollendi, rebus ipsis manẽtibus.

Ministrum ecclesiæ potestas minister ãdi facit

quemadmodum hodiè manè à me probatũ est. Sin cessat is penitus, ipse pro se rationem reddet ei, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & cùm impij in impietate sua perierint, sanguis eorum requiretur de manu ipsius, quemadmodum Deus ipse per Ezechielem prophetam comminatur. Quamuis autem tam dirè comminetur, non tamen pastoris & speculatoris nomen ipsi adimit. Contrà verò licet omnia quis faciat, quæ ad officiũ episcopi, pastoris, sacerdotis, & ministri pertinent, si non est missus à Deo, si ostiarius, qui vice Christi est, ei non aperit, hoc est, si non est legitimè secundum apostolica instituta, sicut iam dictum est, institutus & ordinatus, non est episcopus, aut superintendens, nec pastor aut minister ecclesiæ. Nihil agit, nullamque habet potestatem in ecclesia. Proinde Sobnas, & Phassur, & Caiphas, & Annas, & alij sacerdotes Iudæorum, & præpositi templi, quamuis malis artibus ad sacerdotiũ peruenissent, nec facerẽt officium suum, arguerenturq; hi quidem à Christo domino, illi verò à prophetis, pro sacerdotibus tamen sunt habiti, eò quod legitimam sacerdotij successionem haberent. Quin prophetiæ quoq; donum Caiphæ diuinitus non defuit: Quia, inquit Ioannes, erat pontifex anni illius. Obrepse-

Ezech. 33. *Pastores mali pastores tamen sunt.*

Esa. 22. Hier. 20. Matth. 8. Luc. 17. Matth. 23. Ioan. 11. 1. Para. 26.

repserat igitur. Secundum legem enim non annuum; sed perpetuum erat sacerdotium. Et tamen, pontifex fuit ille, & prophetauit. Ozias autem rex, quamuis à sacra scriptura præclaro ornetur testimonio, quòd fecerit quod erat rectum in oculis domini, non est tamen permissus adolere incensum domino, eò quòd sacerdos non esset. Cumque id temerè vsurpasset, non modò non probauit Deo factũ suum, sed etiã lepra ob in id frõte percussus est, & ex templo eiectus. Quod exemplum & argumentum mirum est, quàm friuolè eludere studeat argutus quidam, vt sibi videtur, Sophista, dum principibus profanis sacerdotum munera vindicare statuit. Sed non est necesse omnia refellere. Illud quidem & Paulus affirmat, & inconfesso est, sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, non eundem actum habẽt, ita & Christus, hoc est, ecclesia Christi: In qua non omnes sunt apostoli, non omnes prophetæ, nõ omnes doctores: Nec ijdem oculorum & aurium, qui manuum vel pedum officio fungi debent, aut possunt. Est autem suum cuiusq; officium, non quod ipse sibi quisq; vsurpat, sed ad quod à Deo vocatur per eos, quibus ille regendæ ecclesiæ suæ potestatem fecit, 1. Cor. 12

sicut iam demonstratum est. Cùm igitur isti pseudeuangelicorum pastores & superintendentes, & omnino, quemadmodum appellãtur, ministri ecclesiarum nõ secundum apostolica instituta, nec per eos vocentur & mittantur, qui ius vocandi & mittendi habent, dubium esse non potest, nõ esse eos id, quod dicuntur, ac dici volunt: sed fures & latrones, & lupos, quemadmodum à Christo nominantur: nec vllam habere prædicandi verbi Dei, administrandorum sacramentorum, & regendæ Christi ecclesiæ potestatem. Nisi quòd in prædicando tamen, si retinent formam sanorum verborum, verbum Dei est, quod ij prædicant. Sed cauendi tamen sunt etiam atque etiam eiusmodi lupi ouillis pellibus contecti, operarij subdoli, & ministri Satanæ, transfigurantes sese in angelos lucis, & ministros iustitiæ, & per dulces sermones & benedictiones corda innocentium, seducentes, ne sicut serpens seduxit Euam, corrũpant animos audientium. Quod monet etiã D. Athanasius. Magistratuum autem est, ecclesiasticorũ præcipuè, arcere eiusmodi pseudoprophetas & pseudeuangelistas à ministerio ecclesiastico, ac docendi munere, idque exemplo Christi, qui dæmonia licet confiterentur ipsum esse Christum & filium Dei, nõ sine-

Ioan. 10.

Conciones hæreticorũ

2. Cor. 11.

Rom. 16.

Ath. cont. Ariã. orat. 1. & in epistola, Quod Nicæna syn. &c.

sinebat loqui. Sin autem eam formam, sanorum inquam verborum, ij non retinent, sed suo sensu ab ecclesiæ sensu diuerso adulterant verbum Dei (quemadmodũ ferè faciunt) iam non magis id est verbũ Dei, quàm quod pater eorũ vsurpabat, cùm ad primos progenitores nostros diceret: Scit enim Deus: aut cum filium dei dominũ nostrũ Iesum Christum tentans scripturas proferret. 1. Cor. 3. Gen. 3. Matth. 4.

Porrò, quæ pro sacramentis populo præbent isti, etiamsi ritè omnia peragere videntur, nugamenta sunt mera, & nihil minus, quàm sacramenta: baptismo excepto: Qui in articulo necessitatis, vel à mulierculis & obstetricibus, & ab infidelibus etiam fortassis administrari potest, modò forma & intentio (sicut loquuntur theologi) legitima seruetur, & id agatur, quod agi debet. Non ordinant igitur isti, qui ipsi priores ordinati non sunt. Nec absoluunt, qui spiritum sanctum & potestatem remittendi & retinendi peccata non acceperunt. Nec in administranda cœna domini crimen idololatriæ vitare possunt. Etenim panis merus est, & vinum id, quod ij pro corpore & sanguine Christi siue ipsi sumunt, siue alijs porrigunt: Et idololatra est, quisquis ea pro corpore & sanguine Christi domini ac Dei nostri habet, etiamsi cultu exteriori

Sacramenta an sint apud hæreticos.

Lutherani idololatræ.

Sacerdotũ transfugarum siue apostatarũ ministeria qualia sint. Hussitarũ ministri quales.

non adoret. Præterquam, si quid eorum per transfugas sacerdotes nostros apud eos perficitur. Ij namq; licet ab ecclesia per excõmunicationem segregati fuerint, aut ipsi se per schisma & hæresim segregarint, non amittũt ritè semel collatam sibi potestatem functionis. Quod animaduertẽtes Hussitæ Boëmi, non alios ferè presbyteros & ministros ecclesiæ recipiunt aut admittunt, quàm qui ritè ab episcopo initiati & ordinati fuerint. Cumq; episcopis ipsi careant, à nostris, hoc est, catholicis sacros ordines suffurantur, qui ministrare apud eos & sacris operari volunt. Ita vel inuiti agnoscunt, apud nos, vbi retinetur descriptio & politia apostolica, non apud se veram esse ecclesiam. Veruntamen quicquid agunt tales apostatæ circa res sacras & sacramenta, quamuis ritè alioqui agant, nihil fructus vtilitatis ue spiritualis id affert neq; ipsis, neq; cuiquam alij, baptismate infantiũ & ignorantium excepto. Imò non sine grauissimo peccato est, si quis sciens, vtatur ijs, quę tales administrant, sacramentis, propter separationem & participationem cũ separatis ab ecclesia, per quã cõmunicat operibus illorũ malignis. Verùm de schismate & schismaticis alius erit statim dicendi locus. Nunc satis, opinor, constat, apud pseudeuangelicos istos

Sacramentorũ cum hæreticis communio illicita.

Ioan. 2. ep.

gi-

gigantes, non magis multis manibus, quàm capitibus præditos, cùm non sint legitimi ministri & magistratus ecclesiastici, legitimâ ab apostolis successionẽ retinentes, & ad ædificationẽ diuinitus instituti, nec apostolica politia, ne apostolicâ quidẽ esse ecclesiã. AVL. Quid tu autẽ dices de Boẽmis Husitis, siue Calixtinis, quos fateris tu ipse ministris legitimè ordinatis vti? Nec scio an vlla alia in re à nobis ij dissentiãt, præter communionẽ eucharistię. Quid aũt de Græcis & Rusis? MO. Græci, Russi Ait Lutherocaluinianus quidã (imò iã Arianus erro, & Gentilista) eos Synagogæ nostræ mi, an sine (Sic enim garrire, catholicãq; & apostolicam in ecclesia. ecclesiã contumeliæ causa appellare homini eleganti libet) barbariẽ nõ modò sapere, sed interdũ etiã superare. Græcos interim, quos illi religionis magistros agnoscunt & sequuntur, vafrè dissimulans. Non ausus adhuc, opinor, eos barbariei condẽnare, à quibus religio Christiana initiò pro barbara habita esse memoratur, eò quod per apostolos genere Hebræos ac barbaros propagaretur. Quid autẽ dicat, aut quid non dicat is, cui oculos perstringit consensus maximorũ illorũ populorũ nobiscũ de plurimis ac maximis, atque adeò plerisq; omnibus religionis Christianę dogmatibus ac ritibus, quos isti vindices euã

gelij temerè dãnant? AV. Cur igitur nos eos, Russos inquã, atq; Græcos, excludimus ab ecclesia? MON. Non excludimus, modò ipsi nõ segregẽt semetipsos. Quod de Boëmis quoque tibi responsum sit. Vna est enim sancta, catholica, & apostolica ecclesia: Nec scinditur inconsutilis Christi tunica. Quæ si apud nos est, quemadmodũ luculentè à me demõstratũ est, apud illos non est. AVL. At illi contrà, se antiquam ecclesiæ possessionẽ retinere dictitãt, nosq; à se discessisse: Idq; ita probant: quòd nos laicis communionẽ calicis & sanguinis Christi, Sacerdotibus verò ac diaconis vxores ademimus: Nos pane fermentato in eucharistia vti desinimus: Nos de processione spiritus sancti, de ieiunijs, de ritibus sacrorũ, & alijs fortasse prẽterea de rebus, institutа, mores & doctrinã suorũ iuxtà ac nostrorũ maiorũ, quã illi ab apostolis acceperint, cõmutauimus. MON. Posset fortasis in controuersiã venire, quid his de rebus tradiderint apostoli: & nos´ne, an Græci & Rusi ab Apostolorũ doctrina atq; traditione discesserint. Ac si ita sit, quemadmodũ illi sentiunt, nos discessisse, recte´ne id factũ sit, aut fieri potuerit. Ostendi enim heri, apostolorũ & Christi ipsius instituta quædã esse mutabilia, & sine piaculo mutata esse nonnunquã ab ecclesia

ecclesia. Sed non de eo nunc quæritur: Verùm, sit´ne apud illos, an non sit vera Christi ecclesia. Nam si constiterit non esse, nihil adiumenti eis attulerit, quòd ista, quæ dudum cõmemorasti, ita seruare se contendũt, quẽadmodũ à maioribus accepere, & apostoli fortassis instituere. Nulli vnquã fuerũt hæretici, nedũ schismatici, qui aliqua ex parte nõ retinerent doctrinã apostolicã, nec tamẽ ecclesia Dei fuere. Cæterùm si demonstrare- *Schismatis cum quid faciat.*
tur, Esse Græcos & Russos, & Boëmos in ecclesia, tum demùm de eo disputari posset, rectius´ne illi sentiant, quàm nos, ijs de rebus, de quibus est controuersia, an nos rectiùs, quàm illi, an verò vtriq; rectè, non scindẽtes vnitatem ecclesiæ. Nam, vt heri dixi, non per doctrinam & vsum sacramentorum ecclesia cognoscitur, multò minus per alios ritus ac cæremonias: Sed cùm eam aliunde cognouerimus, tum demùm ea nos docet, quæ´nã sit praua & falsa, quæ autem vera doctrina, qui´ue rectus aut peruersus sacramentorum vsus, ritusq; ac cæremoniç. AVL. Admodum verisimile est ex ijs notis, quas hodiè manè explicasti, apud Russos & Græcos, & Boëmos, qui & ipsi retinere dicuntur descriptionẽ & politiam ecclesiasticam, perinde ac nos, esse veram ecclesiam. An non agnoscunt enim ij, san-

ſanctitatis ſanguine Chriſti partæ per fidem & ſacramenta ſe compotes fieri? An non religiosè Deũ colunt, & maior ferè in ijs, quàm in nobis elucet vitæ ſanctionia? An non maiorem orbis partẽ obtinent, Græci præſertim, & Ruſsi: nempe ſub Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Ieroſolymitano fortaſſe patriarchis? Deniq; an non conſtãter retinent concordiam & vnitatem inter ſe, moresq́; & inſtituta primitiuæ eccleſiæ, ordinemq́; & politiam apoſtolicam? Quo fit, vt iure ſibi vnam, ſanctam, catholicã, & apoſtolicã eccleſiam vendicare videantur? MON. Hîc ſiſte gradum. AVL. Quid ita? MON. Nõ poſſum equidem negare, Ruſſos, Græcos, & Boëmos, magnã externæ pietatis & ſanctimoniæ ſpeciem præ ſe ferre. De vniuerſitate etiam, ac de inſtitutis apoſtolicis & politia gloriari eos non ſum neſcius. Quàm rectè autem glorientur, expendamus. Primùm quidem tres illæ vel quatuor patriarchales ſedes, quas ſibi Græci vendicant, neq; vniuerſum orbẽ terrarum, neque adeò magnã partem eius complexæ ſunt. Longè maxima enim Aſiæ pars vltra Syriã & Meſopotamiã ad orientem ſolem vergens, ad nullã de ijs pertinet, nec vnquã fortaſſe pertinuit. Africæ verò & Europę maior pars Romanæ ſedis ditione contine-

Græci & Ruſsi non ſunt catholica eccleſia.

Patriarchales ſedes.

tur

tur antiquitus. Mitto terras & insulas nō modò occidui, verumetiam orientalis Oceani, & sub vtroq; mundi axe posítas, nostra ferè memoria (cùm fuissent maioribus nostris, Græcis iuxtà ac Latinis prorsus incognitæ) à Lusitanis & Hispanis aditas, & Christi religioni aliqua iam ex parte adiunctas: Quæ nō à Græcis, sed à Latinis & Romanis magistros religionis & episcopos accipiunt. Patent autem eæ terræ & gentes multò latius, quàm quicquid Patriarchales illæ quatuor sedes, cū florerent maximè, cōplexæ sunt. Deinde verò illæ ipsę sedes, à Mahometanis tyrannis & populis ferè subactę, habeant´ne etiā nunc Patriarchas suos, aut abundent´ne Christianis, & cum Græcis´ne ij consentiant, nō satis cōstat. Illud quidē constat, ante centū paulò ampliusannos in Cōcilio Florētino, Armenos, qui Antiocheno Patriarchæ attributi erant, professos esse, cum Romana ecclesia se cōsentire. Quem consensum etiā nunc, opinor, retinent. Vidimus certè ipsi semel atq; iterum, nec scio an sæpius etiā, episcopos & presbyteros eorum Romā per Poloniā nostrā religionis ergò iter facere, sacrisq; nobiscum in templis nostris communicare, ac deinde ad suos populos reuerti. Et habent non pauci eius gentis in Russia domicilia sua, ædesq; sacras

Nouæ terræ habitatores à nobis religionem accipiunt.

Armeni cū Romana ecclesia sentiunt.

cras,& cultus diuini, atque sacramentorum administrationem,à nostra consuetudine nõ valdè alienã. Porrò antè ducentos annos nõ exiguo tempore nostri,hoc est, qui nobiscũ & cum Romana ecclesia sentiebãt,regnarũt, & magnas res gesserunt in Syria:itemq; Cõstãtinopoli paulò pòst. Quo tempore illi vrbi & sedi Venetijs & Roma petebatur patriarcha. Iam verò in India meridionali siue Aethiopia, parent vni principi Christiano, quem Presbyterũ Ioãnem vulgò vocãt, plus minus sexaginta regna,quemadmodum memoratur,quæ neque Alexandrinum, neque quenquã alium de quatuor illis,patriarcham agnoscunt. Sunt Romæ nonnulli ex eo genere,non de fæce vulgi, sed clari & honesti viri,cùm eius vrbis ecclesia & nobiscum cõsentientes,& communicantes. Et patrũ nostrorum, atque adeò nostra ipsorum ferè memoria, affuerunt legati ab illo ipso principe missi ad Rom. pontificem siue Papã,eumq; verum præsidem sedis apostolicæ,ecclesiæq; catholicæ episcopum agnoscẽtes, patriarchã ab eo sibi præfici postularunt. Quæ cùm ita sint,non rectè Græci(nam Boëmi, Hercinio ferè saltu concluſi,aut Morauorum duntaxat accessione aucti,nequaquã id facere possũt) de multitudine gloriãtur. Et vt maximè id face-

Græcia & Syria à Latinis gubernata.

Aethiopes, nobiscum consentiũt

Patriarcha Aethiopũ.

Hussitarũ paucitas.

facere possent, vniuersitatem quidem neutiquã possunt sibi vendicare, si quod argumentum & initium diuisionis & secessionis eorũ ab vnitate ostendi potest. Non modò autem pauciores à pluribus, verumetiã plures à paucioribus præcidere se possunt, ac solent, atq; ita totius, siue vniuersæ ecclesiæ societatem & vnitatem deserere, sicut ostendi cum secũdam notam ecclesię explicarem. Ex ecclesiastica sanè historia constat, quodã tempore totum fermè orientem vnà cum patriarchis suis plerisq; omnibus labe Ariana primùm, deinde Eutychiana, deinde verò Monotheletica infectum, à reliquo Christianorum cœtu sese segregasse: nec in multitudine illa, sed in paucitate mãsisse catholicã & verã Christi ecclesiã. Quod suo tempore vsu venisse sanctus deplorat Basilius, Ariana secta tunc vigente. Itaque Theodosius maior imperator nihil moratus cùm eius ipsius, tum aliarũ sectarum inualescentium vim, Græcorumq́ue amplitudinem, disertis verbis edixit: Velle se, vt oẽs suo subiecti imperio, eã seruẽt religionẽ, quã vertex apostolorũ Petrus ab initio Romanis tradidit: seruabant autem tunc Damasus Romanus episcopus, & Petrus Alexandrinus: Eorumq́; solorum, qui pari honore Trinitatem colerent, ecclesia vt dicatur catho-

Græci desciuere sæpiùs ab ecclesia catholica.

Bas. ep. 17 Sozomenus hist. eccles. lib. 7. cap. 4. Theodosij edictum.

catholica. Quicunq; autem secus sentirent, vt hæretici appellentur, & infames sint, pœnamq; expectent. Quod edictum mirificè eludere sibi videtur Brentius, postulans dari sibi etiamnum Damasos & Petros, vt eorum sequatur religionẽ. Quasi verò Damasus & Petrus Alexandrinus propriam aliquã religionem instituerint, & eam Theodosius seruari præceperit, propterea quòd à pijs & optimis viris ea sit prodita. At hoc fuerit humanas sequi traditiones, à quibus alioqui vehementer abhorret Brentius, & omnes isti euãgelici. Non hoc sibi vult edictum illud: neq; dicit: Quam Damasus Romanus, & Petrus Alexandrinus tradiderunt: sed quam Petrus apostolorum vertex ab initio Romanis tradidit: hoc est, apostolicam. Quoniam autem hęretici illius temporis eam ipsam seruare se iactabãt, vt modò quoq; isti iactant, crassiore ac magis conspicua eam nota designauit pius & sapiens imperator: nempe, quam tunc ipso regnante seruabant Damasus, & Petrus: hoc est, quæ in Romana ecclesia, cui tunc Damasus præerat, & propiore Græcis (quibus potissimum tunc res nouãtibus edictũ illud scribebatur) Alexandrina, cui Petrus moderabatur, iam inde à Petro apostolo Romanis (non Alexandrinis) tradita conseruabatur.

Brent. in proleg.

Nihil

Nihil igitur prohibet, quò minus etiam nunc edictum illud vim suam retineat, vt omnes eam seruẽt religionem, quam vertex apostolorum Petrus ab initio Romanis tradidit: seruat autem nunc Pius quartus Rom. episcopus: quandoquidem eidem is præsidet ecclesiæ, ad quam propter potentiorem principalitatem, vt ait sanctus martyr Irenæus, necesse est omnem conuenire ecclesiam: eandemq; seruat religionem, quam seruauit Theodosij tempore Damasus, etiamsi daremus, eum doctrina, virtute & pietate longè imparẽ esse Damaso. Scimus enim Brentium, & cæteros pseudeuangelicos, non dignitate ministrorũ æstimare verbum dei. Nam quod ad Alexandriam attinet, dubium est, an vllum ea nunc habeat episcopum. Quod si maximè haberet, non seruaret autem is eam religionem, quam vertex apostolorũ Petrus ab initio Romanis tradidit, nullam eius rationem duci à nobis oporteret, perinde ac à Theodosio reliquorum patriarcharum ducta non est, eò quòd à sensu & consensu ecclesiæ catholicæ ij discessissent, secus sentientes, quàm Petrus apostolorum vertex ab initio Romanis tradidit, & Damasus Romanus episcopus tunc sentiebat. Sed ad institutum reuertamur. Nihil igitur iuuat Græcos multitudo ad id, vt v-

Iren. aduersus hær. lib. 3. cap. 3

niuersitatis,& catholicæ ecclesiæ nomen ob-
Græcorum defectiones & reditus. tineant. Constat sanè eos, quamlibet multos,tredecies,ni fallor,se præcidisse à reliqua ecclesia,damnatoq; deinde sua ipsorum cõfessione schismate,ad eius,à qua discesserãt, vnitatem reuertisse.Et ad extremũ ante centum ac triginta annos in Florentino Concilio per Iosephum patriarcham, & Ioannem Palæologum imperatorem Constantinopolitanum,& complures episcopos suos (inter quos etiam Isidorus Russus Kiouiensis metropolites fuit)nobis,hoc est, Romanæ & catholicæ, ipsorummet confessione ecclesiæ, quam deseruerant,reconciliatos fuisse :Verùm ab ea coadunatione mox(qua sunt leuitate)recesserunt.Atq; ita Græci & Russi, vel sua ipsorum confessione catholicæ ecclesiæ nomen vendicare non possunt. Quod si maximè posse viderentur,tamen non esset id satis ad obtinendum,quòd sint vera Christi ecclesia.Sic enim inter se cõnexę sunt illæ quatuor notæ ecclesiæ, quas pertractauimus,vt neque vna aliqua,neq; plures veram Christi ecclesiã satis certò demõstrare nobis queãt, nisi omnes pariter concurrant. Quam enim sanctam catholicam, eandem vnam & apostolicam ecclesiam profitemur.Quæ nisi apostolicis institutis atq; descriptione,de qua multa

ta iam dixi, iam vnitate contineatur, ne sanctæ quidem & catholicæ nomen & ius obtinere queat. AVL. At Græci, Rusi, & Boëmi apostolicorum institutorũ obseruatione gloriantur: nos verò ab ijs discessisse asseuerant. MON. Memini te id prius quoque dicere. AVL. Quid igitur tu? Negas'ne? MON. Memoria te retinere arbitror, quæ dixi anteà de doctrina & institutis religionis nostræ. Nempe, esse ea partim immutabilia, siue, vt Cyprianus dicere maluit, fixa & immobilia, quæ quidem fundamenti vicem obtineant, & ad salutem hominum propriè pertineant: partim sic inædificata fundamento, vt pro ratione hominum, temporum, locorum, & aliarũ circumstantiarum, vel, vt erro quidem dicere mauult, propter multas & graues causas mutari & variari sine detrimẽto pietatis & salutis queant. Et ob id ab istis quoq; euangelicis vocantur adiaphora. In illis ergo prioribus nulla admittitur mutatio sine nota hæreseos: In posterioribus verò penes ecclesiam, non penes priuatos quoslibet est potestas mutandi, sicut ostendi, ita vt satis sit vel iustam magistratuum ecclesiasticorum conniuentiã cum diuturno vsu populi Christiani intercessisse. Quod videre est vel in illo instituto de velandis, vel non velandis inter

Instituta religionis duplicia.

Cypr. in ser. de abl. ped.

Schismatis ratio.

orandum capitibus: vel in illo de tempore sumendæ Eucharistiæ. Quod si quis vnus vel pauci, atq; adeo quamuis numerosus hominum cœtus contra vniuersæ ecclesiæ authoritatem temerè & prę fractè aliquid eiusmodi mutare, aut quod illa certo consilio mutauit, retractare ausit, vt non statim sit fortassis habendus pro hæretico, schismaticus quidē certè, hoc est, præcisus & alienus ab ea ipsa vna, sancta, catholica, & apostolica ecclesia nō censeri non potest, cuius ordinem & politiā perturbat, & scindit, quantum in ipso est, vnitatem. Hæreticus etiam, si pertinaciter opinionem suam defendens, damnet diuersum sequentes, ac non modò authoritatē ecclesiæ contemnere, sed etiam ipsam ecclesiā pergat euertere. Quod ij certè faciunt, qui ordinem & politiam, siue hierarchiam apostolicam ex ea tollunt. Id enim tollunt, quod potissimùm ecclesiam constituit, & sine quo ecclesia non est ecclesia, si tenes ea, quæ à me prius dicta sunt. Nunc mihi vide Græcos, & Russos, & Boëmos, & confer nobiscum, hoc est, cum Romana ecclesia. Demus eis, esse instituta apostolica, quæ ij mordicus tenent, de vulganda communione calicis, & vsu coniugij ante initiationem initi diaconis ac presbyteris indulgendo: Illi quidem necesse habent

Græci, Russi, et Boëmi schismatici

bent vicissim nobis dare, non dico apostolos, sed Christum ipsum dominum non in fermentato, sed azimo pane eucharistiã administrasse: nec possunt ostendere aliter instituisse apostolos. Cuiusmodi autem quæso sunt hæc instituta? An non eiusmodi, in quibus mutandis pietati & saluti hominum nihil decedit? Itaq; cum occidentales ecclesiæ ante mille ac ducentos propè annos votũ cõtinentiæ in sacris ordinibus magno consensu publicè susceperint, orientalibus plerisq; diuersum sentientibus, ne tria quidẽ verba de eo commutata sunt in sexta Synodo Oecumenica, tempore Agathonis Papæ, post annum Christi 670. celebrata. Quin ea synodus canone quodam (si modò eius sunt ij canones, qui circumferuntur) approbare videtur legem siue placitum illud occidentalium de cœlibatu, quod pro canone ipsis traditum esse agnoscit: ita vt illud esse rectiùs, se verò indulgere hominum infirmitati non dissimulet. Quod Iustiniani quoq; Imperatoris leges non obscurè indicant. Iam verò in Florentino Concilio, cum magna contentione ageretur, tamen neq; Græci Latinos, propter legitimum quorundam ecclesiæ ministrorũ cœlibatum, & vsum alterius tantùm speciei in communione populari, neq; illos hi damna-

Vnitatem ecclesiæ an rumpant instituta diuersa..

Conc. sext. Oecum.

Canon. 13.

Auth. Quomodo oportet. coll. 6. §. Hæc autem.

Florentini Concilij acta ac decreta.

narunt propter diuersos mores, & propter vsum panis fermentati in eucharistiæ sacramento. De spiritus autem sancti processione constituerunt, siue quis dicat eum ex patre filioq;, siue ex patre per filium procedere, rectè vtrumq; dici, modò vt is vtriq; communis esse intelligatur, neq; detrahatur quippiã filij Dei maiestati. De pœnis quoq; purgatorijs, & quomodo eæ releuentur, conuenit ferè inter vtrosq;, quanquam non ignorabant Græci, Boëmos quoque, & si qui alij populi tunc idem cum Boëmis sentiebant, à Latinis sese præcidisse. AV. Quid igitur erat, in quo tunc vertebatur cardo dissidij? MON. Præsio ab ordine, ac politia siue descriptione apostolica: Cuius præcisionis græci homines superbi & ambitiosi iustum prætextum habere sibi videbantur. Sed cùm essent coarguti, redierunt eò tunc, vnde sese præciderant. Atque vtinam perstitissent in sententia, staret fortasis adhuc eorum imperium & religio. AVL. Quonam autem modo ij sese ab ordine & politia apostolica præciderunt? An non habebant sacerdotes & episcopos, & alios ministros ecclesiæ ab apostolis institutos, perinde ac nos? MON. Habebant, & habent etiamnunc. Sed in eo non est vniuersa politia apostolica. Vnam enim ecclesiam cõdi-

Græci non retinent politiam apostolicam et unitatem ecclesiæ.

diderunt apostoli. Multitudo autem sacerdotum & episcoporum, quã esse oportet in magna ecclesia, non potest rectè tueri vnitatem & concordiam inter ipsos, nedum in vniuersa ecclesia, si omnium par sit authoritas. Qua de re ita scribit Chrysostomus: Nam vbi honoris est æqualitas, aut vbi familia dominatur, vel omnes principatum gerunt, ibi nunquã poterit esse pax. Proinde vt in magnis ciuitatibus complures sunt magistratus, alijs alij superiores, inferiores ad superiorum authoritatem respicientes: Et in magnis exercitibus alij sunt legati, alij tribuni, alij centuriones, alij cohortium, alarum´ue præfecti, alij decani: ita cùm longè lateq́ue diffunderetur Christiana religio, credentiumq́; numerus augeretur, non satis esse visum est, vno atque altero ordine distingui moderatores, & administros multitudinum ab ipsis multitudinibus, sed gradus etiam in ipsis ordinibus cõstituti sunt, vt omnia decorè, siue honestè, quemadmodum præcipit Paulus, & secundũ ordinem fierent in ecclesia, nec schismata existerẽt, per quæ vnũ ecclesię corpus in multas partes discerperetur. Itaq; cùm vnus sit ordo episcoporum summus in ecclesia, qui cæterorum sacerdotum & inferiorum ordinum, sicut ostendi, moderatores esse debẽt.

Vnitas à multitudine nemalè cõseruatur. Chrys. in epist. ad Ephes. hom. 20.

Cor. 14.

Et episcopos autem in tanta reipub. Christianæ amplitudine permultos ac penè innumerabiles esse oporteat, factum est constitutione apostolica (cuius mentionem faciunt Clemens & Anacletus apostolorum auditores ac discipuli, & Leo primus, & Fœlix secundus Papæ) vt alij essent episcopi tantùm, alij Archiepiscopi & metropolitæ, alij primates, alij patriarchæ, alijs alij non ordine, sed gradu honoris atq; dignitatis & iurisdictione superiores. AVL. Verùm habent Græci quoq; suos metropolitas, qui præsunt episcopis: & patriarchas, qui metropolitis iuxtà ac episcopis, & sacerdotibus: Et habent ij potestatem atque iurisdictionem à Concilijs vniuersalibus impartitam. Ij certè non multi sunt, & facilè inter se congruere, atq; certo consensu ecclesiam in vnitate secundum verbum Dei gubernare & regere possunt. MON. Qui legit veteres historias ecclesiasticas, facilè deprehendet, quàm discordes plerunq; inter se fuerint pauci illi. Alius alium pro schismatico & hæretico condemnabat, alius alij magistratum abrogabat, ita vt etiam Flauianus & Chrysostomus Constantinopolitani patriarchæ, & Athanasius Alexandrinus, doctrina & pietate præstantes viri, ab eorum iniurijs immunes non fuerint. Vide autem mihi, quæ-

Clem. recogn. lib. 3.
Anac. ep. 2
Leo ad Anastasium.
Fœlix 2. in decr. ep.

Pseudeuangelicorum disidia.

quæso, nostro hoc tempore, quàm augustis finibus ista malignantium pseudeuangelicorum ecclesia clauditur, si cum toto orbe terrarum, siue adeò cum ea modò parte eius, qua religio Christiana diffusa est, eos populos, qui se à Christi euangelio in aliud euãgelium transtulere, compares. Quàm benè autem conuenit, non dico inter populos, vel ciuitates, sed inter ipsos eius ipsius euangelij doctores, pastores, & rectores? An non habent ij se inuicem non modò pro hæreticis, verumetiam pro impijs & idololatris? An nõ excludit alius alium ab ecclesiæ possessione? Cur autem cedat Caluinus Luthero aut Serueto, Gentilis & Blandrata Caluino, Illyricus Melanchtoni, Osiander Merlino, Ioachimus Vestphalus Lasco, Stancarus Lismanino, aut hi vicissim illis? Nisi fortè ita iubeat honorarius arbiter Vergerius. Sed nõ sunt tam muscosis naribus Tudisci, quin olfaciant, quid ille meditetur pontificiæ tyrannidis, quemadmodum videri vult, tam acer oppugnator.

AVL. Memini in primo colloquio nostro luculentè & euidenter abs te mihi demonstrata & explicata esse eorum dissidia.

Euangelicorum dissidia.

MON. Possem in eo longè magis etiam differtus esse, si vellem. Suppeditãt enim cuiuis vel mediocriter erudito materiam & copiam dicen

di cõflictationes ipsorum inter se quotidianæ,& scripta hostilia,in nostra quoque Polonia.Et satagunt quidem nonnulli inter ipsos sarcire concordiam : Sed idem eis vsu venit, quod videmus nõnunquam in piscinis, quæ laxos habent aggeres:In quos si maior impetus aquæ incubuerit,rumpuntur facilè. Nihilque egeris,si qua parte obtures. Subinde enim alium atque aliũ exitum aqua sibi molitur. Quin videas istos turris Babylonicæ ædificatores indies minus ac minus se inuicẽ intelligere,ac dũ in cõcordiã redire maximè studeant,in plures etiam sectas diuidi,&quasi in fabulosa illa hydra præciso vno capite plura enasci.Non igitur idonea est concordię & vnitatis custos multitudo gubernatorum atque præsidum.Ac ne pauci quidem facile eã tueri possunt,quemadmodum dixi de patriarchis orientalibus: & comprobarunt id ipsa nascentis pseudeuangelij istius crepundia.

Lutheranismi initia

An non enim statim post exortum Lutherũ extitere in illo ipso oppido Vitembergensi Thomas Muncerus & Carolstadius longè diuersa docentes?Qui cùm Luthero non cederent, per potentiorem eius factionem pulsi sunt,quemadmodum etiam Ioannes Sleidanus, dignus tali euangelio historicus, memorat. Quid verò nuper in colloquio Vorma-

Sleidan.eõment.

Vormaciẽ. colloquium

macienſi, quantus fuit iſtorum proteſtantiũ patriarcharum numerus? Denarium quidem non exceſsit. Conuenitne autem inter eos? Vel lippis & tonſoribus notum id eſt. Mitto conuenticula noſtratium quibuſdam in locis cõtra leges publicas habita, è quibus propter diſſenſiones pauculorum miniſtrorum infectis rebus plerunque diſceſſum eſt. Nuper autem anno Chriſti 1565. è comitijs ita diſceſſum, vt ſe inuicem damnarent pro hæreticis ac diris deuouerent, non ſine ſumma ſenatorum quorundam leuitate & ſtultitia. *Polonica cõuenticula.*

AVL. Video quò eas. MON Facilè id quidẽ eſt intelligere: Nempe vnum eſſe oportet vniuerſæ eccleſiæ præſidem, qui concordiam & vnitatem inter cæteros omnes conſeruet, fatiſcentemq; reficiat. Vnius corporis vnum eſt caput. AVL. Id quidem Chriſtus dominus eſt, quemadmodumm ait Paulus, nõ papa: qui vnus eſt de quinque patriarchis, nec maiorem habet poteſtatem & authoritatem, quàm alius quiſpiam reliquorum. Quanquã vix hoc tibi quiſquam iſtorum Euangelicorum concedet: Qui eum antichriſtum, quẽadmodum tu quoque heri commemoraſti, eſſe contendunt, & hominem peccati, extollentem ſe ſupra omne id, quod dicitur Deus. MON. Imò & abominationem ſedentem in *Vnitatis conſeruator unus ſummus præſul.* *Epheſ. 1. Col. 1.*

loco

loco sancto,& bestiam blasphemantem deũ, bellumq; faciẽtem sanctis. Et quidem nõ sine scripturarum testimonijs: Verùm improbè detortis. AVL. Ostende id,amabo, vt habeam,quò importunitatem eorum retundã, quoties huc in colloquijs deferuntur. Deferuntur autem sæpissimè. MON. Morem tibi geram. Omnibus sanè his appellationibus & imaginibus spiritus sanctus in scripturis sacris Antichristum nobis describit, & quasi depingit. Eum autem vult esse aduersarium Christi,quod etiam vis nominis ipsius Græci denotat. De hoc nulla est inter nos controuersia. Sed de Antichristo non semper eodẽ modò eædem scripturæ loquuntur. Nam aliquando quemuis Christi doctrinæ aduersarium hoc nomine complectuntur: Quemadmodum in prima Ioannis epistola: Nunc, inquit, Antichristi multi facti sunt. Et paulò pòst: Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. Et aliquantò pòst: Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est Antichristus,de quo audistis, quoniam venit. Et nunc iam in mundo est. Et in secunda: Quoniam multi seductores exierunt in mundum,qui non confitentur Iesum Christũ venisse in carnem. Hic est seductor & Antichristus. Tales Antichristi fuere plurimi iam inde

Papa an sit Antichristus.

Antichristus unde & qui.

de à tẽporibus Apostolicis, quẽadmodũ Ioãnes testatur, suntq́; etiamnũ, & erùtvsq; ad finẽ seculi. Ij sunt aũt hæretici, qui soluunt Iesum, sicuti scribit Ioannes, vel de diuinitate, vel de humanitate, vel de p̃sona eius his duabus naturis cõstante, vel de doctrina etiã, vel de corpore deniq;, quod est ecclesia, prauum aliquid sentientes ac docentes. Inter hos etiam connumerantur ij, quos prædicit Christus ipse venturos esse in nomine suo, dicentes, inquit, Quia ego sum: Christus videlicet, Quos apud Matthæum idem pseudochristos vocat. Non sic autem isti pseudeuangelici Rom. pontificem seu papam antichristum appellant: quod ex ipsis eorum scriptis, & scripturarũ sacrarũ testimonijs, quibus id astruunt, euidens est. Nec possunt ij docere (quãuis conentur summopere) quempiã è Rom. pontificibus, nedum omnes, soluere Iesum vllo modo, hæresimq́; vllam professos esse. Quin constat ex omnium seculorũ histor js, omnes hæreses ab ijs potisimùm oppugnatas & extirpatas esse. Atque ob id eorum authoritatem venenatis hæreticorum sagittis maximè semper, sed frustrà tamen, petitam esse. Quæ paulò pòst fortasis exemplis fient illustriora. Nunc id, quod cœpimus persequamur. Nonnunquam loquuntur scripturæ de

Mar. 13.

Matth. 24.

Rom. pont. hæreseon extirpatores.

de Antichristo, vt de vna quadam persona & homine, potentia, authoritate, doctrina, & prodigijs ac miraculis insigni, qui secundum Christi iudicis aduentum præuēturus, & plurimos mortales ab ipsius doctrina & religione auersurus sit. Quo pertinet illud, quod è Ioannis epistola dudum recitaui: Audistis quia Antichristus venit. Neq; hoc reuocant in dubium ea, quæ statim sequūtur: Et nunc antichristi multi sunt. Reuocat enim his verbis Ioannes eos, ad quos scribit, ab eo, quod longè pòst, aliquantò tamen forè indubitatū erat, ad considerationem & cautionem præsentium periculorum. Quod non est inusitatum in sacris literis. Hoc sensu accipienda
2. Thess. 2. sunt etiam ea, quæ scribit Paulus Thessalonicensibus de homine peccati, quæq; Ioannes
Apoc. 13. in Apocalypsi de bestia blasphema in Deum, & bellum faciente sanctis. Illa item, quæ
Dan. 9. Daniel prædicit, & repetit Christus, de abominatione desolationis multi eodem pertinere iudicant. Nonnulli verò non ad Antichristum & finem seculi, sed ad templum Ierosolymitanum, & collocatā in adytis eius statuam Adriani Imperatoris, excidiumq; vrbis & gentis illius, id referunt. Ad Rom. quidem pontifices omnes eæ scripturæ ab istis nō sine maxima vi torquentur. Edunt eæ tempus

Antichristi exorituri, aduentui Christi secũdo propinquum: Definiũt moram dominationis eius tres annos ac dimidium: Describunt immanem potentiam ac Tyrannidem eius in pios: Prædicunt stupendorum prodigiorum & miraculorum patrationem: Ponũt ob oculos ambitionem diuinitatis: Non tacent interitum: nec genus & origenem. Quid horum obsecro quadrat in Rom. pontifices, si hoc nomine non vnum aliquem ex ijs, sed munus ipsum, quo iam inde ab Apostolicis temporibus plures, quàm trecẽti, successione perpetua functi sunt, intelligas? Vndecunque autem isti exordiantur ortum Antichristianismi, negare sanè nõ possunt, ex eo tẽpore cõplures sedisse, & vltra præfinitũ tempus sedisse in ea cathedra, necdũ tamen à Christi spiritu confectos esse. Atq; ita incerta nobis reddunt omnia spiritus sancti de Antichristo vaticinia, satana per ipsos ita conuellente & subruente sacrarum scripturarum, & verbi Dei authoritatem, quo faciliùs humanum genus ad paganismum vel atheismum, quæ est eius improbitas, pertrahat. Sin vnum aliquem è tam multis pontificibus eum Antichristum esse volunt, quinam is sit, proferãt, & accommodent ei quæcunq; de Antichristo in scripturis pronunciata sunt, & ego nũc obi-

obiter recensui: Quando, aut vnde is extitit? Illa´ne, qua prædictum est diuinitus, stirpe ortus? Quę prodigia & miracula edidit? Quãdo se pro Deo colendum & adorandũ proposuit? Quam tyrannidem in pios exercuit, quã non exercuerint & exerceant ipsi in eos, qui ab ipsis dissentiunt? Quid autem dicent ij de interitu istius Antichristi? Cur tardat is vltrà tempus à Ioanne præfinitum? Aut cur tardat aduentus Christi? Multa ij quidem, vt solent, partim inuidiosissimè calumniantur, partim impudentissimè mentiuntur: Nonnũ quam etiam ad allegorias confugiunt, quas fugitant alioqui: sed nihil tamen explicant: nihil tanto conatu, talibusq; promissis dignum, & quod non ipsa rerum euidentia refellatur, proferunt. AVL. Libenter hæc audio. MON. Nec ego minus libenter, quod mihi concedis, Papam vnum esse de quinq; patriarchis. In quo multum mihi cõtulisti, quòd me longiori & operosiori sermone leuasti. Nam cùm sit is patriarcha, nosque in ditione ipsius simus, subiectos ipsi ac dicto audientes in ijs, quæ ad religionem pertinent, nos esse oportet vnà cum sacerdotibus, episcopis & Archiepiscopis nostris, secundum Nicæni & aliorum conciliorum definitionem. AVL. Fateor: Verùm tamdiu, donec is verbum Dei sequi-

sequitur. Quod si quid contra verbum Dei statuat vel præcipiat, ibi non oportet nos ei obtemperare, memores apostolici illius dicti: Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus. MO. Hoc quoq; quidas, accipio: Sed de eo posterius inter nos cõferemus. Nũc illud probabo, papam siue pontificem maximum, qui idem est episcopus & patriarcha Romanus, non eodem loco & ordine esse cũ cæteris episcopis aut patriarchis, sed omnibus illis & vniuersæ Christi ecclesiæ præesse. Nec per vim aut fraudem eximiam illam potestatem vsurpasse, nec ab hominibus per assentationem, vel metum, vel stulta simplicitate, vel etiam propter communem vtilitatem & necessitatem concessam, sed ab apostolis, & ipso domino ac magistro nostro communi Christo traditã accepisse: Ac in eo potissimùm sitam esse vim omnem vnitatis simul & ordinis hierarchiæq; apostolicæ. A qua si quis temerè, & per contumaciam discedat, ecclesiæ ius retinere non potest, cũ aliter ea neq; vna, neq; apostolica, ac ne sancta quidem & catholica esse ac dici possit. Itaq; Græci cum vnius illius pastoris authoritatem aspernarentur, vera Christi ecclesia non fuerunt: nec sunt modò quicunq; aspernantur. Quamdiù verò perstiterunt in eo,

Act. 5.

Pontificis maximi authoritate maximè cõseruatur vnitas & ordo in ecclesia.

Græci quare schismatici.

Græcorum confeß. de Rom. Pontifici.

quod in suprà memorato Concilio Florentino liberè ac disertè professi sunt, nempe, sanctam apostolicam sedem, & Romanum pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum pontificem Rom. successorem esse beati Petri principis apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusq; ecclesię caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem ecclesiã à domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse: Quamdiu igitur in eo perstiterunt, fuerũt, suntq;, si qui adhuc perstant, nobiscum pariter vna, sancta, catholica, atque apostolica, hoc est, vera Christi ecclesia, etiamsi in ritibus & institutis quibusdam ecclesiasticis (mutabilibus duntaxat) à nobis dissentiant. AVL. Cedam, si hoc ita, quemadmodum pollicitus es, probabis. Sed monstrosum erit corpus illud biceps: Nempe Christũ & Papam habens pro capite. MON. Iam istud esset magis obedire hominibus, quàm Deo, si neglecto verbo Dei rationem tuam sequerêris. Non videbitur autem tibi absurdum id, quod nunc videtur, vbi intellexeris aliter Christum caput esse totius ecclesiæ, aliter papam. Christus enim dominus, ipse ex se est caput ecclesiæ totius, ne papa quidem excluso,

Caput ecclesiæ duplex.

so, indeq; vis omnis vitalis in eam & omnia mẽbra eius influit. Papa verò, vicarius Christi in hoc seculo tantùm, quem is ex hoc mũdo decedens, post se & pro se cæterarum ouium suarũ pastorem reliquit, quemadmodum solent magister ciuium in ciuitate, dux in exercitu, rex in regno, si ipsis vt absint vsu veniat, vni alicui ex omni numero vices suas delegare. AVL. An non est nobiscum Christus vsq; ad consumationem seculi? MON. Maximè. AVL. Quid igitur Vicario ipsi opus est? MON. Totidem verbis ego te vicissim rogabo: Quid igitur apostolis & legatis ipsi opus fuit? Quid autem pastoribus opus est? Quid autem Deo vbiq; præsenti, & omnia implenti administratorijs spiritibus, vt verbis Pauli vtar, angelis opus est? Nempe sic Deo curam nostri & beneficentiã in nos suã testatam facere placuit. Est quidem Christus nobiscum: sed inuisibiliter. Ecclesiæ verò ex hominibus conditæ opus erat gubernatore visibili, qui inter homines ordinem atq; descriptionẽ conseruaret: concordiam & consensum tueretur: concordiam autem scindẽtes, & alios delinquentes coẽrceret: ijs denique, quæ in controuersiam vel in dubitationem venirent de fide & religione, disceptandis ac dijudicandis præesset, ac moderare-

Papa vicarius Christi.

tur. Fuerunt & Hebræi populus sanctus & ecclesia Dei quondam, quemadmodum ostẽ di ante hac, fuitq; Deus in medio eorum, si-
Exod.4. cuti testatur Moses, & habebant actionũ suarum, ac religionis omnis moderatricem legẽ
Deut.7. diuinam ab ipso Mose iussu Dei conscriptã. Et tamen constituit eis Deus ipse sacerdotes, qui legis cæremoniarumq; curam haberent, & quamuis ij pauci essent, in vna videlicet gente, satis angustis terræ & habitationis suæ finibus circumscripta, nihilominus tamẽ paucis illis vnum præfecit summum sacerdotem siue pontificem, qui ipsis moderaretur, & cùm ipsos, tum vniuersum populũ in vnitate & concordia, quod ad religionem legemque attinet, contineret. Quî minus idem fieri par fuit in ecclesia Christi, quæ per omnes gentes & vniuersum orbem terrarũ propagari ac diffundi debuit (sicut iam factum videmus) nec sine plurimis ministris & moderatoribus administrari potuit? Aliter, quis in ea futurus erat ordo? quæ politia? quæ cõcordia? Quomodo autẽ ea diu vna manere potu-
Cypr.ad Corn.ep.3. isset, quin hæresib. & schismatibus scinderetur? Qua de re prælarè Cyprianus ita scribit: Neq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, Nec vnus in ecclesia

eleſia ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur,&c. Et Hieronymus: Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet. Cui ſi non exors quædam,& ab omnibus eminens detur poteſtas,tot in eccleſijs efficiẽtur ſchiſmata,quot ſacerdotes. Eſt quidem Chriſtus etiam paſtor noſter,qui ſumus oues eius. Sũt tamen nihilominus ſuper hunc ipſum gregẽ paſtores viſibiles & temporarij ex hominibus electi & conſtituti, vnius illius boni paſtoris vicarij,quos Petrus appellat, cùm præcipit,vt paſcant eum,qui in ipſis eſt, gregem Chriſti, quamuis ille vnus paſtor perpetuò nobiſcum ſit,& rectè eum ipſum gregem per ſe curare poſsit. Sunt doctores, quamuis vnus ſit magiſter noſter Chriſtus,ſicut ipſemet de ſe teſtificatur. AV. Aliud hoc eſt. Poſſunt enim paſtores & magiſtri multi eſſe, quibus vnus præſit: verùm ſummo ſuperior, aut par nemo eſſe poteſt. Quod ſi ſummus ille poteſtatem ſuam in omnes alios cuiptam mandet ac deleget,iam delegatus ille & vicarius non erit ei par. MON. Neq; ego id dico. Sed voluntate tamen ſummi illius, ſummus erit & ipſe ſupra cæteros. Accipe exemplum de lege veteri. Moſes ſummus fuit ſacerdos apud Iſraëlitas ab ipſo Deo cõſtitutus,ſicuti prius oſtendi: Et ipſe Aaronem & filios eius ſacer-

Papa ſummus paſtor *Hieron. ad uerſ. Lucif.* *Ioan. 10.* *Ezech. 24 & 37.* *Epheſ. 4.* *1. Pet. 5.* *1. Cor. 12.* *Matth. 23.* *Pſal. 98.* *Leuit. 8.* *Ibidẽ 10. & 21.*

dotio initiauit, siue consecrauit. Nihilominus tamen Aaron quoq; summus sacerdos fuit, tradito sibi per Mosen summo sacerdotio. Ad eundē modū licet Christus sit summus pastor & rector ecclesiæ suæ, nihil tamē de eminentia eius detrahitur eo, quòd homo aliquis voluntate eius supra cæteros homines & pastores potestatem obtinet, ijsque moderatur, atq; ita est & ipse caput ecclesiæ eius, tametsi non exæquo cum eo, sed sub eo, & per eum. Quàm pueriliter autem ridiculus hîc est Caluinus, cum vni quidem populo Hebræo vnum pontificem ex hominibus assumptum, vni apostolorum collegio, vnū præsidem & moderatorem, vtiliter ac necessariò præfectum esse concedit. Diœceses etiā & parœcias singulas à suo quāq; Episcopo & pastore gubernari oportere contendit, regnum verò Christi per omnes gētes ac totum orbem terrarū diffusum sine rectore & moderatore vno relinquit. Quasi non illorum quoq; itidem ac vniuersæ Ecclesiæ caput sit Christus: aut quasi non tam facilè sit ei vnū aliquē populum, vel singulas diœceses, vel deniq; selectum à se 12. Apostolorum cœtum, quàm vniuersam totius mundi ecclesiā cœlitus absq; administris hominibus gubernare, & in concordia officioq; cōtinere. Aut

Cal. instit. lib. 4. Caluin. ineptiæ.

qua-

quasi non humanitus quanto quæq; maior multitudo est, tãto magis ab vno eam dependere necesse sit, qui eam in cõcordia & bono ordine contineat. Quin igitur abrogat semel Caluinus cum Luthero non modò omnes leges, nec solùm regna & principatus, & magistratus ciuiles, verumetiam Episcopos & ministeria Ecclesiastica, diuinitus ad ædificationem ecclesię Christi instituta? At fieri non potest, inquit ille, vt vnus homo toti orbi terrarum moderetur. Respondeo: Ne vni quidẽ alicui populo: Ac ne diœcesi quidem & parœciæ, sine ope Dei. In eo verò, qui eum confortat, omnia se posse Paulus profitetur. Quid quòd non sine socijs vnus ille omnibus præest? Quemadmodum nec Petrus sine socijs rete piscibus plenum ad terram traxit, nec Episcopus siue superintendens suum quisq; gregem sine parœcis, alijsq́; presbyteris ac Diaconis regit. Imò per eos magis, quàm per se ipse: Ipse autem non tam singulis parœcijs, quàm earum moderatoribus pauciori-bus moderatur. Sed suam isti rem agunt. Inuadentes enim in Episcopas siue ecclesias, parêre sibi alios, ipsi ubesse nemini, nec obnoxij esse cuiquam ad reddendam rationem villicationis suæ temerè vsurpatæ volunt: Ac ne socios quidem, nisi seruos & pecudes, ferunt.

Phil. 4.

Pseudeuangelicorum tyrannis.

runt. Quod non obscurè, nec iniustè de Caluino & Luthero socij ac discipuli ipsorum quæruntur, quemadmodũ ostẽdi nudiustertius. Quòd si sperarent ij, se summũ inuniuersa Christi ecclesia locũ adipisci posse, nõ deessent ipsis scripturæ stabiliendæ authoritati suę ac dominatui: Quẽ acerbiùs etiãnunc exercent in subiectos sibi cœtus, quam quiuis episcopi, & pontifices, & reges. Quod de ipsis Erasmus quoq; Rotherodamus quæritur: Cuius verba anteà tibi recitaui. AV. Indica mihi, quæso, vbi Christus dominus eam potestatẽ & eminentiã cuipiã dederit. MO. Dedit Petro. AVL. Vnde hoc probas? MO. Ausculta. AVL. Hic sum. MON. Apud Matthæum nomẽ eius mutauit, & eum, qui prius Simon dicebatur, Petrũ appellauit, & super eum, vel eam ipsam petrã promisit se ædificaturũ esse ecclesiã suã, aduersus quam portę inferorũ non essent prævalituræ, deditq; ei claues regni cœlorũ, ita vt quicquid is ligaret super terrã, esset ligatũ & in cœlis. Permagna hæc sunt & perampla, & ipsi Christo soli propria, quæ ipse hic præ cæteris apostolis soli Petro singulari quadã gratia & prærogatiua impartitus est. AVL. Quæ nam ea? MON. Non intelligis. Primum nomẽ ei cõmutauit. AV. Quid in eo mirifici est? MON. Vbicũq;

Erasm. in epist. ad pseudeuãgel.

Petri prærogatiua seu primatus.

Matth. 16.

Nominis cõmutatio.

in

in scriptura sancta cuipiã à Deo nomen datũ, aut commutatũ est eximia quædã dignitas atq; prærogatiua illi homini data esse indicatur. Velut quando Deus Abræ nomen in Abraæ, & Sarai vxoris eius in Saræ nomen cõmutauit: Iacob nepotẽ eius Israëlẽ appellauit, aliquid peculiare prę cæteris hominibus eis tribuit. Idem de Ioanne baptista, & ipso Christo Iesu domino nostro dici posset. Ad eundem modum hîc, quando Christus Simonem, Petrum, vel vt Ioannes scribit, Syriaca lingua Cepham appellauit, hoc est rupem, aliquid ipsi contulit, præ cæteris apostolis. AVL. Quid nam? MON. Id quod nomen illud significabat, & quod dominus ipse statim adiecit, quòd ille vti firma petra & rupes ecclesiæ suæ perfugium siue præsidiũ simul & fundamentum futurus esset. Et quo minus dubium id sit, non dixit, sicut priùs dixerat: Tu vocaberis, vel, Tu vocaris: Sed: Tu es Petrus. Et mox ipse, quid sibi velit, exponit. Et super hanc petrã, inquiens, ædificabo ecclesiam meã. Super hanc ipsam, quam dixi modò, hoc est, super te. Atq; ita hoc intelligũt & interpretantur a. Cyprianus, b. Origenes, c. Basilius, d. Cyrillus Alexandrinus, e. Chrysostomus,

Gen. 17.
Gen. 32.
Luc. 1.
Cephas & Petrus.
Ioan. 1.

a Cypr. de bapt. hær. ad Quintũ
b Orig. in Matth. ho. 32. & 35.
& in 6. ca. ad Roman.

c Basil. serm. de pœniten. d Cyril. in Ioan. lib. 2. cap. 12. e Chrys. in Matth. hom. 56. & in Ioan. hom. 16.

Epiph. in Ancor. lib. 1. cap. 21. Hier. in 16 cap. Matt. Amb. serm. 47. de fide Petri, & in hymn. Aug. retract.

ſoſtomus, Epiphanius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij multi vetuſti & ſancti doctores. Et eſt credibile, Chriſtum non ad alium, quàm ad eum ipſum, quẽ Petrũ appellabat, retuliſſe demonſtrationẽ illã: Et ſuper hanc Petrã. Nõ enim Sophiſta is fuit, ſed ipſa veritas. Nec obſtat mutatio generis (vt à grãmaticis quoq; aliquid mutuemur) Nihil enim refert apud Græcos πέτρος, an πέτρα dicatur. Quanquam Chriſtus Hebraicè vel Syriacè locutus eſt: Quæ gentes כֵּיפָא & כֵּיפָא (quo verbo Chriſtum vſum eſſe Ioãnes memorat) maſculino genere enunciant. Eſt igitur præſidiũ & fundamentũ eccleſiæ Petrus.

AVL. An non Chriſtus ipſe id eſt? MON. Eſt.

1. Cor. 3. Nam & Paulus ita ſcribit: Fundamentũ enim aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quem

1. Cor. 10. idem etiã aliquantò pòſt in eadẽ epiſtola petram vocat. Ipſe etiã eſt refugiũ noſtrũ, ſaluator noſter, vt verbis Dauidis vtar. Verùm ni-

Pſal. 2. Reg 22. hil id de Chriſti dignitate & authoritate detrahit, ſi hoc ipſum ſecundũ ſe, & fundamentũ in fundamento Petrũ eſſe voluit. Quẽadmodũ nec illud, quòd, cùm ipſe ſit vera lux,

Ioan. 1. Matth. 5. Ioan. 20. Marc. 2. Luc. 5, Matth. 26 quę illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mundũ, tamẽ apoſtolis quoq; impartitus eſt, vt & ipſi ſint lux mundi: Impartitus eſt etiam

eiſ-

eisdē potestatē remittendi peccata hominibus, quæ soli Deo propria est: Cumq; ipse sit filius Dei, dedit tamen potestatē omnibus, qui credunt in nomine eius, vt & ipsi fiant filij Dei. Postremò propter immensam charitatē suam erga nos vitia siue defectus, vt ita dicam, nostros in se suscepit, bonaq; ac prærogatiuas suas nobiscum communicauit. Ad eundem igitur modum, petram quoq;, fundamentum, præsidium, refugium, moderatorem, & caput ecclesiæ suæ, Petrum post se esse voluit, quemadmodum Basilius quoq; scribit. AVL. Quid mihi cum Basilio & alijs doctoribus, sacris literis proba, quòd eum caput, & moderatorē ecclesiæ Christus fecerit. MO. Age. Dedit ei claues regni cœlorū, qd' nihil aliud erat, quā regimē omne eius ipsius regni cœlorum in terris, hoc est, ecclesiæ suę: quemadmodum cùm quis vrbis vel domus suæ claues cuipiam tradit, regimen eius omne tradere videtur. Est autem paterfamilias quilibet caput & rector domus atq; familiæ suæ. Vis aūt videre, hoc sibi voluisse illā Christi promissionē? Ecce tibi apud Matthæū, cū publicani Romani Petrum de censu admonerēt, nō vt ipse, aut cæteri apostoli, sed Christus solus magister eorum & paterfamilias eum solueret, quid fecit dominus? Cùm ostē disset se immunem esse, ne tamen exactores

Ioan. 1.

2. Cor. 8.

Basil. hom. de pœnit.

Claues regni cœlorū

Matth. 17.

Census solutio.

illos offenderet siue scandalizaret, iussit censum solui, non pro omnibus discipulis, quod tã facilè facere potuit, quàm pro vno aut altero: nec pro se solo, in quo acquieuisset proculdubio exactores, cùm soli patres familias eum penderent, & ab ipso solo eum illi exigerent. Sed pro me, inquit Petro, & pro te: innuens, ac tantũ non præcipiens cæteris discipulis, vt Petrũ deinceps secundũ se pro magistro & patre familias haberent. Nec obscurè hoc illi, si non assecuti, quæ ipsorũ tunc erat ruditas, certè suspicati sunt. Mox enim, & in illa hora, sicut scribit Matthæus, orta est inter eos contẽtio, quis eorũ esset maior in regno cœlorũ. Sed non erat tunc tempestiuum Christo, eam dubitationẽ ex animis discipulorum, æmulationi & ambitioni obnoxiorũ, eximere: Futurũ erat, vt spiritus sanctus post eius decessum id faceret, & suggereret eis non modò illud, sed omnia. Itaq; satis habuit Christus tunc vitiosas illas affectiones in eis vel sedare vel mitigare. Quod iterũ quoque fecit, cũ illi de proditiõe admoniti, eã ipsam contentionem in vltima eius cœna renouassent, siue quòd eum, qui principatum inter ipsos speraret, proditorem magistri sui fore suspicarentur, siue quòd Christo sublato de medio, scire vellent, quem nam sequerẽtur.

Apostolorum contẽtio de primatu.

Matth. 18.

Luc. 22.

Erant

Erant enim inter eos ſecundũ curſum huius mũdi clariores & honeſtiori loco nati, quàm Petrus, nonnulli: Erant & propinqui atq; cognati Chriſti ipſius: Et quilibet ex ijs cæteros honore & authoritate anteire cupiebat. AV. Iſta ſcriptura magnopere aduerſatur primatui Petri. Nam increpuit ibi ſtatim diſcipulos dominus, vetans ne in eo gentiũ mores imitarentur. MON. Si hoc ita intelligis, vt ne liceat inter apoſtolos & Chriſtianos vllis eſſe præſidibus & magiſtratibus, idem Anabaptiſtæ ſentiunt: Sed malè, &, ſicut prius oſtendi, contra cùm hanc ipſam, tum alias ſcripturas, quibus probatur oportere eſſe præſides & magiſtratus inter Chriſtianos. AVL. Quorſum igitur illud pertinet? Vos autem non ſic. MON. Ne ambiret quiſquam regimen & magiſtratum. Si quis autem diuina voluntate eũ adeptus eſſet, ne elato eſſet animo, neue ſuã ipſius, ſed eorum, quibus præeſſet, vtilitatem ſpectaret, quemadmodum ipſe Chriſtus faciebat, ac non quemadmodũ ſolent tyranni, & principes huius mundi: qui cùm liberorũ populorum dominatum arripuerint, non ad illorum, ſed ad ſuam propriã vtilitatẽ omnia referũt. Nihilominus tamẽ Chriſtus, Deus cũ ſit, præuidẽs non defuturos eſſe homines, qui his verbis eius abuſuri eſſẽt, nõ prætermiſit, quin ſtatim Petri principatũ ſtabiliret, ſic

Vos autem non ſic.

éũ alloquẽs: Simõ, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Simoné ſolum cæteris præſentibus & audientibus alloquitur, velut eum, cui curam cæterorũ demandabat: aitq;, Satanam expetiuiſſe, vt non ipſum ſolum, ſed omnes, qui ibi tunc aderãt, atq; adeò vniuerſam eccleſiam, quam illi tũc repræſentabant, cribaret: Se verò pro ipſo, velut magiſtro & moderatore cæterorum, oraſſe, vt non deficiat fides eius. Quo innuit, Petri ſalute cæterorum ſalutem contineri. Itaq; ipſi etiam præ cæteris præcepit, vt aliquando conuerſus ad ſequentes ſe, videlicet fratres & ſocios miniſterij, ſi quando in curſu ſathiſcerent, & in fide vacillarẽt, confirmaret eos, ne cribrentur à ſatana, neue prorſus deficiant, ac de via pereãt, vt ait Pſaltes. AVL. Hæc mihi adhuc non ſatis eminentiam & ſummã in eccleſia poteſtatem Petri demonſtrare videntur. Confirmatio enim iſta ad ſcientiam ſeu firmitatem fidei magis, quàm ad poteſtatem pertinere videtur. Illud eſſet efficacius, quod protuliſti de clauibus, ſi non tantùm promiſſas, verùm etiam traditas ipſi eſſe conſtaret. MON. Si nulla vſquam in ſacris ſcripturis de eo litera extaret, eone minus credé-

Pro te Rogaui, & cõfirma fratres.

Pſal. 2.

deres factum esse, quod facturum se promisit veritas? Sed indicabunt tibi de eo Dauid & Paulus sic inquientes: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: Nimirum post resurrectionem suã ascensurus in cælum, sicut cæteris apostolis ac discipulis, quos ante mortem suam sibi legauerat ac designauerat, fungendorũ munerum suorum ad vtilitatem hominum potestatem contulit: ita Petro promissas illas regni cœlorum claues, hoc est, eximiam vniuersæ ecclesiæ suæ curandæ & moderandæ potestatem tunc tradidit, quando præsentibus cæteris omnibus gregem suum omnem, ouibus & agnis siue arietibus ouium doctoribus cõstantem, ipsi soli pascendum atq; regendum cõmisit. AVL. Hac scriptura nondũ probas id, quod instituisti. Nam & ipse Petrus presbyteris præcipit, vt pascant siue regant gregẽ Dei: Nec tamen inde colligimus, ijs verbis summã & vniuersalem potestatem in omnes eis tradi. MON. Fateor: Verùm addit ibi Petrus ad gregem: Qui in vobis est. Quod tu prætermisisti. Quasi diceret, quilibet sibi commendatũ. At Christus nihil definiens, omnes in vniuersum oues & agnos suos per vniuersum orbem terrarũ Petro pascendos committit: siue adeo cõmissam ac traditam

Clauium traditio.

Ioan. 21.

1. Pet. 5.

an-

antea potestatem exercere eum iubet. Nec sanè latuit ea potestas, eæq; claues, posteaquã Christus ad cœlos ascendit. Statim enim Petrus inter apostolos ac cæteros discipulos cœpit authoritatem suam exerere, primùm in electione Matthiæ, vbi solus inconsultis omnibus, quid fieri oporteret, definiuit. Deinde ipso die pentecostes, cùm omnes pariter spiritum sanctũ accepissent, & varijs linguis loquerentur, Petrus rei nouitate stupentibus Iudæis rationem reddidit, scripturas interpretatus est, & quid facto opus esset, cæteris tacentibus, præscripsit. Quod itidem posteà quoque faciebat, miraculaq; edebat præ cæteris eximia. Denique delinquentes Ananiã & Sapphiram, & Simonem magum ipse per se iudicauit sine vllo cæterorum apostolorũ mandato & consilio. Quæ nunquam facere ausus fuisset, nisi iam claues & authoritatem à domino accepisset, idq; illos non ignorantes æquis animis ferre persuasum haberet. Quid in resuscitatione Tabithæ mortuæ, nónne agnouerunt discipuli eximiam Petri potestatem, quando nullus eorum ausus est id sibi sumere, vt eam resuscitaret, sed absentem Petrum acciuerunt? Quid autem in conuersione Cornelij, nónne cœlitus potestas & authoritas Petri comprobata est, cùm solus

Petri authoritas inter apostolos.

Act. 1.

Act. 2.

Act. 3. 5. 8.

Act. 9.

Act. 10.

præ

præ cæteris apostolis per visum iussus est eth nicos à Iudaismo alienos in societatem fidei & ecclesiæ susciperé, quod tunc nefas esse putabatur. Valuitque eius authoritas in cõuentu & concilio discipulorum vno atq; altero. AVL. Opportunè illius concilij mentionem feciſti. Nam inde euangelici isti probare conantur, non habuisse Petrum vllam authoritatis prærogatiuã inter cæteros apostolos: propterea quod in eo cõcilio, non in ipsius, sed in Iacobi sententiam itum ac decretum factum est. Addũt & illud ex ijsdẽ actis, quod cùm Samaria recepisset verbum Dei, apostoli miserunt eò Petrum & Ioannẽ. Non est autẽ apostolus siue legatus maior eo, qui mittit eũ, ait Christus. Deinde ipse Christus omnibus ex æquo discipulis suis dicit. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Iam verò è Paulo quoq; cuidens esse aiunt, nihil authoritatis præ cæteris apostolis Petrum habuisse. Scribit autem ille: Sibi creditum esse euãgelium præputij, sicut & Petro circumcisionis: Seq; ipsi in faciem restitisse Antiochiæ, quòd esset reprehensibilis. MON. Probè hęc tenes memoria. Sed sunt & alia plura ipsorũ argumenta, quibus Petrum in ordinem cogere nituntur. Verùm ea luculentè à pijs quibusdam ac doctis viris, libris in lucem editis refu-

Act. 11. & 15.

Petri primatui opposita scripturæ.

Act. 8.

Ioan. 13.

Ioan. 20.

Gal. 2.

Cent. 1. lib. 2. cap. 7.

refutata sunt. Et tamen perinde ac si nunquã id factum esset, perfrictis frontibus ea transcribunt aliunde & repetũt Caluinus, & corruptores historię ecclesiasticę, de quibus dixi prius, fucum facientes imperitis. Obiter tamen & ego tibi ad ea, quæ protulisti, respondebo. Nã cætera frigidiora sunt, & minus habent momẽti. Ac primùm: Errat quisquis in Petri sententiam in cõcilio illo Ierosolymitano decretum factum esse negat. Negauit enim ille imponẽdum esse iugum legis super ceruices discipulorum. Atq; hoc decretum ex eo tempore semper deinceps valuit, valetq; in vniuersa ecclesia. Nam quòd è sententia Iacobi id restrictum est quibusdam capitibus, dispensatione quadam temporaria & locali, ni fallor, factum est per indulgentiam, ne animi Iudæorum infirmiorum adhuc in fide Christi, quibus tunc Iacobus episcopus præerat, alienarentur. Nec multò pòst ea exoleuerunt, excepto illo, quod erat de vitanda fornicatione: Quod præceptum ad vitã moresq; pertinens, legis est naturalis iuxtà atq; Christianæ. Quòd autem Petrus cum Ioanne missus est ab apostolis Samariam, inde nepares quidem cæteris, sed inferiores etiam eos fuisse, colligi posse videatur. Par enim in parẽ non habet potestatem. Et tamen ex euange-

Calu. inst. lib. 4.

Ierosolymitani concilij ratio.

Petri missio Samariani.

lijs

lijs constat, eos ab ipso Christo domino cæteris prælatos fuisse aliquoties vnà cum Iacobo Ioannis fratre. Sed missio ista & legatio à volente Petro suscepta, nihil detrahit potestati & prærogatiuæ eius. Quemadmodum nec spiritus sanctus minor est patre & filio propterea quòd ab vtroq; mittitur. Non solùm enim minores à maioribus, aut pares à paribus, verumetiam superiores ab inferioribus mittuntur nonnunquam. Certè in libro Iosue leguntur filij Israël misisse Phineã sacerdotem filium Eleazari, & decem principes tribuum in terram Galaad. Res quidem tanta tunc agebatur Samariæ (nempe de instituẽda apud eos, qui Iudæi non erant, ecclesia, confirmandisq; ijs, qui fidem Christi susceperant, & baptizati erant) vt eam summa authoritate peragi par esset. Quod licet Petrus ipse per se facere potuisset, magna tamen in eo modestia, quæ authoritati eius non præiudicabat, vsus est, vt communi apostolorum placito iter illud susciperet, ne quam nouellæ ex Iudæis plantationi offensionis atq; schismatis ansam præberet. Iam quod scribit Paulus: Petrum ac cæteros, qui videbantur colũnæ esse, sibi nihil contulisse: Et, Sibi creditũ esse euangelium præputij, sicut & Petro circucecisionis: nihil Petro derogat. Diuinitus *Paulus par Petro.*

enim & ipse, æquè ac Petrus & cæteri illi, doctrinam euangelicam, & munus apostolicum eam propagandi accepit. Sicut ipse quoque testatur, subijciens. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Quò illud etiam pertinet euangelicum, omnibus ex æquo dictum. Ego mitto vos. Quod ipso etiam mittẽ di verbo, vnde apostoli nomẽ deriuatur, planũ fit. In apostolatu igitur pares sunt inter se & Petro omnes apostoli. Sed nõ est necesse, eum, qui par sit in propaganda per doctrinã ecclesia (quod erat peculiare munus apostolicum) in regenda quoq; parem esse. Propagabant eam tunc etiam Stephanus diaconus, & Philippus euangelista: illi quoq; septuagin ta duo discipuli idẽ faciebant, & quidem ab ipso Christo missi, & tamen in regenda ea parem cum duodecim authoritatem nõ habebant, quemadmodum prius ostendi. AVL. At enim Petrum vocat Paulus circumcisionis apostolum, se verò præputij. MON. Rectè sanè. Erat tunc præcipua principis apostolorũ cura, stabilire fidem atque doctrinã Christi apud Iudæos, à quibus quasi magistris, legis & prophetarum scientia adiutis, ea deinde in gentibus, & per vniuersum orbem terrarum propagaretur. Itaque ad electos aduenas

Apostolus unde.

Petrus circũcisionis apostolus.

nas dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, qui erant ex circumcisione, epistolam scripsit, & in Syria primùm Antiochiæ cathedram suam collocauit. Ad quem patriarchatum etiam deinceps Ierosolymitana ecclesia pertinuit, donec proprium & ipsa patriarcham habere cœpit. Deinde verò Simonem magum & hæreticũ persequẽs, quemadmodũ testatur Leo Papa, & propinquiores temporibus illis Eusebius, Irenæus, & Hegesippus, Romam, peragratis intermedijs regionibus, sese contulit, eoq; cathedrã suam transtulit, gentilium iuxtà ac Iudæorũ curam gerens, quod ne Antiochiæ quidem prætermisit. Quòd autem in faciem ipsi restitisse scribit idem Paulus, quia reprehensibilis erat: Ne id quidem authoritati Petri derogat, siue id verè, vt vult Augustinus, siue dispensatiuè aut simulatè, vt Hieronymus & Chrysostomus, factum est. Vtiq; conuersationis id fuit vitium, quemadmodum scribit Tertullianus, non prædicationis. Consuli sanè debuit, non solùm ijs, qui tunc aderant, sed etiam absentibus & futuris fidelibus, ne qua erroris ansa etiam ex eo, quod non perperàm fiebat, sed secùs quàm fiebat, acciperetur, eis præberetur. Et est autem humanũ, ac ne à summis quidem alienum, errare & labi.

Leo serm. de Petro et Paulo.
Euseb. hist. eccl. lib. 2. cap. 14.
Irẽ aduers. hær. libr. 1.
Hegesi. de excidio Ieros. li. 3. c. 2
In faciem restiti. August. & Hieron. in epistolis.
Chrys. in epist. ad Galatas.
Tertull.

bi. Modestię verò Christianæ est, ne inferiorum quidem rectam admonitionem reprehensionemque dedignari. Manet igitur Petro, non obstantibus his, quas tu citasti, aut vllis alijs scripturis, sarta tecta eminentia sua, & in vniuersa Christi ecclesia principatus & summa potestas, à Christo tradita, ab ipso exercita, ab apostolis cæteris discipulis, & ab ipsa vniuersa omnium temporum ecclesia agnita. Quod cùm sanctorum patrum priuatis, tum publicis legitimorum conciliorum scriptis demonstrari euidenter potest. Pauca ex his recitabo. Principiò Cyprianus martyr, qui intra duocentesimum à Christo nato annum floruit, ita scribit: Loquitur dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et eidem post resurrectionẽ suã dicit: Pasce oues meas. Et quamuis apostolis omnibus post resurrectionẽ suam parẽ potestatẽ tribuat, & dicat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: Accipite spiritũ sanctũ: Si cui remiseritis peccata, remittentur illi: Si cui

Cypr. de unit. eccl.

cui retinuerit, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit (ut citant nonnulli è vetustis codicibus) & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari cõsortio præditi & honoris et potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, & primatus Petro datur, (quod iursus desideratur in vulgatis codicibus) vt vna Christi ecclesia, & cathedra vna monstretur. Theophylactus episcopus Bulgarus, qui ante 800. annos vixit, sub Constantinopolitano patriarchatu, Ioannis euangelium exponens, ita scribit: Cùm prandendi finem ipse (Christus videlicet) fecisset, totius orbis ouium præfecturam Petro committit. Non autem alij, sed huic tradit, primum quidem, quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat. Et paulò pòst Christi ipsius verbis Petrum compellans: Te enim, inquit, nunc educo, vt præsis orbi, & sequaris me. Et in Lucam scribens: Interrogauit Petrus, ceu curam omnium habens, & pro auditoribus solicitus, tanquam fratrum amator, & cui iam concredita erat ecclesia, num ad omnes parabolam dicat. Origenes etiam Petro inquit, cum summa rerum

Theoph. in Io. cap. 21.

Idè in Luc. cap. 12.

Orige. in

cap.6. ad Roma. rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super petram, fundaretur ecclesia, nullius alterius virtutis confessio absque eo, nisi charitatis exigitur. Idem in principium euangelij Ioannis summum apostolorum verticem Petrum vocat: Quod etiam *Idem hom. in princip. Ioan.* Theodosius Imperator in edito publico, cuius anteà feci mētionē facit. Epiphanius Epi- *Theo. Imp. Epiph. in Ancorato.* scopus Cyprius, qui intra 400. post Christum annos floruit de Petro scribēs: Ipse autem, inquit, dominus cōstituit eum primum apostolorū, petram firmā, supra quam ecclesia Dei ædificata est, & portę inferorum non prævalebūt aduersus illā. Portæ autē inferorum sunt hæreses & hæresiarchę. Iuxta omnē enim modum in ipso firmata est fides, qui accepit clauem cœlorum, & soluit in terra, & ligat in cœlo. Et paulò inferius: Hic est qui audiuit ex ipso: Petre pasce agnos meos, cui concreditū est ouile. Augustinus autem ex- *August. quæst. noui test. cap. 75.* planans locum illum Matthæi de censu, ita scribit. Saluator autem cum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post saluatorem in Petro cōtinentur. Ipsum enim cōstituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis dominici Et in *Idem serm. 124.* sermone quodam: Credendæ enim, inquit,

erant

erant Petro apostolo claues ecclesiæ, imò creditæ sunt ei claues regni cœlorum: Credenda ei quoq; erat populorũ innumera multitudo, videlicet vt in clauibus fidelis ianitor, in sententijs esset clemẽtissimus dispensator. Augustini æqualis Optatus episcopus Mileuitanus ait, Petro primò cathedrã episcopalẽ esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus: Inde & Cephas appellatus est: In quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri apostoli singulas sibi quisq; defenderent: Vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ambrosius autem ita. Dignum fuit (de Paulo loquens) vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, cui delegauerat saluator curam ecclesiarum. Hieronymus ita. Propterea tamen vnus inter duodecim eligitur, vt capite cõstituto, schismatis tollatur occasio. Gregorius Magnus. Cũctis enim euangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto & omniũ apostolorum principi Petro apostolo totius ecclesiæ cura cõmissa est. Et paulò pòst. Cura ei totius ecclesiæ & principatus cõmittitur. Iã verò Chrysostomus Petrum caput & verticem apostolorũ appellat.

Opt. cõtra Donatist. lib. 2.

Amb. in epi. ad Gala.

Gregor. ad Mauri. Imp. lib. 4.

Chryso. in Matt. homil. 86. 55.

lat. Verba autem illa Christi ad Petrũ de clauibus exponẽs: Vt, inquit, futura ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irrũpẽtibus immobilis maneret, cuius pastor & caput piscator homo atq; ignobilis, terrarũ orbe reluctante adamantis naturã firmitate superaret, hęc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturũ. Vide hîc Petrũ pastorem & caput ecclesiæ appellari, & promitti ipsi à Christo ea, quæ solius Dei sunt. Et paulò pòst idẽ scribit: Hũc vniuerso terrarũ orbi Christus præposuit. Et in acta apostolorũ de Petro loquẽs. Quàm est feruidus? quàm agnoscit creditũ à Christo gregem? quàm in hoc choro princeps est, & vbiq; primus omnium incipit loqui? Et alibi: Petrus apostolus à filio super omnes, qui filij sunt, potestatẽ accepit: non vt Moses in gente vna, sed in vniuerso orbe. Et in homilia de Iona propheta: Totius orbis ecclesiæ solicitudinem curãq; Christũ Petro commisisse scribit. Nec diuersum scribit etiã alijs in locis. Addã & Leone papã, cuius hæc sunt verba: Vnus de toto mundo eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentiũ vocationi, & omnibus apostolis, cũctisq; ecclesię patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multiq; pastores, omnes tamẽ regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.

Chryſ. in act. hom. 3.

Idẽ de Iona

Leo ſerm. 3. de paſſione Dom.

stus. Omnes hi, quamuis alius Romæ, alius in Thracia, alius in Cypro, alius in Africa, alius in Aegypto, alius in Bulgaria, alius Mediolani in Italia vixerint & scripserint, consentiũt inter se, & omnes, excepto vno, ante mille & centum, ducentos, trecentos, & prope quadringẽtos annos vixerunt: ne dicas noua hæc esse commenta. Mitto alios veteres atq; recentiores, ne sim longior. Pleriq; autẽ omnes illis Christi verbis ad Petrum è sextodecimo Matth. cap. nituntur. Sunt fateor etiam nõnulli, qui verba illa Christi sic interpretãtur, vt dicant potestatem illã nõ soli Petro peculiariter, sed in eius persona omnibus Apostolis atq; adeò vniuersæ ecclesiæ datam esse. Quod ita confirmãt. Quia, inquiũt, dedit, siue promisit eã Christus post confessionẽ diuinitatis suę, quam Petrus non suo solius, sed omniũ discipulorũ nomine fecit. Omnes enim, ac non solum Petrum de eo rogauerat. Petrum autem statim increpuit, & Satanam appellauit. Sed hoc est torquere scripturam. Omnes quidem Christus interrogauit, quid de se sentirent: Sed Petrus solus respondit. Neq; apparet hoc ipsi à cæteris mandatum fuisse, aut cũ eis eũ collocutũ esse, priusquàm responderet. Imò non omnes tunc credebãt, dominũ esse Christum filiũ Dei viui: quod

Petro soli claues datas esse.

ex e-

Ioan. 6. ex euãgelio Ioãnis colligi poteſt. Vbi ſic ſcribitur: Sunt quidã ex vobis, qui non credunt. Itaq; non omnes, quos rogauerat, ſed ipſum ſolum, qui reſpondit, dominus beatum pronunciauit, & claues ei contulit, ſic ipſum allo quens. Beatus es Simon Bariona, hoc eſt, fili Ionæ: Quod nomẽ ei ſoli cõueniebat. Additq;: Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi. Tibi, ait, non vobis. Nominis quoq; muta tio ſoli Petro cõuenit, ab ipſo ſolo deinceps retenta, & ſoli ipſi iam inde ab initio vocationis à Chriſto promiſſa. Ibi enim ei dixit. Tu vocaberis Cephas. Hîc, Tu es Petrus. Quod vtrũq; idem eſt. Vocari enim ſiue appellari à deo, eſſe eſt, Niſi quod hoc, Tu es, in præſenti, efficatius tamen eſt, quàm illud in futuro, Tu vocaberis. Et continuans ſermonem. Et ſuper hanc, inquit, petram, (nempe quam dixi modo) ædificabo eccleſiam meam. Et mox. Et tibi dabo claues regni cœlorũ. Non vobis, ſed tibi Petro, vel Simoni Barionæ. Nam quòd ſtatim eum increpuit, & ſatanam appellauit, apoſtolos, & omnes exemplo eius admonuit, ne Petrus, aut quiſpiam alius honore & magiſtratu doniſq; Dei intumeſceret & inſoleſceret: ſed intelligeret ſe quoq; hominẽ eſſe, imbecillitati & lapſibus obnoxium, perinde ac alios: Nos verò ne de-

Ioan. 1.

teſta-

testaremur aut cõtemneremus malos, vitiosos, & reprehensibiles magistratus. Alioqui quid causæ est, cur non hæc quoq; increpatio ad ecclesiam referatur, sicut illa promissio? Vtrumq; certe eidem Petro dictum esse euangelista memorat. Quod si rei gestæ veritas hic vacillat, quid obstat, quò minus vniuersa euãgelica historia indubiũ reuocetur? Petro igitur peculiariter illa clauiũ potestas data est. Nihilo tamen minus verũ est, ecclesiæ quoq; eam in Petro datam esse, hoc est, ad vtilitatem ecclesiæ. In eam enim vsus earum clauium redundat. Quin ea ipsis vtitur, quando caput eius vtitur, sicut homo ratiocinatur & loquitur capitis & linguæ ministerio. AV. At enim illud: Et quodcũq; ligaueris super terrã, &c. Petro cum cæteris apostolis exæquo datum esse, idem Euãgelista indicat, cũ non multò pòst memorat, Christum ijsdẽ ferè verbis ad omnes pariter discipulos vsum esse: & quidem cũ asseueratione: Amen dico vobis: Quæcũq; alligaueritis, &c. Est autẽ id hoc loco cõiunctum cum clauibus: Nec scio an idem cum vsu earum. Nihil igitur obstat, quo minus, vt ligatio & solutio nõ ad solum Petrum, sed ad omnes etiã collegas eius pertinet, ita claues quoq; istæ, & vsus earum ad omnes itidem pertineat. MON. Non est nihil,

Claues ecclesiæ datæ

Ligandi et soluẽdi potestas.

Matth. 18.

hil, quod dicis. Sed latius tamen patet clauiũ vsus, quàm ista ligatio & solutio. Quamuis enim solutus sit quispiã, tamẽ per clausas fores ingredi in ædes non potest. Proinde, vt commune sit Petro cũ cęteris apostolis ligare & soluere, aperire quidẽ & claudere regnũ cœlorũ, per claues soli Petro datũ est, sicut audisti, aut certè præ cæteris. Quemadmodum in ligando quoq; & soluendo habet is prærogatiuã, ita vt de cæterorũ ligatione & solutione statuere, & ipsos adeò ligare & soluere possit. Nam & ipsi in ouibus Christi numerãtur ad Petrũ comparati. Petro igitur soli, vel præcipue Petram esse datũ est, & claues regni cœlorum commissæ sunt. Vnde apparet, ligandi quoq; ac soluendi prærogatiuam præ cæteris ei datam esse, quo pax, concordia, & vnitas ecclesiæ firma & stabilis maneat. Quod Origenes etiam ex ipso vtriusq; loci verborum Christi discrimine elicit: Nempe quod is omnes quidem alloquens, quicquid ij ligassent vel soluissent, etiam in cœlo id ita ratum fore sit pollicitus: Petrum verò solũ cõpellans: Non in cœlo, sed in cœlis: Omnibus videlicet. Sed mitto id. Soli certè Petro omnibus item audientibus dominus, cùm ter eum interrogasset, Simon Ioannis diligis me plus his, oues suas non modò pascẽdas, sed etiam

Petri potestas in cæteros apostolos.

Origen. in Matth. tract. 6.

Ioan. 21

tiam regendas cõmisit. Vtroq; enim verbo ibi vtitur βόσκε, hoc est, pasce, & ποίμανε, hoc est, rege, quemadmodum iam antè dixi.

Et non, pascite & regite, sed, pasce, inquit, et rege:
Nempe tu Simon Ioannis: tu qui me diligis
Plus his, cæteris uidelicet omnibus apostolis:
Ostende in eo præcipuum erga me amorem tuum.

AVL. Sit ita sanè: Fuerit Petrus secundum Christũ caput ecclesiæ eius: fuerit petra & fũdamentum: Habuerit claues regni cœlorum, & eximiam illam ligandi & soluendi potestatem. Num autem consectarium est, vt ad quempiam alium hæc ipsa pertineant? Quam profers de eo scripturã? MO. Nescio an quicquã de eo disertis verbis expressum in sacra scriptura extet. Sed ne prædicare quidem euangeliũ, & baptizare, neq; remittere & retinere peccata cuiquã alij præcepit Christus, quã duodecim, siue vndecim apostolis: autsi addere vis cæteros quoq; discipulos, qui cũ eis tunc adfuerũt: Itaq; ad eũdem modum argumẽtari quispiam posset, illis extinctis nemini ius prædicandi & baptizandi, & remittendi retinendiq; peccata competere. Et tamen pertinuerunt, ac pertinent etiam nunc præcepta illa ad omnium temporum episcopos & sacerdotes: & rectè ij gerunt vices apostolorum atque discipulorum

Petri successores Rom. Pontifices.
Lucæ 9.
Marci 6.
Lucæ 10.
Ioan. 20.

in

in ijs functionibus. Qui ipsi etiam huius tẽporis hæretici & pseudeuangelici nulla scriptura nixi, suis ecclesiæ ministris ea munera vendicant & attribuunt. Certè ad ædificationẽ ecclesiæ suæ Christus illa fieri voluit, eorũq; administros apostolos, ac discipulos, qui tũc eum in terris versantem sequebantur, instituit. Quoniam autem ij mortales erant, ecclesia verò vsq; ad consummationem seculi ædificari ac durare debuit, non solis illis præcepisse illa existimandus est, sed vt essent semper in ecclesia certi homines, qui illis, & sibi inuicem in illis ipsis muneribus exercendis perpetuò succederent, voluisse credendus: idq; etiamsi à nullo euangelista scriptum sit, apostolis viua voce tradidisse. Cuius rei euidens argumentũ sunt illa, quæ scribit Lucas
Luc. 12. in euangelio: Eum, cùm ad vigilantiam discipulos suos hortaretur, à Petro interrogatum, Ad ipsos ne solos diceret illam parabolam, an & ad omnes? respõdisse: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensurã. Quibus verbis innuisse videtur, sermonem illum suum & præceptum non ad omnes prorsus homines, neq; ad solos discipulos, qui tunc aderant, verùm ad successores quoq; eorum in dispẽ-

sando,

sando,& gubernanda domini familia, pertinere. Ad eundem modũ cùm Christus idẽ Petro claues regni cœlorũ tradidit,& pascere gregem suũ vniuersum præcepit,nõ ipsius Petri,verùm ecclesiæ suę gratia fecisse id existimandus est, vt per vnum pastorẽ & clauigerũ siue præsidẽ eam in vnitate,certoq; ac perpetuo ordine atq; descriptione conseruaret. Quod quidẽ ipse non obscurè indicat, cùm dicit:Satanam expetiuisse, vt cribraret discipulos suos sicut triticum: Se verò pro Petro rogasse,vt nõ deficiat fides eius. Additq;: Et tu aliquando cõuersus, cõfirma fratres tuos: nempe eundem tecum patrẽ Deum,& magistrum Christũ agnoscentes. Non legimus sanè vsquam in sacris literis,à Petro vnquã cæteros apostolos confirmatos esse: Nec inane tamẽ illud veritatis præceptum fuisse existimandum est. A Petri igitur successoribus id impleri debuit:A quibus non modò cæteros fratres, hoc est, collegas, episcopos videlicet omniũ populorum, verumetiã vniuersam ecclesiam sæpenumero cõfirmatam esse, ex ecclesiasticis omniũ temporum historijs, & ipsorum pontificum epistolis,cõstat. Ad ecclesiæ igitur vtilitatem illa tam eximia munera Petro Christus contulit. Quæ cùm post obitum Petri durare debuerit, sitq; duratura vsq;

Luc. 22.

Petrus quã do confirmarit fratres.

Petri priuilegia non personalia.

vsq; ad consummationem seculi, non personale, quemadmodum Iurisconsulti loquuntur, illud fuit priuilegiũ Petro à Christo concessum: sed habere debuit & ipse successores, qui itidem ex eadem cathedra, eademq; authoritate propagandæ, regendæ, & in certo ordine atq; concordia conseruandæ ecclesiæ Christi seruirent ac præessent, fratresq; suos confirmarent. Quod si tempore apostolorum eo regimine & vnius summi pastoris & clauigeri gubernatione ecclesia opus habuit, dum omnes ea, quæ egerat ac docuerat Christus, in memoria habebant, & vulgò spiritum sanctũ moderatorem euidenter nõ sine gratia miraculorum accipiebant, magisq; operæprecium erat congregare (quod permultos pares rectè fiebat) quàm regere ecclesiã, longè magis extremis hisce temporibus, quãdo charitas multorũ refrixit, quemadmodum ab ipso Christo prænunciatũ est, & quidam discedunt à fide, attendentes spiritibus erroris, quod Paulus prædixit: Longè, inquã, magis habet ea nũc opus vno capite, ac summo rectore, qui cæteris omnibus membris moderetur, eaq; in officio, cõcordiaq; contineat, & quantũ in ipso est fundamentũ sit & præsidiũ ecclesiæ, perficiatq;, vt multitudinis credentiũ sit cor vnũ, & anima vna: hoc est, vt secundũ apostolica instituta vna sit ac perma

Matth. 24
1. Tim. 4.

neat ecclesia Christi, sancta & Catholica. AV. Quónã autem argumẽto demonstrabis successorem Petri esse Romanũ episcopũ, & penes eũ esse eam potestatem, quam dominus Petro concesit super vniuersam ecclesiã suam? Quin contendũt nõnulli Lutherani, Petrũ nunquam Romę fuisse, aut si fuerit, negãt ibi eũ ecclesię prę fuisse, vitãq; finisse. Et proferunt vetustos authores eius sententiæ. MO. Authorem, non authores. Quid autem non proferũt & conquirunt ij, quamuis suspectũ, quamuis à cõmuni totius antiquitatis sensu iudicioq; alienũ, quãuis aperte falsum denique, quo præiudicatas opiniones suas tueantur, veritatẽq; oppugnent? At ego cõtrà, si velis decẽ pro vno, & quidẽ grauissimos atq; oculatos etiã testes possẽ producere: & citaui dudũ aliud agens vnũ atq; alterũ. AV. Nõ est necesse in hoc immorari. Id age potius, quod cœpimus: Nimirũ, Romanũ pontificem Petri esse successorẽ in gubernãda ecclesia catholica. Sed hîc nullũ, opinor, pducere poteris ex euãgelicis & apostolicis scripturis testimonium. MO. Nõ male cõiectas. In veteri quoq; testamẽto certus futurus erat locus, vbi summus sacerdos siue põtifex præsideret, ius diceret, ambiguitatesq; & controuersias dissolueret. Nec is tamẽ nominatur à Mose, verũ

Petrum Romæ fuisse.

Hæreticorũ studiũ.

Roma. pontificem esse Petri successorem et Vicarium Christi.

Locus de electus in uet. test.

cùm alibi, tum in Deuteronomio fit in genere mentio loci, quem elegerit dominus. In posterioris autem temporis historia Silo aliquandiu, deinde verò Syon is locus fuisse dicitur. Itaq; in libro Iudicum filij Israël in domum Dei, hoc est, in Silo venisse dicuntur, vt consulerēt dominum. Dauid autē, siue quisquis est author Psalmi 131. ita canit: Quoniā elegit dominus Syon. Vides vtrobiq; vocari electum à domino locum, licet is cum à deo deligeretur, nominatus non sit: Imò humana authoritate electus sit: Silo quidē ab vniuerso populo, Syon verò à Dauide, illata vtrobique arca fœderis domini cū tabernaculo. In vtroq; autem eo loco, qui præsederunt deinceps suis temporibus, quamuis scelerati, flagitiosi & improbi, quamuis per ambitum euecti, pro legitimis tamē sacerdotibus & præsidibus ecclesiæ dei etiam à prophetis & ipso Christo domino habiti sunt, sicut ostendi prius. Contrà verò memoriæ proditum est, post reditum Iudæorum à captiuitate Babylonica, Manassen quēdam de stirpe sacerdotali, Ioade Pontificis siue summi sacerdotis fratrem templo in monte Garizim condito, cum multis alijs sacerdotibus, qui externarū mulierum coniugijs implicati erant, præfuisse: Licet autem is legitimum ius sacerdotij

Iudi. 20.

Psal. 131.

Ioseph. antiq. libr. 11. cap. 8. Zonar. annal. tom. 1.

per

per succeſsionem haberet, nō fuiſſe tamē legitimum pontificem, nec pro pontifice habitum eſſe, propterea quod non ei loco præfuiſſet, quem elegerat dominus: Hoc eſt, Ieroſolymitano templo. Quod itidem Oniæ ſummi ſacerdotis Oniæ filio vſu venit, cum is in Aegypto templo dei ad exemplar Ieroſolymitani condito eſſet præpoſitus. Ad eundem igitur modum, cùm conſtet, Petrum à Chriſto præfectū eſſe eccleſiæ, & poſt Petrū mortalem hominem aliquem ſemper eadem authoritate præeſſe oportere vſq; ad finem ſeculi, eum locum à Chriſto electum eſſe iudicandum eſt, quo Petrus, ab ipſo electus ſucceſſor, ad extremum eccleſiæ præſedit: eiq; tum loco, tum eccleſiæ is ab eo ipſo Chriſto præpoſitus eſſe exiſtimandus, cui Petrus acceptam ab ipſo cathedram reliquit, & quicūque eam deinceps legitima, perpetua, & neutiquam interrupta ſucceſsione, maximo orbis terrarum conſenſu per tot ſecula ad hoc vſq; tempus, nequicquā aduerſantibus tyrānis, hæreticis, & ſchiſmaticis, obtinet. Si enim non eſſet ex deo conſiliū hoc, non ſtaret, vt ait Gamaliel. AVL. At hoc ipſum vocatur in dubium, an Romani pōtifices iam inde à Petro ſecundū Chriſti inſtitutionē præfuerint vniuerſæ eccleſiæ. Quòd vbi probaris, dabo

Ioſeph. antiq. libr. 13. cap. 14.

Zonar. ibidem.

Rom. pontifex Petri ſucceſſor.

Actor. 5.

tibi manus. MON. Cum sit demonstratum heri, non minus ratum esse (vt verbis Cypriani vtar potissimum) quod dictante spiritu sancto apostoli tradiderunt, quàm quod Christus ipse tradidit, satis fuerit, si demonstretur, id ex apostolico instituto atq; traditione profluxisse, & à temporibus apostolorum fixum & immobile permanere in ecclesia Christi. AV. At euangelici isti asseuerant, ab aliquot seculis, & ad summũ à temporibus Gregorij primi Papas extitisse. MON. Quasi verò apud lapsos (vt rursus Cypriani verbis vtar) & profugos, de quorũ pectoribus excesserit Spiritus S. esse aliud possit, nisi mens praua, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia: Quibus qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cum dies iudicij venerit. At longe vetustiores istis, & ecclesiæ Christi probatissimi patres. Irenęus & Augustinus cõplures enumerãt pontifices, qui iam inde à Petro sibi inuicem successerunt, quod ego manè etiam cõmemoraui. AV. Fuerunt quidẽ, vt accepi, iam inde à tẽporibus apostolicis episcopi Romani, & cum Papæ, tum patriarchæ longe ante Gregoriũ dici cœperũt: Sed papæ quidem, hoc est, patris nomen cum omnibus alijs episcopis, patriarchę verò, hoc est, principis patris cum tribus vel quatuor alijs cõmune ipsis erat: Itemq; ius & potestas

Cyp. de ablut. pedũ.

Cyp. lib. 4. epist. 9.

Iren. aduers. hæres. lib. 3. ca. 3.

Aug. epist. 165.

Papa.

Patriarcha

par. Quod autem eximiã quandã ſuper cęteros omnes epiſcopos & patriarchas poteſtatẽ, & vniuerſę Chriſti eccleſię regimẽ habuerint antiquitus, hoc tibi demonſtrandũ eſt. MO. Ego verò demõſtrabo. AV. Quibus documẽtis? MO. Ipſorũ pontificum, ſiue Paparũ ſcriptis. AV. Hui. MO. Mane. Non leuia tibi videri debent eorũ, quamuis in propria cauſa, teſtimõia. Vindicãt enim eos ab omni ſuſpicione nõ modò integritas & ſanctimonia vitæ, ac neces pro Chriſto ſuſceptæ, verũetiã tempora, quæ tũc erant eiuſmodi, vt vſu poteſtatis illius, nõ dominatus, ſed cura & ſolicitudo & pericula ipſis quęrerentur. Deinde verò cuius fuiſſet impudẽtię, ſcriptis publicè editis id ſibi arrogare & ſumere quẽpiã, qd vſu publico receptũ nõ eſſet, quodq; quàm temerè vſurparetur, tã facilè ab omnib. nõ modò negaretur, ſed etiã exploderetur & exſibilaretur? Sed nõ deerũt nobis etiam aliorũ epiſcoporũ doctorũq; ſanctorum teſtimonia, Conciliorũq; decreta, & vniuerſæ eccleſię vſus atq; cõſenſus, deniq; ipſorũ etiã, qui ſe ab eccleſia per ſchiſma vel hæreſim ſegregarũt, cõfeſſiones, nõ priuatę modò, verũetiã publicę in cõciliabulis vi veritatis expreſſæ. AV. Satis habebo, ſi hęc ita vt pmittis, præſtiteris. MO. Iure meritò id feceris. Nihil enim ali-

Romani pontificis primatus in eccleſia Chriſti.

ud hoc fuerit, quàm vna quædam & consentiens vox ecclesiæ Dei, quæ est columna & firmamentum veritatis, aduersus quã portæ inferorũ prævalere nequeũt: Quin volentes nolentes ei attestantur, & potestatẽ hanc cõfitentur: Sicuti dæmonia olim, cùm à Christo eijcerentur, confitebãtur eum esse filiũ Dei. Igitur Anacletus Petri discipulus, & ab eo ordinatus presbyter, & post Clementem in cathedra Rom. successor eius, in epistola quadam, cùm luculentè instituta apostolica de ordinibus ecclesiasticis, presbyteris, episcopis, archiepiscopis, siue metropolitis, persecutus esset, ita scribit: Hæc verò sancta Romana & apostolica ecclesia, non ab ipsis apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiã potestatis super ecclesias vniuersas, & totũ populi Christiani gregẽ assecuta est. Sicut ipse dixit beato apostolo, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã. Et infra: Hoc ipsum nanq; & beati apostoli inter se statuerunt, vt episcopi singularum scirent gẽtium, quis inter eos primus esset, quatenus ad eum potior solicitudo pertineret. Nã & inter beatos apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licet omnes essent apostoli, Petro tamẽ concessum est à Domino, & hoc ipsi inter se

Luc. 4.

Anacl. ep. 3. ad episcopos & Christifideles.

volue-

voluerunt, vt reliquis omnibus præesset apostolis, & Cephas existens, principium & caput teneret apostolatus. Et hãc formam successoribus suis, cæteri verò apostoli episcopis tenendam tradiderunt. Vides quàm apertè hic sanctus Papa describat Petri authoritatem & præfecturã super vniuersam ecclesiam, ne cęteros quidem apostolos ab ea eximens, & quòd ea non ad solum Petrum, sed ad successores quoq; eius Romanos episcopos & pontifices pertineat, ab apostolis, & ab ipso domino eis tradita. Tametsi pia quadã humilitate nõ episcopo, sed ecclesiæ Romanæ hic eam attribuit. Atq; id omne illis Christi verbis, quæ ego de Petro superius ex Matthei euangelio recitaui, confirmat. Huic qui post ducentos, plus minus, annos successit Marcellus Martyr, ita scribit, & quidem ad episcopos Orientales, vigente adhuc per totum ferè orbem persecutione in Christianos, quo minus suspectum esse debet eius testimonium. Rogamus vos fratres, vt non aliud doceatis, neq; sentiatis, quàm quod à beato Petro apostolo, & à reliquis apostolis & patribus accepistis. Ab illo enim primo instructi estis. Ideo non oportet vos proprium derelinquere patrem, & alios sequi. Ipse enim caput est totius ecclesiæ, cui ait domi-

Marcell. ad episcopos Antiochiæ prouinciæ.

nus: Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo ecclesiam meã, & reliqua. Eius enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente domino Romã translata est. Cui adminiculãte gratia diuina hodierna præsidemus die. Nec ab eius dispositiõe vos deuiare oportet, ad quam cũcta maiora ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponãtur, à qua sumpsere principia. Si verò vestra Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cesſit sedi, nulla est, quæ eius nõ subiecta sit ditioni: Ad quã omnes, quasi ad caput, iuxta apostolorũ, eorũq; successorũ sanctiões, episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, suffugere, eãq; appellare debẽt, vt inde accipiãt tuitionẽ, aliberationẽ, vnde acceperũt informationẽ atq; cõsecrationẽ. Et addit idẽ paulò pòst: Quia, vt paulò superius prælibatũ est, episcoporũ iudicia, & summarũ causarũ negotia, siue cũcta dubia apostolicæ sedis authoritate sunt agẽda & finiẽda. Quomodo potuit apertius hanc eminẽtiã & authoritatẽ explicare? Facit autẽ mentionẽ apostolicarũ sanctionũ, quod ne Anacletus quidem prætermisit. Et potuit sanè Anacletus eas certò nosse, vtpote sua memoria sancitas. Post Marcellũ intra septuagesimũ annũ qui præfuit Rom. ecclesiæ Damasus, Numidiæ episcopos collaudat, quòd

de rebus dubijs ad se, velut ad caput, secũdũ morẽ perpetuũ retulissent. Porro ante mille annos, Leo primus, quẽ celeberrimũ & amplissimũ Chalcedonẽ. sexcentorũ triginta episcoporũ Cõciliũ ter sanctũ appellauit, eidem Romanę sedi prę fuit. Eius verba in quo dã sermone hæc sunt: Cũ enim apostoli duodecim, accepta per spiritũ sanctũ omniũ locutione linguarũ imbuẽdũ euangelio mũdum distributũ sibi terrarũ partibus susceperint, & beatissimus princeps apostolici ordinis iam populos, qui ex circũcisione erãt, erudierat, Antiochenã ecclesiã, vbi primũ Christiani nominis dignitas est orta, & Põtum, Galatiã, Capadociã, Asiã, atq; Bithyniã legibus euangelicæ prædicationis impleuerat, ad arcẽ Romani destinatur imperij, vt hic sicut esset terrenus imperator & rector orbis, ita & ibidẽ præsideret hic pastor, qui prę sul esset & caput ecclesiæ totius. Et alibi: De toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuersarũ gentiũ vocationi, & omnib. apostolis, cunctisq; ecclesiæ partibus prę ponatur, vt quãuis in populo dei multi sacerdotes sint, multiq; pastores, omnes tamẽ ,,prius regat Petrus, quos & principaliter regit Christus. Idem Anastasiũ Thessalonicẽsem episcopũ Vicarium suũ in Orię te exẽplo antecessorum suorũ sę constituisse scribit,

Damas. ad epiſcopos Numid.

Leo in ſermo. de Petro & Paulo.

Idem in ſermon. anniuerſ. ſui.

scribit, vt curam, inquit, quã vniuersis ecclesijs principaliter ex diuina institutione debe mus, adiuuares. Et cum descripsisset ordinẽ & gradũ episcoporum, & ab ijs, qui in maioribus sunt ciuitatibus maiorem suscipi oportere curam docuisset, addit: Per quorum solicitudinem ad vnam Petri sedem vniuersalis ecclesiæ cura confluaret, & nihil vsquam à suo capite disideret. Apertius etiam Bonifacius secundus: Olim, inquit, & ab initio tantam percepimus à beato Petro apostolorum principe fiduciã, vt habeamus authoritatem vniuersali ecclesiæ auxiliante domino subuenire, & quicquid nociuum est authoritate apostolica corrigere & emendare. Simulq; indicat, quòd cum Aurelius Carthaginiensis ecclesiæ episcopus cum collegis suis instigante diabolo superbire temporibus prædecessorum suorum Bonifacij atque Cœlestini contra Romanam ecclesiam cœpisset, successor eius Eulalius, videns se à Romanæ ecclesiæ communione segregatũ, humilians recognouit se, pacem & cõmunionem Romanæ ecclesiæ petens, subscribendo vnà cum collegis suis, damnauit apostolica authoritate omnes scripturas, quæ aduersus Romanæ ecclesiæ priuilegia factæ quoquo ingenio fuerunt. Ad eundem modũ Anasta-

Idem ad Anast.

Bonif. ad Eulali. epi. Alexandri.

sius

sius eius nominis secundus ad Anastasium imperatorem scribens: Ita vt per ministerium humilitatis meæ, inquit, sicut semper est, sedes beati Petri in vniuersali ecclesia assignatum sibi à domino Deo teneat principatum. Porro Nicolaus primus, qui circa octingentesimũ ferè annum post Christum natum eidem sedi præfuit, ad Michaëlem imperatorem ita scribit: Priuilegia istius sedis vel ecclesiæ perpetua sunt, diuinitus radicata atq; plantata sunt: impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt, & permanent (deo gratias) hactenus illibata, manebuntq́; post vos, & quousq; Christiani nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ita igitur priuilegia, huic sanctæ ecclesiæ à Christo donata, à synodis non donata, sed iam solũmodo celebrata & venerata, per quæ non tam honor, quàm onus nobis incũbit, licet ipsum honorẽ non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per beatum Petrum, & in beato Petro simus adepti, nos cogunt, nosq́; compellũt, omnium habere solicitudinem ecclesiarum Dei. Vides ne, quàm apertè & cõueniẽter sibi inuicem isti papæ, seu pontifices, non nostris temporibus, neq; ante ducentos, vel quadrin-

Anast. ad Anast. Imper.

Nicolaus papa ad Mich. Imp.

quadringentos, quemadmodũ isti impudentes euãgelici apud rudẽ & imperitã plebeculã garrire solẽt, sed ante septingẽtos, nongẽtos, mille, milleducẽtos & mille quingẽtos ferè annos de eminẽtia & potestate Romani eiusdẽq; summi põtificis scribant? Scribũt autẽ non temerè, neq; ad quosuis homines, sed Leo in sermone ad populum: Nicolaus & Anastasius ad Imperatores aduersarios suos: Damasus ad episcopos Numidię: Bonifacius ad patriarchã Alexandrinũ: Marcellus ad episcopos Antiochenæ prouinciæ, quæ & ipsa suum habebat patriarchã, & priori, quàm Roma Petri cathedra gloriabatur: Anacletus ad vniuersos episcopos. Possent autẽ etiã plures à me citari. Sed quoniã omnes ij tamẽ in rem suã testificari videri possunt, expendamus episcoporũ ac doctorũ testimonia, qui nõ tulissent profectò iugũ pontif. Roma. nisi pro comperto habuissent, potestatẽ eorum à Deo profectam esse. Prodeat autẽ primus Irenęus episcopus Lugdunẽsis, S. Martyr, & Polycarpi, qui auditor fuit Ioannis euãgelistæ, discipulus. Is Rom Ecclesiæ mentionẽ faciens, ita scribit: Ad hãc enim ecclesiã ,,ppter potentiorẽ principalitatẽ necesse est omnẽ cõueni re ecclesiã, hoc est, eos qui sunt vndiq; fideles: in qua semper ab ijs qui sunt vndiq;, cõseruata est ea, quæ est ab apostolis, traditio.

Iren. aduers. hæres. lib. 3. ca. 3.

Vide quid hic S. episcopus scribat de Romana ecclesia, cum qua omnẽ ecclesiam cõsentire oportere affirmat. Et mox appellat eam Petri ecclesiã: enumeratq; ad sua tẽpora duodecim eius pontifices, successores Petri: atq; ita praua Valentini, Marcionis, Cerdonis, & Basilidis hæreticorũ dogmata damnat, velut diuersa à veritate atq; traditione apostolica, quæ, inquit, in ecclesia Romana per tot successores Petri integrè & incorruptè cõseruata est. Quid Cyprianus & ipse S. Martyr, & Carthaginẽsis episcopus, qui circa 250. annũ post Christum natũ floruit, scribat de vnitate ecclesiæ, ac de Petro, iam ante hac audiuisti. Non tam autẽ ad Petri, quàm ad sua tempora is ibi respicit. Nã questus de diabolo, quòd is videns idola derelicta, & per nimium credentiũ populũ sedes suas ac templa deserta, excogitauerit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos: Hæreses inuenit & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem: Hæc igitur questus, subijcit causam seductionis multorum. Hoc, inquit, eò fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur. Probatio est ad fidem facilis compendio

pendio veritatis. Et mox eam offert, quasi antidotum, quo præmuniti homines minus facile ab hæreticis & schismaticis seducantur. Loquitur, inquit, dominus ad Petrum, & cætera, quæ paulò antè recitaui. Nihil sanè erat, quòd Cyprianus post ducentesimũ amplius annum Petri primatũ & authoritatem stabiliret: Nec id proderat ijs hominibus, quibus ea tunc ille scribebat ad vitandum [illegible] culum. Sed successorum Petri authoritatem is stabiliebat: Quę si valeret, minus facile hominum fides subuerteretur, corrumperetur veritas, vnitas scinderetur. Ad Corneliũ autem papam in tertia epistola, cùm cathedræ Petri, hoc est, Romanæ ecclesiæ mentionem fecisset, eamq; principalem ecclesiam appellasset, addit: vnde vnitas sacerdotalis exorta est. Alibi verò: Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna super petram vel Petrũ domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest. Per vnam autem cathedram, quæ ecclesiam coadunat, & vnitatem eius cõseruat. Cyprianus non hoc modo, sed etiam alijs in locis nihil aliud intelligit, quàm Romanam ecclesiam cum suo episcopo vel pontifice: Ac proinde alibi illam quidem matricem &

Cyp. ad Cor. Pap. epi. 3. lib. 1.

Id lib. 1. ep. 8. ad plebem.

Idẽ lib. 4. ep. 8.

cem & radicem Catholicę ecclesiæ: hunc autem catholicæ ecclesiæ Episcopũ vocat. Scribẽs enim ad Cornelium papam de schismaticis, indicat ei, se non aliter conuersos recipere, & quidem in Africa, nisi apertè ita profiteatur. Nos Cornelium episcopum sanctissimæ Catholicæ ecclesiæ erectũ à Deo omnipotente & Christo domino nostro scimus. Nos errorem nostrũ confitemur: circumuẽti sumus perfidiæ loquacitate, factiosa amãtes. Videbamur quasi quandam cõmunicationẽ cum schismatico homine habuisse, syncera tamen mens nostra semper in ecclesia fuit. Nec ignoramus vnũ Deum esse, & vnũ Christum esse dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctũ, vnum episcopum in ecclesia Catholica esse debere. Alibi etiã scribit, eum ipsum Cornelium in locum Petri, & gradũ cathedræ sacerdotalis succesisse. Stephanum quoq; Papã idem hortatur, vt in locum cuiusdã episcopi schismatici in Gallijs alium eligi iubeat, velut id propriè ad eũ ex eminentia potestatis pertineat. AVL. Igitur pugnat ipse secum Cyprianus. Nam ab istis quoq; euangelicis, Magdeburgẽsib. præsertim historiæ ecclesiasticæ compilatoribus, is hunc ipsum primatũ, siue, vt ipsi vocãt, tyrannidem Ro. pontificum oppugnãs, producitur.

Idẽ. lib. 3. epist. 11.

Id. lib. 4. epist. 2.

Idẽ ad Stephã. Papã.

Cyp. testimon. cõtra primatum Papæ.

Cent.3.ca. 6.& 7.& Cent.4.ca pi.7.

MO. Producitur quidem, vt & multi alij, sed partim leuiter, partim improbè. Quale est enim illud, quod is Corneliũ, Luciũ, & Stephanum Ro. pontifices fratres, collegas, & coëpiscopos: Ipsum verò Clerus Ro. papã appellat? Quasi verò Petrus & Paulus apostoli, hic quidé eorũ, ad quos scripsit, fratrẽ, ille verò presbyterorũ, sympresbyterũ, vel seniorũ cõ seniorẽ se nõ vocarit. Aut quasi non ipse etiã Christus apostolos ꝓ fratribus & amicis suis habuerit. Papę autẽ cõmune fuisse episcopis, Hieronymi ad Augustinũ epistolæ, & aliorũ vetustiorum scriptorum ecclesiasticorũ scripta documẽto sunt. Cur autem isti omittunt, quod Clerus idẽ etiã fratrem eundẽ Cyprianum appellat? Quod autem Cyprianus Corneliũ, & Stephanum papas seuerè obiurgasse dicitur, si verum esset, non plus tamen momenti haberet ad tollẽdum eorum primatũ, quàm ad tollendum ipsius Petri primatũ habuit illa reprehẽsio, qua Paulus ei se in faciẽ restitisse scribit. Et tamen Cypr. ipse, dum ita, vt volunt isti, Stephani insolentiam, arrogantiam, & contumaciam Pauli exemplo arguit, non modò nõ tollit Petri primatũ, quod etiam isti impudenter mẽtiuntur, verũ etiam adstruit. Ait enim, eum primũ à domino electum (quod certe ad tempus & ordinẽ referri non potest, quandoquidem prior eo An-

Ephes.6. 1.Pet.5.

Mat.25.et 23. Hebr.2. Ioan.15. lib.2.epist. 7.

Gala.2. Cypria. ad Quintũ de Hæret. baptis.

dreas frater eius electus est) & super eum ecclesiam ædificatã esse. Igitur & hoc leue est, nec tamen verum istorum argumẽtum. Neq; enim Stephanus ibi obiurgatur. Nec illud verius, quòd aiunt ij, Nolle Cyprianum, minorem esse Africanorũ episcoporum authoritatẽ, quàm Romanorũ. Vnde enim id probant? Illis opinor eius verbis. Nisi paucis & perditis minor esse videtur authoritas episcoporũ in Africa cõstitutorũ, qui iam de illis iudicarũt. At ibi nõ addit ille, quàm Romanorum, qd̃ addũt isti. Et schismaticis autẽ ac hæreticis episcopis, qui Fortunatũ episcopũ ordinarant, cõfert is Africanos, qui eũ damnarunt: Quòd euidẽter illa verba (qui iam de illis iudicarunt) atq; adeò tota illa epistola demõstrat. Vides igitur, quantũ & huic testimonio tribuẽdũ sit. Illud grauius videri potest, quo Lutherus quoq; nititur, qd̃ scribit idẽ Cypr. vnà cum synodo Africana. Neq; enim quisquã nostrũm episcopum se episcoporũ constituit, aut tyrãnico terrore ad obsequẽdi necessitatem collegas suos adigit. Quando habeat omnis episcopus, p licentia libertatis & potestatis suæ arbitriũ propriũ, tã quã iudicari ab alio non possit, cũ nec ipse possit alterũ iudicare: Sed expectemus vniuersi iudicium D. nostri Iesu Christi, qui vnus est, & solus habet

Cyp. in sent. episc.

bet potestatẽ, & præponendi nos in ecclesiæ gubernatione, & de actu nostro iudicãdi. Verùm hac tunc defensione episcopi illi in mala causa vsi sunt, statuentes denuo baptizandos esse baptizatos ab hæreticis: cũ Ro. pontificis & Italicorũ episcoporum authoritate premerentur: Cui cessere tamẽ ad extremũ.

Lir. aduersus hæret. Vide autem, quid scribit Vincentius Lirinẽ. de illa Synodo. Postremò, inquit, Africani Concilij siue decreti quę vires? Donãte Deo nullæ. Sed vniuersa tanquam somnia, tanquã fabulæ, tanquam superflua abolita, antiquata, calcata sunt. Quod si tamen isti Synodum illam probant, Christiani non sunt, nisi baptizentur denuo, vtpote apud nos, quos ipsi nó modò pro hæreticis, sed etiam pro impijs & idololatris habent, baptizati. Quanquam alioqui etiã, nihil absurditatis habent illa Cypriani cum sua Synodo verba, vel Augustini testimonio, in ijs duntaxat, quæ ecclesiæ iudicio definita, & vt verbis eius vtar, eliquatissima perspectione discussa non sunt, sed adhuc dubia & controuersa probabili in vtramq; partem disputatione vltro citroq; agitantur. Alioqui pugnaret ipse secũ Cyprianus. Quo enim iure ipse cũ Synodo damnasset quosdã episcopos? Vbi autem esset illa episcoporũ per certos gradus distinctio, quã

Aug. de bap. lib. 2. capite. 2. & libr. 3. cap. 3. Cyp. li. 1. epist. 4. ad Fels. Paul. & plu.

iam

iam inde ab initio fuisse in ecclesia dei non ita multo antè docui, vt alij sint episcopi, alij archiepiscopi, vel metropolitani, vel primates, vel patriarchæ? Et hoc igitur quantũ momenti habeat, vides. At enim testatur Cyprianus cum alijs episcopis, statutũ esse ab omnibus in vniuerso mundo episcopis, ne liceat ad Rom. Episcopum, aut quemuis alium appellare. Primùm mentiuntur isti, episcopos illos cum Cypriano scribere, ab omnibus in vniuerso mũdo episcopis hoc statutum esse. Omnibus nobis, scribunt illi: Nempe 37. episcopis, quorum nomina prefixa sunt epistolæ illi: Vel si vis, omnibus Africanis episcopis. Quorum statutum hoc non maius certè pondus haberet, quàm illud de rebaptizando, si eo omnes prorsus cuiusq; modi appellationes tollerentur, cùm eæ antiquissimis ecclesiæ Catholicæ moribus & institutis, & Oecumenicorum conciliorum decretis sancitæ sint: Quod paulò pòst ostendam. Sed hoc est alterum istorum hoc in loco mẽdacium. Verùm hoc illi episcopi à se statutum esse aiũt, vt vniuscuiusq; causa, criminalis proculdubiò, illic audiatur, vbi est crimẽ admissum. Vbi si legitimè in synodo examinata, iusteq; definita fuerit, ne prætextu appellationis res iudicata temerè rescindatur. At aliunde

& ad E pictet. & plcb.

Idẽ ibid.

Cyp. lib. 2. ep. 7. Cler. Roma. Cypriano.

liunde quoq;,inquiunt, constat, Cyprianum Romanos in fidei cõtrouersia pro iudicibus nõ agnouisse. Hoc isti vafrè & veteratoriè ad pontificẽ Rom. referũt,cùm ad Clerũ solum vacãte sede post Fabiani papæ mortẽ referri debeat. Sic autẽ nihil istis suffragatur, etiãsi verũ esset,quod ij cõtendunt. Sed contrariũ potius è verbis illius epistolæ colligitur. Est autẽ ea Cleri Ro. ad Cyprianũ: Audi quæso verba eius. Sic is exorditur. Quãquã bene sibi cõscius animus,& euãgelicę disciplinę vigore subnixus, & verus sibi in decretis cœlestibus testis effectus,soleat solo deo iudice esse contẽtus, nec alterius aut laudes petere, aut accusationes pertimescere,tamẽ geminata sunt laude condigni, qui cum cõscientiam sciant deo soli debere se iudici, actus tamen suos desiderant,& ab ipsis suis fratribus comprobari. Non tibi videtur Illyricus iste cum socijs suis delirare, aut odio Romanorũ põtificum inflammatus cum ratione insanire, qui negat, aliquem agnoscere iudices eos, à quibus desideret actus suos comprobari? Quod Romani Cyprianum facere disertis verbis affirmant. Addunt enim: Quod te frater Cypriane facere mirum nõ est: Quid autem sequitur? Qui pro tua verecundia & ingenita industria,consiliorum tuorum nos nõ

tam

tam iudices voluisti, quàm participes inueniri. Audis verecundiam laudari, quæ in deferendo rectè facti iudicio, non in recusando apparet. Illæ quidem comparationis voces, tam, & quàm, apertè coarguunt, ipsis à Cypriano delatum fuisse Iudicium: Sed eos id in re planè laudabili sic accepisse, vt gratulandum sibi potius, quàm indicandum esse ducerent. AVL. Neq; ego sanè aliter intelligo. MON. Vides igitur, non modo non iuuari istos authoritate Cypriani, verumetiam premi magnopere ijs sententijs, quas recitaui superius. Quas quidem isti ineptis & ridiculis interpretationibus eludere, & quasi fumo prætenso solem obscurare conãtur. Sed nos ad aliorum quoque SS. patrum testimonia transeamus. Ambrosius igitur Mediolanensis Episcopus, qui ante 1200. ferè annos floruit, in sermone quodã de morte Petri & Pauli loquens, ita quærit: Et quo tandem loco Martyrium pertulerunt? Ac ipse sibi respondet: In vrbe Roma, quæ caput & principatum nationũ obtinet: scilicet, vt vbi caput superstitionum erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi gentiũ principes habitabãt, illic ecclesiarũ principes morarentur. Idem in epistolę primæ ad Timotheũ caput tertiũ. *Ambro. ser mo. de nat. Petri & Pauli.* *Idẽ in 1. Ti moth. ca. 3.*

Cùm totus mundus dei sit, ecclesia tamẽ domus eius dicitur: Cuius hodie rector est Damasus: Nempe, Romanus pontifex. Iam Hieronymus æqualis Ambrosij, è finibus Syriæ ad Damasum papam ita scribit: Facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio. Cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christũ sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior: Super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnãte diluuio. Vide quid & hic sanctus & eximius doctor de Romana ecclesia & cathedra, eiusq; præsule sentiat. Cùm omnẽ ætatẽ suam in perdiscenda sacra scriptura, non solùm ipse per se legendo, verumetiam Gregorium Nazanzenum audiendo exegisset, multosq; libros de doctrina salutari scripsisset, ac magnam doctrinæ & sanctimoniæ opinionem apud Christianos populos obtineret, in dubijs tamen & controuersis dogmatibus non præfidit doctrinæ & ingenio suo, sicut isti pseudeuãgelici faciunt, vbi aliquot libellos, vel chartas modò perlegerint: Neq; in cuiusquam, præter cathedram Petri, authoritate acquiescit, profitens, quãuis apud Græ

Hieron. ad Damasum.

cos

cos maior semper doctrinæ fuerit opinio, ab ea sola veritatem & verbum Dei retineri,& super eam quasi super petram ædificatam esse ecclesiã, & quòd sit periturus,quisquis ab ea sese segregarit. Quid apertius de potestate papæ,& quòd ea ecclesiam Dei adunet,dici potuit? Augustinus etiã scribit, in ecclesia Rom. semper viguisse cathedræ apostolicæ principatum. Quid alibi idem non solus,sed cum multis alijs in Concilio quodam cõgregatis episcopis scribat, paulò pòst recitabo. Mitto Bernardũ,& alios multos Latinos, veteres iuxtà ac recẽtiores doctores. Veniamus ad Græcos, qui certè minus suspecti esse possunt petulantibus istis Momis euangelicis. Quanquam & illos, quos modò recensui,latinos,non modò eximia vitæ morumq́; integritas atq; doctrina, pietate ac timore Dei referta, verumetiam tẽpora ipsa & loca ab omni suspicione vindicant. Prodeat autem primus omnium Hugo Etherianus, qui cùm ante cẽtum qainquaginta ferè annos Emanuelis imperatoris Constantinopolitani tempore vixerit,& ad eum durante inter Græcos & Latinos dissidio scripserit,eò maiorem fidẽ in hac causa meretur. AVL. Quid igitur is scribit? MON. Recitat eius verba vir doctus ac diligẽs Albertus Pigghius. Quibus ex verbis,

Aug. epist. 162.

Bern. de cõsid. ad Eugen. &c.

Hugo Etherianus de proces. Spiritus S.

Alber. Pigghius Hie. eccles.

Hugo Ether. ad Emanu. imper.

bis, inquit, liquidò claret, quòd Petrũ eiusq; successorem principem Christus, & caput nõ modò Latinorũ, Græcorũ, Occidentis & Septentrionis vniuersi, verumetiã Armenorũ, Arabum, & totius Orientis ac Meridiani climatis in perpetuum constituit. Ob quam rem occidui solis limites vniuersi Petri successorem ex tunc sibi dominũ recognoscunt, & sub illo præsule diriguntur. Quod omnes facere oportunum est. Sequatur Constantinus Imperator, sub quo sexta vniuersalis Synodus peracta est. Is igitur ad Romanam Synodũ scribens, Agathonẽ, papam vniuersalẽ, principẽ pastorum appellat: Eiusq; relationẽ, hoc est, tomum ad Concilium illud Constantinopolitanũ missum, tanquam ipsius diuini Petri vocem admiratum se esse testatur. Iam antiquior eo Iustinianus Imperator, ante 900. annos ita scribit ad Ioannem papam: Semper nobis fuit magnum studium, vnitatem vestræ apostolicæ sedis, & statum Sanctarum ecclesiarum custodire, quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedẽte contrarietate. Ideoq; omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus (intellige eos, qui sese hæresibus ac schismatibus segregarant) & subijcere, & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus. In præsenti ergo,

Iustin. Ioan. papæ. C. de summa Trin. L. In hac Reddẽtes.

ergo, quæ commota sunt, quamuis manifesta & indubitata sunt, & secundũ apostolicæ vestræ sedis doctrinã ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata, necessarium duximus, vt ad notitiã vestræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatũ sit quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum ecclesiarum. Et paulò pòst: Omnes verò sacerdotes sanctæ Catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, & Reuerendiss. archimandritæ Sanctorum monasteriorum sequentes S. vestram, & custodientes statum & vnitatem sanctarum dei ecclesiarum, quam habent ab apostolica vestræ S. sede, &c. Et in fine epistolæ: Plus enim, inquit, ita & circa vos omniũ amor, & vestræ sedis crescet authoritas, & quæ ad vos est, vnitas sanctarum ecclesiarum inturbata seruabitur, quãdo per nos dicerint omnes beatiss. episcopi, eorũ, quæ ad vos relata sunt, synceram vestræ S. doctrinam. Aduertis animum, quàm apertè hîc Imperator Ro. pontificem caput esse omniũ ecclesiarum, & ab eo vnitatem earũ dependere profiteatur: Quem etiam alibi sancit, primũ esse omnium sacerdotum. Eius verò auun-

Sexta Syn. Actor. 18.

Authent. col. 9. tit. 6.

culus

Iustī. Impe. culus Iustinus, Imperator & ipse, quid de Romanæ ecclesiæ principatu senserit, è professione, quam is multiq; Orientis episcopi Bonifacio eius nominis secundo papæ miserũt, luce meridiana clarius est. Facit autem eius professionis mentionem ipse Bonifacius ad Eulalium Alexãdrinum episcopum scribẽs, & extat ea in libro Conciliorũ his verbis cõscripta. Prima salus est, rectę fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Et quia nõ potest domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: Et hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculã semper est Catholica seruata religio. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra sanctã Ro. & apostolicam ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices, sequentes in omnibus apostolicam sedẽ, & prædicantes eius omnia cõstituta: & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam sedes apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas: Promittens segregatos à communione ecclesiæ Catholicę, id est, non consentientes sedi apostolicæ.

Exemplar precum ex Concil. to. 1.

apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Quòd si in aliquo à professione mea deuiare tentauero, his, quos damnaui, complicem mea sententia me esse profiteor. Hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, & Bonifacio sancto & venerabili papæ vrbis Romæ direxi, damnãs & antecessores & successores meos, & omnes, qui S. Rom. & apostolicæ ecclesiæ priuilegia cassare nituntur. Quid ad hæc dicunt isti pseudeuangelici? Nec multò diuersa ab hac est confessio, quam Ioannes Constantinopolitanus patriarcha Hormisdę, tertio ante hunc Bonifacium papæ misit. Quæ & ipsa extat in primo tomo Conciliorum, facitq; eius mentionẽ etiã ipse Hormisda in epistola ad episcopos Hispanię. Dixi etiam superius, Potentissimum Aethiopæ monarchã, quem presbyterum Ioannem vulgò vocant, nostra ferè ætate per legatos Romam vsq; ea de re missos professum esse, Rom. pontificem esse Præsidem cathedræ apostolicę, & episcopum ecclesiæ Catholicæ. Iã verò Basilius Magnus illud eminentiæ Romani episcopi dat testimonium, quod scribit in perturbatione ecclesiarum orientalium sibi cum alijs visum esse, literas ad eum mittere, quo res illorũ locorum consideret, ac consilium det, & legatos

Libel. fid. Ioan. Constant. epis. Hormis. epistola 2.

Aethiopũ monarchæ professio.

Basil. epist. 52.

tos idoneos mittat ad commonefaciendos peruersos, qui aptè & cũ gubernandi peritia doctrina verbi vtantur. De Chrysostomo & Athanasio dicam paulò pòst. Cyrillus verò Alexandrinus ad Cœlestinum papã de Nestorij Const. patriarchæ prauo dogmate retulit, cõsilium sibi & Orietalibus ab eo expetens, deberet ne ei cõmunicare, an abstinere se ab eius communione: Et præfuit is Ephesino concilio vice eiusdem pontificis, Nestoriũq; ab eo prædamnatũ cum 200. episcopis damnauit. AV. Sunt hæc quidem illustria de Romanę eccleſiæ, eiusq; pręsulis eminentia & authoritate testimonia, & plerague vetustiora Gregorij papæ temporibus. Itaq; subit hîc mihi in mentem mirari, quid sibi velit, cur is œcumenici, siue vniuersalis episcopi appellationẽ tãtopere detestatus sit, vt non modò neget, vllum antecessorem suũ eo titulo vsum fuisse, verumetiam antichristi prærcursorem & imitatorẽ esse affirmet, si quis œcumenicus episcopus appellari velit. MO. Vnde id scis? Legisti ne hoc apud Grægorium? AV. Nõ, sed audiui è Gregorij scriptis recitari. MO. Scribit quidẽ ita Gre. Neq; ego hîc ad illud præsidiũ, quo vtuntur nonnulli, confugiã, vt contendã, aliud esse Oecumenicũ, aliud Oecumenicæ eccleſiæ episcopum:

Cyril. ep. ad Cœlest.

Oecumeni. episcopus.

Greg. Mauritio impe. et Cõstãtiæ Augusti. & Eulog. atq; Anastasio epis. lib. 4. epistol.

Oecumenicus & Oecumenicæ

pum: Ac illud quidem Gregorium abominatum esse: Hoc non item. Vt enim Grammaticos præteream, qui has loquendi formulas nullo, vt arbitror, discrimine ponũt, constat sanè longè ante Gregorium vtranque patribus non inusitatam fuisse in appellandis Romanis pontificibus. Nam Athanasius cum tota Synodo Alexãdrina Marcum, Constantinus verò Imperator Syluestrum Catholicæ siue vniuersalis ecclesiæ (quod perinde est atq; Oecumenicę) Episcopũ agnouit. Cyprianus quoque, quod etiam paulò antè memoraui, à schismate reuocatos eò se adduxisse scribit, vt Cornelium papam Catholicæ ecclesiæ episcopum esse profiterentur. Alibi etiam, eum, qui cum eo ipso Romano pontifice communicet, cum Catholica ecclesia cõmunicare asserit. Porrò Chalcedonense sexcentorum triginta episcoporum Concilium, vnum de primis quatuor, Leonem pontificem absentem, Oecumenicum patriarcham acclamauit. Atq; hoc non ignorauit, nec improbauit Gregorius: Quin agnoscit is disertis verbis, non magis Leoni, quàm sibi, & omnibus Romanis pontificibus delatum esse nomen hoc à celebri illo Concilio. Nec dissimulat potestatem illam suam, & cathedræ Romanæ eximiam,

ecclesiæ episcopus Rom. pontifex.

Concil. to. 1. Alex. Syno. in Athanasio. Constant. in edicto. Cypr. libr. 3. epist. 11. Libr. 4. epist. 2. Chalc. Concilium.

miam, Petro & succeſſoribus eius ſuper vniuerſam eccleſiam à Chriſto datam. AVL. Cur igitur nomen deteſtatur, ſi rem amplectitur. MON. Dicam quod ſentio. Cœperat Ioannes Conſtantinopolitanus patriarcha nomen id, Oecumenici inquam & vniuerſalis, temerè vſurpare: Metuendumq; erat, ne conſequenter rem quoque & poteſtatem ac principatum vniuerſæ eccleſiæ ſibi arrogaret, Imperatoris Mauritij, & vxoris eius Conſtantiæ fauore fretus, quemadmodum anteceſſores eius iam pridem in ordinem patriarcharum ſeſe inſinuarant, imò alijs etiam prælati erant. Quocirca retundit illam eius ambitionem nõ tam in re & poteſtate adhuc, quàm in nomine inſolenter vſurpando Gregorius, & vt non tam ſuam, quàm omnium epiſcoporum ac totius eccleſiæ rem agere videretur, oſtendit ad euerſionem ſacrorũ canonum, & perturbationem eccleſiæ id pertinere, nimirùm quòd cæteri omnes epiſcopi deſituri eſſent eſſe epiſcopi, ſi vnus ille vellet haberi & eſſe vniuerſalis & Oecumenicus, cũ Chriſtus per apoſtolos ſuos multos in ea conſtituiſſet ac præfeciſſet epiſcopos, pares poteſtate ordinis, quemadmodum ex me audiuiſti, non etiam iuriſdictionis. Hæc enim non omnium eadem eſt: ſed vt epiſcopi alij quidem

Gregorius cur ab Oecumenici nomine abhorruerit.

Epiſcopi pares & impares.

dem simpliciter episcopi, alij archiepiscopi, & metropolitæ, alij primates, alij patriarchæ dicuntur, ita iurisdictione alij alijs superiores sunt, & inferiores. Summa autem præpolet Romanus patriarcha, qui & papa, quasi pater patrum, & summus pontifex, & primæ sedis episcopus appellatur. Sed non erat necesse de iurisdictione ita tunc distinguere, & suã ipsius eximiam illam potestatem exaggerare Gregorio, præsertim cùm Iohannes ille necdum potestatem iudiciariam in cæteros episcopos sibi sumeret, nec summam Rom. pontificis in vniuersa ecclesia potestatem in dubium reuocare videretur. Proinde hoc obiter tecteq; perstricto, insolentem nominis vsurpationẽ solã is vrget, & exemplo suo, antecessorumq; suorum ab ea vsurpatione illũ deterret, negans se vti tam ambitiosa illa & inuidiosa appellatione, neque antecessorum suorum quenquam vsum esse, licet vltro à tã frequẽti ac celebri synodo oblata: Ne ipsum quidẽ Petrũ apostolũ, quẽ ecclesiæ vniuersæ à Christo moderatorem præpositum esse nõ esset dubium. Itaq; non ita argumẽtatur Gregorius, quasi Constantinopolitani episcopi par esset in eo causa cum Petro, vel successoribus eius Rom. pontificibus: sed vt perpenderent illi, ad quos tunc scribebat, nefas ei

Papæ appellatiõcs.

esse arroganter vsurpare id, quo Petrus & Rom. pontifices, cum iure optimo possent, vsi tamen non essent, nec vterentur per modestiam. Quali modestia vsus est etiam idem Petrus, cùm ad presbyteros scribens non apostolum, sed sympresbyterum, siue conseniorem se vocauit: & Paulus, cùm negauit se dignum esse, qui vocaretur apostolus, quòd uis non ab hominibus, neq; per hominẽ, sed per Iesum Christum & deum patrem, vt ipsemet asserit, vocatus asset apostolus. Quali barbaros etiam Imperatores & tyrannos nonnunquam vsos esse legimus, cùm milites suos cõmilitones appellarẽt, captandæ & cõseruandæ eorum beneuolentiæ gratia. Nec tamen per hoc de potestate sua quicquam remittebant. Sic igitur illam Oecumenici & vniuersalis episcopi appellationem recusauit ac detestatus est Gregorius, vt ab inuidioso nomine, quo tolli cæterorum episcoporum functiones videbantur, abhorreret, potestate autem illa summa diuinitus sibi collata, cùm opus esset, nihilominus vteretur, cùm eius vsus non impediret, quo minus cæteri omnes totius orbis terrarum episcopi episcopalibus muneribus suo quisque loco fungerentur: Quin quo rectius id & ordine fieret ab omnibus, cõducebat magnopere, vt cùm

1. Pet. 5.
1. Cor. 15.
Gal. 1.
Commilitones.
Ro. pontificis eminẽtia tuetur unitatem & ordinẽ ecclesiæ.

cùm ita, vt dixi, gradibus distincta esset potestas episcoporum iudiciaria, penes vnum summa esset authoritas, saluberrimo ac diuino verius, quàm humano consilio. Nempe vt ne liceat cuiq; facere, quod libet, & arbitratu suo de fide ac dogmatibus, ritibusq; ac cultu Dei statuere, ordinemq; & consociationem siue vnitatem ecclesiæ rumpere aut perturbare. Nec tamen ob id Romanus pontifex magis est episcopus, quàm quiuis patriarcha, Primas, Metropolitanus, & minimæ cuiusq; ciuitatulæ episcopus. Quemadmodum neq; patriarcharum eminens supet subiectos sibi episcopos, archiepiscopos, metropolitas, & primatës dignitas & authoritas obstat, quo minus ex æquo hi cum illis sint episcopi, & episcoporum fungantur officijs. Fecit autem ipse quoque Gregorius ad Alexandrinum & Antiochenum patriarchas scribens, subiectorũ ipsis episcoporum mentionem. Solũ ergo nomẽ, non etiam potestatem Oecumenici refutat: Idq; non iure, sed per modestiam: Qua se etiam seruum seruorum dei nominauit. Nihil autem refert, qua appellatione vtamur, modò de re constet, vt sanè constat ex his documentis ac testimonijs, quæ hactenus recensui, & recensebo adhuc, nisi quid aliud tu vis. A V L. Ego verò istuc

Greg. ad Eulog. Alex. & Anast. Antioche.

Seruus seruorum dei.

Phocæ & Constantini magni edicta.

ipsum. Expecto autem, quàm citò Phocam & Constantinum magnum imperatores ad superiores illos abs te commemoratos adiungas. Nam sicut isti dicunt euangelici, ab his duobus Romana ecclesia & pontifex eius authoritatem & potestatem, seu principatum super cæteras ecclesias accepit. MO. Benè mones. Asseuerant id quidem isti, eò rem deducentes, vt authoritatem illam & eminentiam ab humana & imperatoria constitutione, ac non à Christo domino, neq; ex traditione apostolica ortam esse ostendant. Atq; id quoque quod datur, accipio, nimirùm quòd fatentur, tam diuturnam esse in ecclesia Christi eminentiam pontificiam, ac nō nuper à quadringentis, vel quingentis annis, quemadmodum vulgò inculcare solent, exortam & vsurpatam. Phocas enim ante nongentos, Constantinus autem ante mille ducentos annos imperauit. Sed tamen falsum est, summam in ecclesia Christi eminentiam & authoritatem Rom. pontificis istorum Imperatorum temporibus, & ex eorum constitutionibus originem ducere. Iam audiuisti ex authoritate scripturæ sanctæ, & multorum magnorum sanctorum ac fide dignorum, non ex vna aliqua, sed è diuersis gentibus hominum testimonijs, quorum plerique Constan-

ſtantinum etiam, nedum Phocam, præceſſerunt, aliter ſe rem habere. Et audies adhuc idem etiam euidentiùs. Extant, fateor, quędã ſcripta, quibus memoratur, Bonifacium tertium papã à Phoca impetraſſe, vt eccleſia Petri eſſet caput omnium eccleſiarum: Conſtantinum autem edixiſſe, vt eccleſia Romana primatum obtineret tam ſuper quatuor primarios patriarchas, quàm ſuper cæteras omnes totius mundi eccleſias: vtque epiſcopus Romanus ſiue Papa præemineret, ac prędeſſet omnibus ſacerdotibus, & vt eius arbitrio ſtatueretur, quic quid ad cultum diuinum, ſtabilita temque fidei pertineret. Sed nõ eſt nouum, quòd magiſtratus & principes Chriſtiani ea, quæ iam antè à Deo, vel per apoſtolos eccleſiam ue & eius præſides ſtatuta ac præcepta ſunt, denuò ſtatuant ac præcipiant, licẽ tiam hominum improborum refrenantes, vt ij, qui Dei vltionem, & prędidum eccleſiæ cẽſuram non reformidant, ſeueritatem magiſtratuum profanorum pertimeſcant. Quod vt ita fieret, Phocæ temporibus vſus poſtulabat. Etenim patriarchæ Conſtantinopolitani tunc non modò parêre pontificibus Romanis recuſabant, verumetiam Oecumenici epiſcopi, quemadmodum dixi dudum, appellari volebant: Atq; ita vniuerſæ eccleſię prin-

Phocæ Imper. edictũ de Rom. eccleſia & pontifice.

Conſtantini edictum

Principum edictis ſanciuntur dei & eccleſiæ præcepta.

cipatum vsurpare sensim incipiebant. In quo adiutores habebant imperatores, & vicinos episcopos: partim propter inuidiã vel dedignationẽ Romanæ cathedræ: partim ꝓpter ambitionẽ suã, vt & ipsis liceret, quicquid liberet: partim assentatione metuve. Quæ res causam præbuit Gregor. vt ea scríberet, quæ tu paulò antè cõmemorasti: Bonifacio autẽ post eũ, vt peteret, Imperatoria Phocę sãctione Romanæ sedis prærogatiuam labefactari tunc incipiẽtẽ stabiliri. Cõstantini quoq; tẽpore exoriebãtur iam hæretici, qui vnitatem ecclesiæ nouis dogmatibus scindebãt, & quò liberius ipsis esset facere & credere quicquid vellent, asseuerabant nullum episcopum, nó modò in alios episcopos, sed ne in presbyteros quidẽ vllam potestatem & authoritatem habere. Quod non modò cum vsu & moribus receptis ecclesiæ Christi, verum etiam cũ institutis apostolicis & verbo dei pugnabat. Voluit igitur pius ille Imperator sanctione & edicto suo licentiam hominum coërcere.

Principũ Christiano rum offici um in tuen da religio.

Vt sanè facere par est reges, principes & magistratus Christianos, vt in eo Dei regniq; eius ministros se esse ostendant, nec errores, licentiam, & impietatem hominũ in suis ditionibus grassari, & vires sumere patiantur.

Sapien. 6. Scribit enim Sapiens: Reges esse ministros

regni

regni dei: Dauid autẽ hortatur eos, vt seruiãt domino in timore, ac disciplinam apprehendant. Hæc igitur fuit causa edictorum illorũ Imperialium. Quanquam nescio, an non sit commentitium illud Constantini edictum. Etenim tertio loco inter primarias sedes ponit sedem Constantinopolitanam, quæ nec dum ylla erat, ni fallor, aut si erat, certe inter primarias illas & patriarchales nec dum locum habebat. Sed vt concedam id verum esse, non statim sequitur, ex Imperatorijs constitutionibus eminentiam & authoritatem pontificiam ortum habere: sicut ne fidem quidem de sancta trinitate & Christo domino: de qua extant etiam eiusdem Constantini, Theodosij, Iustiniani, & aliorum imperatorum edicta. Est enim ea potestas & eminentia Romani pontificis, non modò Phocæ, verum etiam Constantini imperio antiquior. Quod etiam ex Ammiano Marcellino scriptore Romano, & à religiõe Christiana alieno, nõ obscurè deprehẽditur. Sed iam Conciliorum quoq; testimonia expendamus. Incipiamus autem à latinis & prouincialibus. Romana synodus, quę cum Nicæna œcumenica in idem ferè tempus incidit, statuit: Ne quis primam sedem, Romanam videlicet, iudicet: à qua omnes ius suum

Psal. 2.

C. de summa trinita. & fide Catholi.

Ammian. hist. lib. 15.

Synodorũ testimonia de principatu Rom. pontificis.

Roma. syn.

expectant. Quanquam & Sinuessana 300. e-
Syn. Sinuessana. piscoporum aliquantò antè, Marcellino papa
præsidente, congregata, hunc ipsum canonẽ
Tarracon. concil. Hilario papæ habet. Tarraconense verò Hispanorum con-
cilium ante mille ac centum propemodũ an-
nos ad Hilarium papam ita scripsit: Etiam si
nulla dictaret necessitas ecclesiasticæ disci-
plinæ, expetendum nobis reuera fuerat illud
priuilegium sedis vestræ, quo susceptis regni
clauibus post resurrectionem saluatoris per
totum orbem beatissimi Petri singularis prę-
dicatio vniuersorum illuminationi prospe-
xit. Cuius successoris principatus sicut emi-
net, ita metuendus est ab omnibus & aman-
dus. Extat etiam epistola episcoporum Mau
ritaniæ, ac totius Africæ ad Damasum papã,
Concil. African. Damaso papæ talem titulũ præ se ferens: Beatissmo domi-
no & apostolico culmine sublimato, sancto
patri patrũ, Damaso papę, & summo omnium
præsulum pontifici, Stephanus archiepisco-
pus concilij Mauritaniæ, & vniuersi episcopi
de tribus concilijs Africanæ prouinciæ. Sic
autem ei scribunt: Notum facimus vestrę bea
titudini, quòd quidam fratres in confinio no
bis positi quosdam fratres nostros, vene-
rabiles videlicet episcopos, vobis inconsul-
tis à proprio deijciunt gradu, vel deijcere mo
liuntur, cum vestræ sedi episcoporum iudi-
cia,

cia,& summorum finem ecclesiasticorũ negociorum in honore beatissimi Petri, patrũ decreta omnium cunctam reseruarint sentẽtiam, inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura & solicitudine obseruare debemus. Ad hanc epistolam ita ipsis respõdet Damasus Papa. Damasus : Quòd iuxta prudentem ipsorum commonitionem, magis autem secundũ domini diuinam præceptionem, se, qui supra domum eius, hoc est, vniuersam ecclesiam episcopale susscepit ministerium, solicitè vigilare oporteat, vt ne quid de sacris eius muneribus, id est, apostolicis viris, apostolorumq; successoribus atq; ministris quisquam se dormitante valeat supprimi, atque iniustè, seque inconsulto damnari. Addit autem: Scitis fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum, id est, omnium episcoporum, apostolicam sedem esse constitutam, & verticem ecclesiarum. Tu es enim (sicut diuinum pronũciat verbum veraciter) Petrus, & super firmamentum tuum ecclesię columnæ, qui episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt, & tibi claues regni cœlorũ commissi, atq; ligare & soluere potestatem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, promulgaui. Tu prophanorum hominum, & membrorum meorum, maximæque

discipulorũ meorũ existis vt princeps,& doctor orthodoxæ,& immaculatæ fidei. Cuius vice hodiè gratia Dei legatiõe pro Christo fũgimur,& oẽs huius sanctæ sedis præsules eius vicẽ gesserũt,gerũt,& gerẽt. Iã verò & Carthaginen. quinta synodus, Augustini tẽpore à septuaginta ferme episcopis celebrata,ad Innocentiũ papã scribit,indicans ei,quæ aduersus Pelagiũ & Cœlestiũ hæreticos egerit,& postulãs,vt ille pastoralib. sibi cõpatiatur viscerib⁹, actaq; sua sedis apostolicæ authoritate cõfirmet. In eandẽ aũt sentẽtiã Mileuitana quoq; 60. episcoporũ synodus,in quibus fuit & Augustinus,ex eadẽ Africa ad eundẽ Innocentiũ scribit: nẽpe cõfirmari & ipsa eius authoritate acta sua postulat,& pastorem suũ eũ,agnoscit. Is verò priori quidẽ illi sic respondet: In requirẽdis his rebus,quas omni cũ solicitudine decet à sacerdotib. maximè à vero,iustoq; & catholico tractari cõcilio,antiquę traditionis exẽpla seruãtes,& ecclesiasticæ memores disciplinæ,vestrę religionis vigorẽ nõ minus nũc in cõsulendo,q̃ antea cũ pnunciaretis vera ratione firmatis,qui ad nostrũ referẽdum ap probastis esse iudicium, scientes quid apostolicę sedi cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolũ,debeatur,à quo ipse episcopatus, & tota authoritas nominis huius emersit. Quem sequentes, tam

Cõcil. Carthag. inter epistolas Augustí. epistol. 90. 92. 93. 94

Mileuit. syn.

Innoc. præpos. Carthag. syn.

mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quod patrum instituta sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia, vt quicquid in disiũctis remotisq; prouincijs ageretur, non prius ducerent finiẽdum, nisi ad huius sedis notitiam peruenirent: vbi tota huius authoritate iusta quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indeq; sumerent cæteræ ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederẽt, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent, quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus vnda vitaret. Ita Carthaginẽsi Cõcilio Innocẽtius. Mileuitano autem respondens, inter cætera his verbis vtitur: Diligẽter ergo & cõgruè apostolico consulitis honori, honori inquam illius, quẽ, præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omniũ ecclesiarũ, super anxijs reb. quę sit tenẽda sentẽtia, antiquę sci licet regulæ formã sequuti, quã toto semper ab orbe mecũ nostis esse seruatã. Verùm hęc missa facio, neq; enim hoc vestrã credo latere prudẽtiã. Quid id etiã actiõe firmastis, nisi sciẽtes, q̃ per oẽs prouincias de apostolico fõte petẽtibus respõsa semper emanẽt? præsertim, quoties fidei ratio vẽtilatur, arbitror omnes

Idem Mileuit. Synod.

fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris authoré referre debere, velut nunc retulit noſtra dilectio, quod per totum mundum poſsit omnibus eccleſijs in commune prodeſſe. His adſtipulatur & Auguſtini diſcipulus, Poſidonius epiſcopus in vita eius ita ſcribens: Et quoniam ijdem (de Pelagianis loquitur) perſ uerſi ſedi apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſsimè etiam concilijs Africanis ſanctorum epiſcoporum geſtum eſt, vt ſancto papæ vrbis Romæ, & prius venerabili Innocé tio, & poſtea ſancto Zozimo eius ſucceſſori, perſuaderetur, quòd illa ſecta catholica fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ ſedis antiſtites ſuis diuerſis temporibus eoſdem notantes, atque à membris eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanos, Orientis & Occidentis eccleſias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus catholicis cenſuerunt. Vnde planum fit, quæ non modò tunc illorum conciliorum & Africanorum epiſcoporum, verumetiam totius Orientis & Occidentis, & vniuerſi populi Chriſtiani ſententia, patrumq; antiquæ regulæ, & inſtituta fuerint de authoritate Romani pontificis, nempe ad eum de rebus max.

Poſsid. in uita Auguſt. ca 18

re-

religionis vndiq; referri solere, eumque esse censorem & iudicem omnium, & eius stari iudicio. AVL. Hîc siste gradum parum per. Quid est? Cur præteris tertiam & sextam Carthaginenses synodos, quorum illa vetuit Rom. pontifices vniuersales appellari: Hæc non solùm refragata est liberè Rom. pontificum primatui, verumetiam notauit eos crimine suppositorum & corruptorum canonum Nicæni concilij, sicut accepi? MON. Cur præterierim rogas? Quia vtrunque falsum est, & alicubi iam refutatum à nostris, & nuper adeò à viro docto ac diligenti Alano Copo Anglo. Ac illud quidem, vt nec Rom. pontifex appelletur vniuersalis, affirmat is assutum esse in decretis Gratiani canoni tertiæ synodi, quod neque in latinis, neque in græcis canonibus extet, neque satis cum eo, de quo in eo canone tractetur, cohæreat, & repugnet autem vniuersali magno Chalcedonensi Concilio. De corruptis verò canonibus Nicæni Concilij dicam paulò pòst suo loco. Sed missas faciamus Latinas synodos: Græcas expendamus. Ante 1200. quidem annos Alexandrina ex Aegypti, Thebaidos, Lybiæque episcopis authore & præsidente Athanasio sancto patriarcha Alexandrino congregata, ad Felicé pa-

Cartha. 3. & 6. Syn.

Magd. hist cent. 4. ca. 7.

Alan. dial. 1. Dist. 99. cap. 1.

Carthag. 3 Synod. ca. 26.

Alexan. Synod.

Feli. papæ 2. papam scribit, eiusq; opem implorat in difficultatibus & periculis suis, his verbis: Ideo pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri nos curam habere agnouimus, præfatam apostolicam & summã expetimus, iuxta canonũ decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde præcessores nostri ordinationes & dogmata, atque subleuationes cœperũt. Ad eamq; quasi ad matrẽ recurrimus, vt eius vberibus nutriamur. Quoniam nõ potest mater obliuiſci infantem suum. Sic & vos nolite obliuiſci nos vobis commissos, quoniam non leuibus nos inimici nostri implicauerũt afflictionibus, & quotidiè facere moliuntur & apprehendere, aut ferris nos constringi minantur, nisi eorũ consentiamus erroribus. Quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus: Canonibus quippe iubentibus, absq; Romano põtifice nos de maioribus causis nil debere decernere. Ideoq; ad propositũ recurrẽtes, & ad brauium properãtes, vestræ apostolicæ sedis imploramus auxilium. Quia (vt credimus) nõ despexit Deus preces cum lachrymis sibi oblatas seruorum suorum, sed ob id nos prædecessoresq; vestros, Apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniúq;

eccle-

ecclesiarũ eis curã habere præcepit, vt nobis succuratis, nosq; tuentes, cui omne episcoporum iudiciũ est cõmissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis. Nam scimus in Nicæna magna Synodo trecentorum decem & octo episcoporũ, ab omnibus concorditer esse roboratũ: Non debere absq; Romani põtificis sententia cõcilia celebrari, nec episcopos dãnari, licet hæc & alia quàmplura necessaria ab hæreticis, qui nos quotidiè infestant, & perdere nituntur, vt facilius nos capere possint, sint synodica capitula incensa nobisque sublata. Qua de re, hac inuenta occasione, indifferenter, omni canonica & apostolica postposita authoritate, nos vi à proprijs, nobis incõsultis, illicitè expellũt sedibus, ouesq; nobis à Christo domino apostolica cõmissas gratia, inuadũt, gradibus priuãt, & quod pessimum est, & omnibus Christianis legibus inimicum, interficere decertant. Vos ergo (vt semper vestræ sedis sanctæ consuetudo fuit) periclitantibus subuenite, oppressos roborate, tribulatis manum porrigite, taliaq; prohibete, & leges imponite, vt apostolica doctrina, quæ in Deo est, citò ad victoriam iudicium perducere valeat nostrum, nosq; (Apostolorum principe suffragãte Petro) ab imminentibus periculis liberare. Et infrà: Similiter

liter & à suprà dictis patribus est definitum consonanter, vt si quisquam episcoporũ aut Metropolitanum, aut comprouinciales iudices suspectos habuerit, vt vestram sanctã Romanam interpellet sedem, cui ab ipso domino potestas ligandi ac soluendi speciali est priuilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit, quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum lucidissimimã dominus Iesus Christus vestram apostolicam constituit sedem. Ipsa enim est sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, releuantur. Et sicut in Christo Christiani, & in petra (id est in Christo) Petrus, Petri renouantur ecclesiæ. Tu es enim (sicut diuinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum ecclesiæ columnæ, id est, episcopi, qui ecclesiã sustinere, & proprijs humeris portare debent, sunt confirmatæ: tibiq; claues regni cœlorum commisit, atque ligare & soluere potestatem, quæ in terra, & quæ in cœlis sunt, promulgauit. Tu profanarum hæresium, & & impetitorum, atq; omnium infestantium depositor: tu princeps & doctor, caputq; omnium orthodoxæ doctrinę & immaculatæ fidei existis. Et mox: Nam fuit semper apostolicæ vestræ sedi potestas iniustè damnatos &

ex-

communicatos potestatiuè authoritate sua restituere,& eis omnia sua reddere,illosque qui eos condemnarũt, aut excommunicarũt, apostolico punire priuilegio:sicut etiam nostris & anterioribus cognouimus actum temporibus.Et rursus:Antiquis enim regulis sancitum est,vt quicquid quãuis in remotis, aut longè positis prouincijs super episcoporum querelis, aut accusationibus ageretur, non priustra ctandũ vel accipiendum esset,quàm ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum,vt huius authoritate, iuxta quæ fuisset pronuntiatio facta,infirmaretur, aut firmaretur,indeq; sumeret normam,vnde ecclesiæ sumpsere predicationis exordium,ne passim ab insidiatoribus columnæ euerterentur ecclesiæ.Certũ est enim,eidem sanctæ sedi vestræ in honorẽ beatissimi Petri,patrũ decreta peculiarem decreuisse reuerentiã,Dei pro rebus inquirendis atq; determinandis, quas solicitè decet,iusteq; ab ipso præsulum examinari vertice apostolico : Cuius solicitudo semper fuit,& est,tã mala dãnare, quàm probare laudãda. Quid potuit apertiùs aut magnificentius dici de prærogatiua Rom. ecclesiæ & cathedræ, eiusq; præsidis principatu & authoritate?Apostolicã &summã,nõ nouitio suo cõmento,sed iuxta canonũ decreta,sedẽ,

& matrẽ eam appellant: Ab ea ſubleuari, & v-beribus eius nutriri cupiunt: Ipſam eſſe ſacrũ verticem & cardinem, in quo omnes vertantãtur, ſuſtentẽtur, ac releuẽtur: Ipſi à domino poteſtatẽ ligãdi ac ſoluẽdi ſpeciali priuilegio ſuper alios cõceſſum eſſe: Ipſam firmamentũ àDeo fixum & immobile percepiſſe profitentur: Canonibusq́; conſtitutum eſſe, vt abſque Rom. pontifice nihil de maioribus cauſis decernatur: Abſq; eius ſententia nec cõcilia celebrari, nec epiſcopos dãnari licere: Ei ſe eſſe commiſſos: Apoſtolicę ſedis eius poteſtatem eſſe, iniuſtè damnatos & excõmunicatos authoritate ſua reſtituere, & eis omnia ſua reddere, illosq́;, qui eos condemnarunt aut excõmunicarunt, apoſtolico punire priuilegio: Ipſum eſſe Petrum: Ipſi claues regni cælorum à Chriſto commiſſas eſſe, & ligãdi atq; ſoluẽdi poteſtatem: Ipſum eſſe profanarum hæreſeõ, & infeſtãtium omnium depoſitorem, principem, & doctorem, caputq́; omniũ orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei, patrem patrum, verticẽ præſulũ apoſtolicum, in ſummitatis arce à Deo conſtitutũ: omniumq́; eccleſiarum curã, & omne epiſcoporũ iudiciũ ei commiſſum eſſe. Cyrilli & Baſilij teſtimonia commemoraui paulò antè: Quę non tam ipſorum ſunt, quàm ſynodorum epiſcopaliũ, ipſis

ipsis authoribus iudicium de fide ac dogmatibus Rom. pontifici deferentium, eiusque opem itidem contra hæreticos implorantiũ. Ad eundem modum longè pòst Iustiniano imperante, cum Anthimus siue Anthemius Cõstantinopolitanus, & Seuerus Antiochenus patriarchæ, Eutychetis hæræsim resuscitassẽt, totũq; orientẽ turbassent, alij earundẽ orarum episcopi, qui rectam & antiquam fidem retinebant, Constantinopoli in synodo congregati, summo consensu Agapeti papæ opẽ implorarunt, successorẽ Petri, & legitimũ iudicem suum & aduersariorũ suorum eum agnoscentes, & patrem patrum appellantes. Eorumq; precibus papa ille seuerũ velut hæreticum anathemate perculit, Anthimum verò deposuit, licet tueretur eũ Iustinianus Imper. cum Theodora Augusta. Iã Asiatici quoq; episcopi, cùm ab Arianis premerẽtur, quãuis & ipsi nõ haberẽt syncerã fidẽ, habitis Lampsaci, Smyrnæ, & alijs in locis synodis ad Liberium Rom. pontificem tanquam præsidẽ ecclesiæ legationem miserunt, communionẽ eius expetentes, & iudicio delegatorum eius staturos se esse profitentes, si quod crimen à quoquam sibi intenderetur. Et in hanc quidem sententiam Socrates. Sozomenus autem eadem de re succinctius scribens, ita clau-

Concil. tom. 1. Cõstant. Synod 5. Oecumen. Niceph. lib. 17. hist. eccles. Orient. cãpisc. Socr. hist. eccl. lib. 4. ca. 11. 12. 13 Sozom lib. 6. cap. 22.

cla uditnarrationẽ. Cùm aũt mota iterũ esset hæc quæstio, & contentiones, sicuti credibile est, quotidiè magis ac magis inualescerẽt, cognita hac contentione, Rom. episcopus Orientalibus ecclesijs scripsit, vt cum Occidentalibus sacerdotibus Triadem coëssentialem, & eiusdem glorię venerarentur. Quo facto, tanquam semel accepta à Rom. ecclesia causę huius determinatione singuli conquieuerunt. Vides sensum Orientalium episcoporum de authoritate Rom. pontificis, non verbis, sed re ipsa & obedientia expressum. Sed ne dicas episcopos illos, vi & iniuria adactos, Pontifici potestatem summam & eminentiam attribuisse, ostendam, vbi nulla necessitate adacti eam volentes nolentes agnouerũt. Tẽpore Constantij imperatoris hæretici cõ-

Antioch. conciliabulum hæret. uenerant Antiochiam ad concilium, seu potius conciliabulum nonaginta septem epi-

Socr. hist. eccl. lib. 1. Sozom. li. 2 Niceph. li. 9. scopi hæretici, sicut etiã prius memoraui, depositisq; Athanasio Alexãdrino, & Paulo Constantinopolitano patriarchis, & nonnullis aliis episcopis propter enormia, sicut videri volebãt, scelera, alios ipsis surrogarunt. Sed restituit pulsos Iulius Rom. pontifex, suntq; ij recepti à populis, amotis illis, quos synodus ijs surrogauerat. Hæretici verò illi, quibus etiam diem dixerat Iulius, Antiochiæ denuò con-

congregati, scripserunt ad eum, à quo de dogmatibus religionis dissentiebant, petentes ab eo suam illam actionem depositionis illorũ episcoporum, & surrogationis aliorum confirmari. Quod ni faceret ille, minabantur se ei dicto audientes non fore. Endum petunt ab eo confirmationem, minãturq; defectionem (vt solent facere seditiosi & contumaces subditi) ni postulatis eorum assentiatur, vel inuiti cõfitẽtur potestatẽ eius, qua ille, vt qui haberet claues regni cœlorum, & potestatem ligãdi atq; soluendi in terris, illud, quicquid actum erat ab illis, stabilire posset, vel abrogare. Quemadmodum sanè abrogauit cedente authoritati eius Oriente. Vndenam autẽ quæso est tanta hæc obedientia Græcorum, hominum superborum, ac cæteras nationes præ se contemnentium, vt vni tam longè à se disito episcopo parêrent potius, quàm tantę turbæ vicinorum, & quidem Imperatoris ac totius aulæ eius fauore nitentiũ? Vndenam censes, nisi quòd agnoscebãt succesſorẽ Petri, vicariũ Christi, & caput atq; pastorẽ vniuersæ ecclesiæ eius: nec eò vesaniæ prouecti erant, quo nunc isti noui euangelici, quos nihil neq; pudet, neq; piget, prouecti sunt. Possem plura citare synodorum prouincialium testimonia, ad eandẽ rem faciẽtia: Sed ne sim

prolixior veniamus ad Oecumenicas siue vniuersales, primas præsertim, quibus doctores sancti parē ferè cū euangelijs authoritatē tribuunt. Nicænæ quidē, quæ prima omnium fuit, canō est ille. Ne præter sententiā Rom. episcopi instituerentur Concilia, neque episcopi damnarentur: Negat synodus quædam Carthaginensis cum Aurelio archiepiscopo: & à Roman. pontificibus eum canonem suppositum esse videri vult, non extantem apud Græcos. Atq; hoc mirificè exaggerant pseudeuangelici isti cùm alij, tum Mathias Illyricus: Quod tu quoque paulò antè attigisti. At affirmat recenti etiamtum memoria Iulius primus cum synodo Roman. & Leo primus papæ: Hic ad Theodosium Imperatorē, ille ad Orientis episcopos scribens. Quin iam inde ab initio exorientis Christianismi ex apostolorum instituto moribus id receptum erat, vt de episcoporum iudicijs & maioribus causis ad sedē Petri referretur, quēadmodum prius ostendi. Sed propter hæreticorum peruicaciam idem denuò tunc sanciendum fuit. Quod Sardicensis quoque synodus, paulò pòst Nicænam celebrata, fecit. Et ita quidem fecit, vt non rem nouam statuere, sed id, quod erat vsitatū & legitimū, obiter attingere videatur. Non extare autem

Nicænum concilium.

Illyr. in hist. certans inter Rom. pōt. & Carth. syn.

Iul. ad Orient. episc.

Leo ep. 25.

Sard. syn. cap. 4. et 5

tem eum canonem inter canones Nicæni cõcilij apud Græcos, vel etiam Latinos mirum non est, quando & alij nonnulli, à SS. patribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino citati, desiderantur. Neque extat in ijs quicquam de damnatione Ariani dogmatis, aut de die paschæ: Quibus de rebus potissimum Concilium illud coactum fuit. Athanasius certè, qui ei interfuit, queritur vnà cum Alexandrina synodo, canones Concilij illius ab Arianis corruptos & suppressos esse. Verùm contentiosè tunc ab Africanis episcopis aduersus Roman. pontifices actum est. Nec tamen contenderunt ij (quod nunc Magdeburgens. centuriatores perquàm impudenter faciunt) & plurimũ ponderis causæ ipsorum allaturũ erat: Obstitisse primatui Rom. pontificum authoritatem illius Concilij, & coëquasse eos alijs Metropolitanis. Correxit autem posteà schisma illud Africanum Eulalius eiusdem Carthag. episcopus, vt mox ostẽdam. Sed nos ad vniuersalia Concilia reuertamur. Secundum fuit Constantinopolitanum: Tertium verò Ephesinum. In eo vtroq;, cũ nihil tũc dubitationis aut controuersiæ de potestate Rom. pontificis existeret, vt quæ dudum in Nicæna, imò & Sardicensi synodo stabilita essent, decretum quidem

Athan. ad Fel. papam

Cent. 4. cap. 7. de primatu.

nullum extat de ea: Sed non desunt tamen quædam eius argumenta. In Ephesino quidem, vbi 200. episcopi cum Cyrillo Alexandrino patriarcha vices gerente Romani pontificis, & eius nomine præsidente, Nestorium patriarcham Constantinopolitanũ admonuerunt, vt à sententia sua peruersa & hæretica discederet. Quod nisi facerent intra tempus à Cœlestino papa præstitutũ, pro damnato & reiecto se eum esse habituros. Atq; ita fecerunt, necessitate, quemadmodũ ipsi profitentur, à canonibus & epistola Romani episcopi sibi imposita, sicut ab Euagrio & Nicephoro memoriæ proditũ est. In Constantinopolitano verò, quãdo episcopi illi 150. Apollinarẽ Laodicenũ, ac Timotheum Alexãdrinũ episcopos hæreticos dãnarunt, cũ Damaso papa, sicut ipsi scribunt, consentientes. Porrò Chalcedonense 630. episcoporũ concilio longè apertius summã in ecclesia Christi potestatem & authoritatem Romani pontificis agnouit. Primũ, q̃ ei qui præfuere vicarij Rom. põtificis, actis eius his verbis nemine reclamante subscripserũt: Vice beatissimi & apostolici viri vniuersalis ecclesiæ papæ: Deinde quòd id præeunte eiusdem pontificis per eos ipsos vicarios suos authoritate, Dioscorũ Alexandrinum patriarcham dam-

Ephes. concil. epistola ad Nestor.

Euag. lib. 1 ca. 4. hist. eccl.

Niceph. li. 14. cap. 34 hist. eccles. Const. concilium primum.

Theod. li. 5 cap. 8. eccles. hist. Chalcedonens. conc. act. 3.

na-

nauit, data venia cæteris, qui in Ephesina secunda synodo ipsi assensi erãt, eò quòd sanctissimo archiepiscopo Leoni, & sancto illi ac vniuersali Concilio obedientes permansissent. Quę vt planius intelligas, paucis rẽ gestam exponam. Theodosius Imperator paulò antè, hoc ipso Leone papa cõsentiente, secundum in vrbe Epheso concilium congregarat, vt imperio ac prouincijs suis de fide dissidentibus, quietem & concordiam restitueret. Ibi Dioscorus cùm alios patriarchas & episcopos seduxisset, frustra renitentibus vicarijs Leonis papæ, per vim perfecit, vt Eutyches Abbas, qui iam à Flauiano episcopo suo, & ab ipso Leone pro hęretico damnatus erat, absolueretur & reciperetur. Sed agnouerunt postea cæteri episcopi errorem: Dioscorus autem in pertinacia sua perseuerauit. Quamobrem à Leone excommunicatus est: Imperatores autẽ Valentinianus, & Martianus, vt perturbatum hęresi Imperij sui statum componerent, assentiente pontifice Nicæę iterum Concilium instituerunt, & mox, quò rectius ac tranquillius id perageretur, Chalcedonem, quæ vrbs ipsis Constantinopoli habitantibus vicina erat, transtulerunt. Ibi iudicatur Dioscorus damnatus est. Reddẽtes autem patres illi rationem damnationis eius, inter

Chalc. Concil. Leoni Pap. act. 3.

inter cætera de se ad Leonem papam ita scribunt: Quibus tu quidem, sicut membris caput præeras. Et aliquanto pòst: Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoq; apostolicã sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus ecclesiæ vnire festinas. Vide quid nam præclarus ille & amplissimus episcoporum cœtus Romano pontifici tribuat, nempe quòd sit caput Concilij illius, & custos vineæ domini, hoc est, ecclesiæ, non à quopiam alio, sed ab ipso saluatore præfectus & institutus, & quòd vniat corpus ecclesiæ: Qua de re nos tam diu loquimur. Ibidemq; vocis Petri (quem alibi petram & fundamentum Catholicæ ecclesiæ, rectæq; fidei vocat) interpretem, hoc est, in cathedra ac doctrina successorem eum appellat. Nec satis hoc fuit. Quin & acta sua, quæ se ad interemptionem totius confusionis, & cõfirmationẽ ecclesiasticæ ordinationis definisse scribit illud ipsum Cõciliũ, eiusdẽ Leonis papæ decretis & authoritate cõfirmari petit, modestissimè excusans, & renitẽtibus legatis, & vicarijs eius, primũ post Romanum Constantinopolitanę ecclesię locũ attribuisset. Illos autem propterea restitisse videri,

, quòd

quòd vellent id quoq; bonũ ab eius prouidentia inchoari, & sicut fidei, sic bonæ ordinationis effectus ipsi deputari. Quid expectas apertius ac disertius? Quòd si nulla alia testimonia ac documenta haberemus, meritò certè in confessione tam multorum totius Christiani orbis episcoporum in spiritu sancto congregatorũ, & vniuersam ecclesiam representantium nos par esset acquiescere. Idem autem ex alijs quoq; Oecumenicis Concilijs demonstrari posset. Sed ne sim longior, Florentinò contẽti erimus: Cui Ioannes Palæologus Imperator, & Ioseph patriarcha Constantinopolitani, Isidorus Kioniensis metropolites, quemadmodum prius dixi, & nonnulli alij Græci episcopi vnà cum latinis ante centum quinquaginta annos interfuerunt. Id verò non iam obiter significat, sed ex professo decernit, quid cunctos Christianos de Romani pontificis eminentia, potestate & authoritate sentire oporteat. Id autem decretum recitatum à me superius, non est operæ precium nunc repetere. Vide autem, quomodo concludat decretum suum synodus illa, ne putes nouum id esse, ac illius tẽporis. Quemadmodũ, inquit, etiam in gestis Oecumenicorũ Conciliorũ, & in sacris canonibus continetur. Hanc autem desi-

Florent. Concilij decretum de potestate & eminentia Rom. pontif.

nitionem

nitionem atq; profeſsionem Armeni quoq; itidem acceptarunt. Satis´ne euidenter iam tibi demõſtraſſe videor ſummam in vniuerſa Chriſti eccleſia Romani pontificis, ſucceſſoris Petri, & Chriſti vicarij poteſtatem & authoritatem? An vis addam & ipſam rei euidẽtiã: nẽpe quòd ea poteſtate iure ſuo vſi ſunt omniũ temporũ põtifices, partim reuerenter obſecundantibus, aut expetentibus etiam, partim autem fruſtra renitentibus epiſcopis, patriarchis, regibus, Imperatoribus, & populis? Tametſi nonnulla ad id facientia exẽpla ſparſim & aliud agendo ſuperius iam à me commemorata ſunt. AVL. Mihi quidem iam ſatisfactum eſt abs te. Sed aueo tamen audire, etiam re ipſa & vſu perpetuo, & quaſi cõſona clariſsimaq; voce & confeſsione vniuerſæ eccleſię refelli pſeudeuangelicorũ iſtorum ſycophanticam contentionem, & quaſi Gigantomachiã. M O. Age. Atq; vt omittã vetuſtiora, quæ tamen nec ipſa obſcura ſunt poteſtatis pontificię argumẽta: Intra 200. annũ poſt Chriſtum natum, cùm adhuc ethnici & impij Imperatores pręeſſent Romano Imperio, extiterat inter Chriſtianos cõtronerſia de die feſto paſchę, quẽadmodũ nuper etiã cõmemoraui, quòd Aſiatici in plenilunio mẽſis Aprilis, quacunq; die id incidiſſet, cum

Pontificiæ poteſtatis exempla.

De feſto Paſchæ cõtrouerſia ac definitio.

Iudæis

Iudæis pariter eum diem celebrabant, asserentes ita hoc sibi à Ioanne euangelista, & alijs quibusdam apostolis traditum esse, itaq; etiam ab ipso Christo seruatum & celebratum fuisse. Quibus argumentis nihil motus Pius papa, dimissa quoquo versus decretali epistola, apostolica authoritate præcepit, vt nō nisi dominico die sequenti plenilunium illud, ab omnib. pascha celebraretur, quemadmodum ipse & ecclesia Rom. quæ omnium ecclesiarū mater à Christo domino esset cōstituta, celebraret. Cum autem ei decreto non parêrent Asiatici, successor eius secundū Anicetum Victor scripsit ad vniuersos totius Christiani orbis episcopos, vt ad suæ quisq; prouinciæ Concilia conuenirent: Vniuersale enim Concilium congregari regnantibus inimicis religionis Christianæ nō poterat, & quid ipsis in cōmune de controuersia illa videretur, decernerent. Illi verò congregati, alij quidem in Gallijs, alij in Græcia, in Ponto alij, alij in Palestina, magno consensu Victoris Papæ sententiam secuti sunt. Soli Asiatici, authore Polycrate Ephesino episcopo, in sua sententia perstiterunt. Quamobrem Victor eos excōmunicauit, & à societate ecclesiæ sanctæ segregauit. Atq; hoc decretum eius receperunt & approbarunt Christiani populi:

puli: & Asiaticos illos contumaces, τεσσαρεσκαιδεκατίτας, siue quartodecumanos appellarunt. Durauitq; schisma illud amplius centum annos vsq; ad Nicænum vniuersale Concilium. Vbi Asiatici de sententia & contumacia sua decesserunt. Hæc ita acta esse, testes sunt epistolæ Victoris Papæ, Irenæi Lugdunensis, & Polycratis Ephesini episcoporum, quas inter se missitarunt. Itemq; Eusebius Cæsariensis, & Socrates in historijs suis ecclesiasticis. Vides quemadmodum cùm episcopi, tum populi Christiani vniuersi summam Romani pontificis potestatem agnoscebãt, & quidem illis temporibus, quibus pontifices nullum adhuc dominatũ, nullas opes aut potentiam, ac nihil deniq; liberi sub impiorum tyrannide habebant. Et hic mirifici sunt in exaggeranda Victoris huius, & aliorum pontificum contentione & impotentia isti euangelici cùm alij, tum corruptores historiæ ecclesiasticæ. Quasi tyrannicè agat magistratus, si id agat, vt omnia decenter & ordine fiant in repub. nec sint in ea schismata. Tametsi ipsimet non raro ad sceptrum magistratus confugiunt. Scilicet vi & armis hoc illi pontifices perfecerunt, ac non authoritate diuinitus firmata, cui volentes nolentes cesserunt ad extremũ

Conc. to. 1.

Euseb. libr. 5. cap. 23. & sequ.

Socrat. lib. 5.

tumidi,

tumidi, potentes, & peruicaces aduersarij. De Antiocheno Arianorum episcoporũ cõciliabulo & restitutione Athanasij, & Pauli, & aliorum aliquot episcoporum, dixi superius, quomodo enituerit in eo Iulij Romani pontificis authoritas, Orientalibus populis eam acceptantibus, hæreticis verò nonaginta septem episcopis cum Imperatore Constantio frustra obsistentibus. Idq́; intra trecẽtos quinquaginta à Christo annos. De alio quoque eorundẽ Orientaliũ dissidio, de processione videlicet Spiritus sancti, authoritate Liberij papæ sedato, memoraui. Dixi etiam de Seueri Antiocheni patriarchę dãnatione, & Anthemij siue Anthimi Constãtinopolitani depositione. De qua illud adhuc addam: quòd cum apprimè fauerent ac studerẽt Anthemio Iustinianus Augustus cum Theodora vxore, & omnem mouerent lapidem, vt is sedem Constantinopolitanam, quam vsurparat, retineret, neq; precibus aut blanditijs, neq; minis ab Agapeto papa, cum is Constantinopolim venisset, & honorificentissimè ab ijs acciperetur, obtinere potuerunt, vt eũ restitueret. Imò necesse habuit Imperator ipse eum eijcere, excutioni mandans decretum pontificium, ac non disceptans de eius iudicio & decreto, vt nunc insani homines fieri oportere

Antiochenũ Conciliabulum.
Niceph. libr. 9. ca. 5. & 8. hist. eccl.
Iulius papa
Liberius papa.
Agapetus papa.
Niceph. li. 17. ca. 9.

portere contendũt. Ac ne Syluerius quidem aut Vigilius Agapeti ſucceſſores impetrari aut extorqueri à ſe reſtitutionem eius paſsi ſunt. Nec ſanè auſus eſt Iuſtinianus inuiſum Auguſtæ Menam Anthemij ſucceſsorem amouere, & Anthemium reducere, quamuis Vigilium deſiderio ſuo reſiſtentem relegaſſet. Hæc autem acta ſunt amplius quingentis poſt Chriſtum natum annis. Innocentius verò poſt quadringenteſimum à Chriſto annũ damnationem Ioannis Chryſoſtomi à ſynodo multorum epiſcoporum factam retractauit: Arcadium Imperatorem cum Eudoxia vxore & Theophilum Alexandrinũ patriarcham authores eius damnãtionis eccleſiaſtica communione eiecit: Alexandrum Antiochenum, Arſacium, & Atticum Ioanni ſuffectos, & cæteros epiſcopos excommunicauit, & poſt mortem Ioannis ad ſatisfactionẽ authoritate ſua compulit, perfecitq;, vt Ioannis in exilio defuncti corpus ab Arcadij filio Thodoſio iuniore cũ ſumma veneratione in vrbem regiam reportaretur, & memoria eius ab ijſdem illis epiſcopis dãnata, in ſacra dyptycha referretur. Quid illud? Cuius fuit authoritatis, quòd cũ quinquaginta ferè annis poſt, Epheſina ſecũda ſynodus authore Dioſcoro patriarcha Alexãdrino, Eutychetis dogma im-

Syluerius papa Vigilius.

Innocentius papa. Concil. to. 1. Niceph. hiſt. eccl. lib. 13. cap. 34.

Leo papa. Concil. to. 1. Euag. hiſto. eccl. libr. 2. ca. 4. Niceph. hiſto. eccl. li. 14. & 15.

ma impium approbasset, Leo papa & Dioscorum, & Synodum damnauit, & episcopos excommunicauit, damnatos autem & pulsos ab ijs episcopos diuersum sentientes restituit? Eiusq; iudicium Chalcedonensis sexcentorum triginta episcoporum synodus sine controuersia secuta est. Idem Anatholiũ Constantinopolitanum patriarcham secundum inter patriarchas locum decreto illius ipsius synodi sibi vendicantem iudicio & authoritate sua ad pœnitendum & satisfaciendum adegit. Iam verò ante mille centos fermè annos Simplicius Timotheum, & Petrum successorem eius Alexandrinum patriarchas, Felix autem successor etiam Acacium Constantinopolitanum Petri illius fautorem, & legatos suos Messenum & Vitalem episcopos, quòd ab Acacio corrupti non pœnitenti ei sacris mysterijs communicassent, anathemate perculit: Gelasius verò Felicis successor etiam Petrũ Antiochenum patriarcham ijs adiecit, nec quicquam partim deprecantibus, partim aduersantibus Basilico, Zenone, & Anastasio Imperatoribus, & Oriente ferè toto illis fauente. Qua autem quæso vi, quaue fraude perfectum est, vt Zeno Imperator pro Acacio quasi pœnitente admissi Felicem interpellaret? aut

Simplicius Papa Concil. tom. 1. Nicepho r. hist. eccles. libr. 16. Felix papa Gelasius papa.

Acacius legatos eius corrumpendos potius, quàm vnà cum diris Felicis contemnendos sibi esse duceret? aut Anastasius Zenonis successor & Acacij itidem atq; ille fautor, de Gelasio quereretur, quòd se quoq; ab eo dānatum esse, licet falsò, accepisset? Quod factum negauit quidem Gelasius, sed magna tamē libertate rescripsit: sibi imputari non posse, si illi placeret, se miscere damnatis, & cū eis abscedere. Vides, vt tunc confessa fuerit etiam inuitis & contumacibus patriarchis & Imperatoribus authoritas pontificia. Cùm autem graue schisma inde exortum esset in ecclesia (vt & aliàs postea sæpenumero per Græcorum ambitionem & superbiam) Iustinus tandem Imperator successor Anastasij Hormisdam pontificem: Ioannes verò Constantinopolitanus patriarcha postea Bonifacium eius nominis secundum sibi suisque reconciliarunt, missa ad eos in scripto confessione, cuius partem recitaui priùs, qua principatum & summam in vniuersa ecclesia authoritatem Romani pontificis agnoscunt, & cùm omnes aliter sentientes, tum seipsos etiam anathemati subijciunt: si mutarent sententiam. Ad eundem autem modum & Eulalius Carthaginensis, cum multis alijs Africanis episcopis post diuturnum schisma eiden

Iustini Imperatoris & Ioannis patr. reconciliatio.

Hormisda papa Bonifacius.

Africanorum reconciliatio.

eidem Romano pontifici reconciliatus est. Atque hæc omnia non ante quadringentos vel quingentos, sed ante mille annos, vt vides, acta sunt. Possem plura proferre, vbi clarissimè & efficacissimè sese exeruit summa hæc Romanorum pontificum in episcopos, patriarchas, reges, Imperatores, populos, & vniuersam Christi ecclesiam potestas & authoritas. Sed hæc sufficerint ad probandam rei euidentiam. Persecuti sunt ea perquàm diligenter viri imprimis docti nostra memoria, ac de ecclesia bene meriti Ioānes Eckius, & Albertus Pighius. Habes igitur luculenta non modò doctorum, & episcoporum sanctorum singulorum testimonia, ipsorumque adeò aduersariorum veritatis vi expressas confessiones, verumetiam sanctiones imperatorum, ac decreta & professiones conciliorum tam prouincialium, latinorum iuxtà ac græcorum sub omnibus patriarchis celebratorum, quàm Oecumenicorum, non modò non repugnantes, verùm consentaneas prorsus institutis atque doctrinæ apostolicæ & euangelicæ. Habes ad extremum & antiquissimũ ac perpetuũ ecclesiæ Christi morẽ, &, vt ita dicam, praxin euidentiss. Petrum & cathedram eius, hoc est, sedem Romanam principatum tenere in ecclesia: Et pontificẽ

Io. Eckius. Albert. Pighius. Epilogus de potestate papæ

in ea præsidentem, esse successorẽ Petri, vicarium Christi, pastorem & caput vniuersæ ecclesiæ, habereq́; summã potestatẽ & authoritatem, non nuper, neq; humanis legibus aut fauoribus attributã, aut per vim fraudeḿue vsurpatam, quemadmodum pseudeuangelici isti vel imperiti, vel sycophantæ garriunt, sed ab apostolis, & ipso Christo domino traditam & relictam: Eaq; ipsos legitima & continuata successione sibi inuicem succedentes, omnibus seculis iam inde ab apostolorum temporibus vsos esse. Quæ si minus ampla fuit initio nascentis Christianismi, ideo factum est, quòd vel non potuit ea sese exerere impijs & infestis Christianæ religioni tyrannis summam rerum tenentibus, vel necesse non habuit, cùm omnes priuati iuxtà ac magistratus ecclesiastici vltrò solicitè seruarent vnitatem spiritus in vinculo pacis, officium suum quisque facientes. Postea verò cùm cresceret hominum licẽtia, & schismata nascerentur, cœpit ea sese proferre latius, pijs quidem & orthodoxis principibus, imperatoribus, episcopis, & patriarchis cæteris non modò non renitentibus: sed reuerenter parentibus & prouehentibus, præfractis verò, schismaticis, & hæreticis, hoc est, portis inferorum, frustrà renitẽtibus, & quasi ca-

Ephes. 4. Phil. 3.

si capitibus suis aheneũ murum perrumpere conantibus. AVL. Quid verò complectitur,& quousque protenditur summa ista potestas & authoritas pontificia? MON Ad Paulum recurre,vnde hic nobis de apostolica ministeriorum ecclesiasticorum institutione,ac de apostolica ecclesia sermo profluxit. Is tibi ostendet,quem finem ea spectare debeat: Nimirùm cõsummationem sanctorum,opus ministerij, ædificationem corporis Christi, itidem ac cætera omnia ecclesiæ ministeria, AVL. Nihil igitur eximium habet ea præ cæterorum episcoporum potestate, qui & ipsi eundem habent finem propositum. MON. Quod ad ordinem attinet,nihil sanè interest, sicut anteà quoq; dictum est: Triumphent hîc quantum lubet Centuriatores. In Iurisdictione verò Εἰς διάπασῶν, quod aiunt,præstat. Vt enim episcoporum iudiciaria soluendi & ligandi potestas supra presbyteros & reliquos inferiores ordines & ministros, plebemque eminet, ita pontificia supra episcopos,archiepiscopos,metropolitas,primates,& patriarchas. Itaq; rectè dicitur: Penes eum,Romanum inquam pontificem,esse plenitudinem potestatis,per eum vnum in multos redundantis, & per multos ad eum vnum confluentis. Cæteros verò episcopos in parte

Ephes. 4.

Cent. 4. cap.

Pontificiæ potestatis finis & eminentia.

solicitudinis eius vocatos esse, potestates eius pro sua quenque rata portione participes. Nec minus rectè cum antiquissimis synodorum, vel, si mauis, apostolorum sanctionibus statutum est, tum perpetuo ecclesię Christi vniuersæ vsu receptum, vt episcoporum iudicia, & ab eorum iudicijs prouocationes ad eum pertineant potissimum: Et ab eo synodorum authoritas, & grauissimarum quarũque ac difficilimarum ecclesiasticarum causarum definitio dependeat; Et omnino quicquid ad religionem, pietatem, decorem, ordinem, concordiam, & vnitatem totius ecclesiæ Christi cõseruandam & alendam, hæreses & impietatem extirpandam, dissidia tollenda, perturbationes sedandas, & inobedientiam coërcendam, siue, vt Paulino verbo vtar, vlciscendam, attinet: Vt ita ad cœlestem & immortalem vitam contendentes non simus paruuli fluctuantes, neque circumferamur omni vento doctrinæ, nec sint in nobis schismata: sed idipsum dicamus & sapiamus omnes, & in eadem permaneamus regula, & vnum corpus, vnusque spiritus permanentes, sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ, crescamus in Christo per omnia, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij dei, in virum perfectum, in men-

2. Cor. 10.
1. Cor. 1.
Phil. 3.
Ephes. 4.

mensuram ætatis plenitudinis Christi, atque ita omnes vnanimes vno ore glorificemus deum & patrem domini nostri Iesu Christi. Hę sunt igitur claues regni cælorum, quas Christus dominus Petro se daturum promisit, atq; adeò non ipsi modò, verumetiam successoribus eius (quales quales ij sunt) ad vtilitatem ecclesiæ suæ dedit. Hæc est illa eximia ligandi & soluendi potestas, tam certa promissione diuina firmata, vt quicquid ab ijs ligaretur aut solueretur in terris, ligatum aut solutum itidem esset in cœlis. Hoc pastorale regimen, cui subiectos esse oportet omnes, quicunque in vno ouili Christi, hoc est, in ecclesia cẽseri volunt. Denique hic est quasi Colophon descriptionis & hierarchiæ ecclesiasticæ, veram Christi ecclesiam à profanis hæreticorum schismaticorumq; prorsus omnium conuenticulis longè euidentius, quàm reliquæ omnes notæ, dirimens. Cuius possessionem certam ac perpetuam nos, qui à Græcis & Russis Latini, ab istis autem nouis euangelicis, & Picardis, Husitisq;, papistæ ob hoc ipsum, per contumeliã scilicet, vocitamur, iure optimo nobis vendicamus, cum sanctitatem, & vniuersitatẽ locorum iuxtà ac temporum & hominum, tum hierrarchiam apostolicam, & vnitatẽ sub

Ecclesia vbi sit.

vno pastore & moderatore, Christi vicario, cõtinuata iam inde à Petro apostolo, nec vnquam interrupta successione nobis præsidente, sartam tectam conseruantes. Quod cùm ita luce meridiana clariùs constiterit, consentaneum est, Græcos, Russos, Moschos, Hussitas, siue Calixtinos Boëmos, Interimistas, vt maximè cæterarum notarum ecclesiæ exortes non esse videantur, nec à nobis in institutis, ritibus, descriptioneque & politia apostolica alioqui dissentiant, tamen si segregantes semetipsos à nobis, hanc summam Petri cathedram, & in ea præsidentis ecclesiæ vniuersæ pontificis siue papæ authoritatem non agnoscunt, & omnino quicunque in rebus ad fidem & religionem, hierarchiamque ecclesiasticam pertinentibus quauis de causa superbè & contumaciter ei resistũt, ordinationi Dei resistere, & ipsos sibi damnationem acquirere, peruersosque & proprio iudicio condemnatos, ad ecclesiam Christi non pertinere. Multò minus autem ad eam pertinent Anabaptistæ, Dauidici, Libertini, Memnonij, Suencfeldiani, Antinomi, Osiandrini, Stancariani, Trideitæ, Seruetiani, Picardi, Zuingliani, Caluiniani, Lutherani, protestantes Augustanæ iuxtà ac Saxonicæ, & Virtembergicæ confessionis,

Schismatici & contemptores pontificiæ authoritatis extra ecclesiam sunt.

Rom. 13. Tit. 3.

nis, & quicunq; euangelici, quàm Christiani dici malunt. Qui ne sanctę quidem, neq; Catholicæ, neq; apostolicæ ecclesiæ notas vendicare sibi possunt: Nō modò enim per execrabile schisma ab vnitate corporis Christi, quæ sine vno summo pastore & rectore constare non potest, sese præcidunt, & inconsutilem Christi tunicam scindunt, sed omnem prorsus apostolicam hierarchiam & ordinē euertunt, doctrinamque sanctam & Catholicam per tot secula in Ecclesia Christi per vniuersum orbē terrarum diffusa, iam inde ab initio ad nostra vsq; tempora conseruatam, profanis & impijs nouitatibus commutant & peruertunt, nec permanēt nobiscum, è quibus prodierunt. Quod ipsi sanè non diffitentur. AVL. Sic est: Sed iustis de causis à nobis se discessisse asseuerāt. MON. Quasi verò iusta aliqua causa schismatis & separationis ab ecclesia cuiquam esse possit. Præcidēdæ, inquit Augustinus, vnitatis nulla est iusta necessitas. Quin tu mihi attende, quid ipse ea de re scribat separationis author Lutherus, Cui istos, velut Prophetæ & euangelistæ suo, non credere fas non est. Hæc igitur sunt eius verba: Iniquè faciunt Boēmi, quòd se authoritate propria separant à nostra vnitate, etiamsi Ius diuinum pro illis staret, cùm

Schismatis nulla est iusta causa. Augustin. con. ept. Parm. libr. 2. ca. 11. Luther. in disp. Lipsi.

supremum ius diuinum sit, charitas, & vnitas spiritus. Vides, quòd ne diuinum quidē ius excipiat. Et vt intelligas, de qua vnitate hęc ille scribat, sic ipse explicat alibi. Consequens est, q̄ Boëmorū dissidiū à Rom. ecclesia nulla possit excusatione defendi, quin sit impiū, & Christi omnibus legibus contrariū. Quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, perstat: Nec diuersum est, quod scribit idē in declaratione quorundā articulorū, sicut recitaui nudiustertius. Vbi nullam tam grandem causam esse, aut esse posse affirmat, vt ab ecclesia Romana separatio aut discessio vlla fieri debeat. Rectè sanè. Si enim verum est, ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, & corpus Christi, à veritate, & à Christo, atque ita à salute & vita, vtait Cyprianus, sese segregat, quisquis ab ecclesia (cuius ille saluator est) sese quouis prætextu segregat. Quod nam autem crimē maius magisq; horrēdum apud veros ueri Dei cultores esse potest, quàm idololatria? Audi verò quid de eo scribat idē S. martyr: Nec sibi in hoc noui hæretici blandiantur, quòd se dicant idololatris non cōmunicare, cùm sint apud illos & adulteri, & fraudatores, qui teneātur idololatriæ crimine, secundū apostolum dicentem: Hoc enim scitote intelligentes,

Luth. in declar. quorū dam articulorum.

Cypr. de mut. eccl. e Ephes. 5. Ne propter idololatriam quidem secedēdum ab Ecclesia. Cyp. lib. 4. epist. 2. Ephes. 5.

tes, quia omnis fornicator aut immundus, aut fraudator, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Et iterum: Mortificate membra vestra, quæ in terra sunt, deponentes fornicationem, immunditiam & concupiscentiam malam, & cupiditatem, quæ sunt idolorum seruitus: propter quæ venit ira Dei. Nã cùm corpora nostra membra sint Christi, & singuli simus tẽplum Dei, quisquis adulterio templum Dei violat, Deum violat, & qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmonijs & idolis seruit. Neque enim mala facta de sancto Spiritu veniunt, sed de aduersarij instinctu, & de immundo Spiritu natæ concupiscentiæ contra Deum facere, & Diabolo seruire compellunt. Ita fit, vt si peccato alterius inquinari alterum dicunt, & idololatriam delinquentis ad non delinquentem transire sua asseueratione contendunt, excusari secundum suam vocem non possint ab idololatriæ crimine, cùm constet de apostolica probatione mœchos & fraudatores, quibus illi cõmunicant, idololatras esse. Hæc Cyprianus. Cypriani verò æqualis Dionysius Alexãdrinus episcopus ad Nouatũ, qui & ipse se contaminationem idololatriæ metuentem secessisse causificabatur, ita scribit, quemadmodum

Coloss. 3.

Mala à diabolo.

Euseb. hist. eccl. lib. 6. cap. 45. modum memorat Eusebius Cæsarienſis. Si nolens, vt ais, abductus es, declarabis id, ſi volens redieris. Oportebat quidem certè te quiduis pati potius, quàm ſcindere eccleſiam Dei. Nec erat futurum magis inglorium martyrium, vt equidem arbitror, non ſcindendi, quàm idololatriæ vitandæ cauſa ſuſceptum: imò maius etiam. Ibi enim quis pro vna ſola anima ſua teſtimonium reddit, hîc pro vniuerſa eccleſia. Hæc ille. Ecquod autem iſti proferunt nobis exemplum Prophetarum, quod ij ſegregarint ſe à communione eccleſiæ populi Iſraëlitici, qui tunc erat populus & eccleſia Dei, quamuis eſſet vnà cum ſacerdotibus & regibus ſuis cùm omni genere ſcelerum & nequitiæ, tum idolatria inquinatiſsimus? Hieremiæ quidem, ſeu verius Dei per eum loquentis ſunt verba illa: Contaminaſtis terram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt: Vbi eſt dominus? Et tenentes legem neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me, & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & Idola ſecuti ſunt. An autem non perſecuti ſunt ipſum Hieremiam ſacerdotes cum populo, & percuſſerunt, & in neruum atque carcerē coniecerunt, & combuſſerunt volumen ab

Prophetæ non ſeceſſerunt à populo idololatra.

Hierem. 2.

Idem cap. 20. 26. 36. 37. & 38.

eo

eo dictatũ? An non intentarunt ei mortis iudicium? Et tamen non fecesſit ab eis, neq; abrogauit eis ſacerdotium: ſed verſabatur cum eis in atrio ac domo Domini, rogatusque conſuluit, & orauit pro eis dominum. Quid acer ille dei Zelotes Elias? An non his verbis reſpondet domino? Dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. Et tamen non ſegregauit ſe ab eis. Quin obtulit etiam inter eos holocauſtum. Proinde ipſe quoque Lutherus: Alioqui, inquit, cur non Moyſes quoq; reliquit duræ ceruicis populum? Cur non Elizeus & prophetę reges idololatras? Caluinus autẽ: Horrẽdæ ſunt iſtę deſcriptiones, quibus Eſaias, Hieremias, vel Abacuc, & alij eccleſiæ Ieroſolymitanæ morbos deplorãt. In plebe, in magiſtratu, in ſacerdotibus omnia vſq; adeò corrupta erant, vt clamet Eſaias: A vertice capitis vſque ad calcem pedis nihil eſt illic ſanum. Religio partim contempta, partim contaminata. In moribus paſsim referebantur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & ſimilia ſcelera. Neq; tamen propterea aut nouas ſibi eccleſias erigebant, aut noua altaria extruebant Prophetæ,

Idẽ 19. 21. 35. 42.

3. Reg. 19.

3. Reg. 18.

Luther. in diſpu. Lipſ.

Caluin. in ſymbolum ſerm. 2.

tæ, in quibus separata sacrificia haberent: sed qualescunque essent homines, qui tamen reputabant dominum apud eos verbum suum deposuisse, & cæremonias instituisse, quibus illic colebatur, in medio impiorum cœtu puras manus ad eum extendebant. Certè si putassent aliquid inde se contagionis contrahere, centies potius mortui fuissent, quàm passi fuissent illuc se pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quo minus discessionem facerent, quàm seruandæ vnitatis studium. Quod si religio sanctis Prophetis fuit, ob plurima & maxima scelera non vnius aut alterius hominis, sed propemodum totius populi se ab ecclesia alienare, nimium nobis arrogamus, si protinus audemus ab ecclesiæ cõmunione deficere, vbi nõ omniũ mores vel nostro iudicio, vel Christianæ etiam professioni satisfaciũt. Iã Christi & apostolorum sæculum quale fuit? Neq; tamen impedire potuit desperata illa pharisæorum impietas, & quæ tum passim regnabat dissoluta viuendi licentia, quin ijsdẽ sacris cũ populo vterentur, & in vnũ cum reliquis templũ ad publica religionis exercitia conuenirent. Vnde id? nisi quia sciebãt malorum societate minimè pollui, qui pura cõscientia ijsdem sacris cõmunicarẽt. Si quem parum

parum mouent prophetæ & Apostoli, ille saltem Christi authoritati acquiescat. Hæc illi, proprio iudicio se ipsos suosq; condemnantes. Verùm negãt isti rursus (vt sunt anguillarum in modum lubrici) secedere se ab ecclesia, sed à pontificibus & episcopis. At iam constitit, sine his nullã esse ecclesiam. Quid autem ad hæc Cyprianus? Negat aliunde hæreses obortas esse, aut nata schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia Dei ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquàm moueret. Et alibi: Vnde enim schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, nisi dum episcopus, qui vnus est, & ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos & sacerdotes vocare? ac nisi apud te purgati fuerimus, & sententia tua absoluti, etiam sex annis, nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec ecclesia gubernatorem,

Pseudeuangelicorũ excusatio friuola.

Cyp. lib. 1. epist. 3.

A sacerdotibus secedens ab ecclesia secedit.

torem, nec Christus antistitem, nec Deus sacerdotem? Quàm verè autem nos ijsdem verbis aduersus istos pseudeuangelicos, quibus ille sanctus martyr aduersus Pupianum, vti posſumus? Et aliquanto pòst ait idem: Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam, & pastori suo gregem adhærentem. Vnde, inquit, scire debes, episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo: Et, si qui cum episcopo non sint, in ecclesia non esse: & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latẽter apud quosdam communicare se credunt, cum ecclesia, quæ Catholica vna est, scissa non sit, neq; diuisa, sed sit vtiq; connexa, & coherentium sibi inuicẽ sacerdotũ glutino copulata. Alibi verò: An esse sibi cũ Christo videtur, qui aduersus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri eius vel plebis societate secernit? Arma ille contra ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris, aduersus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, cõtemptis episcopis, & Dei sacerdotibus derelictis cõstituere audet aliud altare, precẽ alterã illicitis vocibus facere, dominicæ hostiæ veritatẽ per falsa sacrificia pfanare, nec scire,

Idem de simp. Præl. uel de unit. eccl.

quoniam

quoniam, qui contra ordinationem dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic Chore, & Datan, & Abiron, qui sibi cõtra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificantes licentiam vendicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus penderunt. Terra compagibus ruptis in profundum suum patuit, stantes atque viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantum eos, qui authores fuerant, Dei indignantis ira percussit, sed & cæteros ducentos quinquaginta participes eiusdem furoris & comites, qui coagulati cum ijsdem simul ad audaciam fuerant, exiens à domino ignis properata vltione consumpsit, admonens scilicet & ostendens, contra Deum fieri, quicquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati.

Idem de zelo et liuore

Iam in sermon. de zelo & liuore: Hinc, ait, dominicæ vinculum pacis rumpitur, ad hæreses atque schismata prosilitur, dùm obtrectatur sacerdotibus, dùm episcopis inuidetur, dùm quis aut queritur, non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hæc Cyprianus. Ecclesiam igitur & isti Christumque deserunt, dùm se à pontificibus & episcopis ecclesiæ moderatoribus, Christique vicarijs & administris

Calu. inst. li. 4. cap. 12

segregant. Quod ne Caluiniani quidem diffiteri possunt, quandoquidem magister eorum asserit, seniorũ confessum esse iudicium ecclesiæ. Eodem enim loco ei sunt seniores, quo nobis episcopi & sacerdotes siue presbyteri ministri ecclesiæ. Nec est quod hîc nugetur Melanchton de vera & hypocritica ecclesia, non intelligens, neq; quæ loquitur, neq; de quibus affirmat. Vna est, & ea quidem vera Christi ecclesia, sicut audiuisti heri, columna & firmamentum veritatis, quæ malos & hypocritas, non solùm idiotas, verumetiam administros & moderatores bonis admixtos habet, habebitq; vsq; ad consumationẽ seculi. Quam qui non audierit, sicut ethnicus & publicanus nobis esse debet. Quomodo autem quisquam audiet spiritualem illum & inuisibilem nescio quem cœtum piorum, Platonicarũ Idearũ persimilẽ, qui passim in mundo dispersi sunt? Itaque conuenienter ipse sibi (vtinam & propheticis atq; apostolicis scripturis, quas nunquam non habet in ore) ecclesiam catholicam interpretatur, ita scribens, quod etiam prius attigi: Id est, Credo esse veram ALIQVAM ecclesiam, quæ sit congregatio sanctorum. Addam ego: & quidem de sententia eius, vt arbitror: Quænam autem & qualis ea sit, & an ego ad

Philip. in locis com. de ecclesia. Ecclesia Melancht.

1. Tim. 1.

Melancht. sententia de ecclesia.

ad eam pertineam, nihil mea refert. Hoc enim sibi vult verbum illud, ALIQVAM: quod de re incerta dicitur. Sed mittamus ineptias, quæ iam ferè à me refutatæ sunt, demonstrataque est euidentissimis notis vera Christi ecclesia, à qua pseudeuangelici isti superbè ac temerè segregant semetipsos, nullam habentes iustã, vel ipsiusmet Lutheri & Caluini sui iudicio, segregationis causam. Sed liceat eis quando libet ab ijs dissentire, qui à sanctissimorum ecclesię doctorũ consensu, & Concilijs Oecumenicis, quoties libet discedere sibi permittunt. Quid autem causificantur? AVL. Rectè huc deflectis. Est enim scire id operæ preciũ. MO. In apologia quidem Confessionis August. iniustã condemnationem Lutheri. Et mox: Quòd nos manifestam veritatem euangelij cõdemnamus. In ipsa autem confessione aiũt: Cùm episcopi aliquid contra euangelium docent aut statuunt, ecclesias habere mandatum dei, quod obedientiam prohibet. Porrò in Vormatiensi colloquio ante aliquot annos instituto, illorum esse culpam asserunt, qui veritati aduersantur, & errores vel serunt, vel cum crudelitate defendunt. Benè res habet, quod non etiam nequitiam prauosque mores ministrorum ecclesiæ prætendunt.

Pseudeuangelicorum secessionis causæ.

Apologia Cõf. Aug.

Cõf. Aug.

1557.

Quod faciebant Audiani & Donatistæ, & Apostolici hæretici, & faciunt etiamnunc Anabaptistæ, & Libertini: Picardi etiam. Respondet autem eis prò nobis S. Cyprianus his verbis: Quantus arrogantiæ tumor est, quãta humilitatis & lenitatis obliuio, arrogantiæ suæ quãta iactatio, vt quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec apostolis concessit dominus, vt zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palcam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas à tritico conetur separare? cumque apostolus dicat: In domo autem magna, non solùm vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia: aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea verò & fictilia contemnere & abijcere, cùm non die domini vasa lignea diuini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo, cui data est, virga ferrea, frangantur? Aut si se renis & cordis scrutatorem constituit & iudicem, per omnia æqualiter iudicet: Et cum sciat scriptum esse: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, fraudatores & mœchos à latere atque à comitatu suo separet. Sed de prauitate & nequitia ministrorum ecclesiæ satis. Concedunt enim isti ipsi nobis, hanc non satis esse iu-

Cyp. li. 4. ep. 2.

Propter malos non secedendũ ab ecclesia

stam

stam causam defectionis, quemadmodum ostendi in primo nostro Colloquio, dãnantque eo nomine Donatistas, & Picardos, ac Boëmos. Et ipsi autem Pseudeuangelici isti, & omnes hæretici, etiam Picardi & Anabaptistæ ferunt, tuleruntq; suarum factionũ ministros, quamuis vitiosos & improbos, nisi legitimè condemnati sint, & amoti à ministerio. Sed excutiamus eas, quæ ab istis prætexuntur, discessionis causas. Condemnatio Lutheri, etiamsi esset iniustissima, videtur´ne satis iusta esse causa decessionis? Ipsum adeò reum, magistrum suum, adhibeant in consilium. Quid igitur ille censet? Recitaui nuper eius verba ex Resolutione, & è serm. de excommunicatione, vbi ait, magnũ honorẽ habendũ esse magistratibus ecclesiasticis, etiãsi mali ac tyranni sint: nec esse nostrũ, iudicare voluntatem papæ, sed tantummodo ferre, etiamsi quando fuerit iniquissima. Proinde, ipso Luthero iudice, nõ satis iusta fuit causa separationis vel iniquissima ipsius condẽnatio. Quis aũt iudicauit, iniustã eã fuisse cõdemnationem? Nempe ipse reus cum suo Philippo, iuuenculo etiamtũ grammatista: aut si mauis tota schola Vittembergensis, quæ pẽdebat ex nutibus horũ duorũ. Adde etiam, si placet, Carolostadium, Muncerũ, & quosdã alios,

Confess. Aug. art 8

Lutheri cõdemnatio an iusta secessionis causa sit. Luther. in resolu. concil. 86. & in serm. de excom.

alios, qui Luthero aduersati sunt paulò pòst, & ab ipso vicissim condemnati. Religiosi iudices. Verum iudicauerit sanè vniuersa factio Smalcaldica. Quo autem iure aut more, quaue authoritate id ea fecit, aut facere potuit? Quis eam constituerat iudicē summi iudicis vniuersorū episcoporū & ministrorū ecclesiæ, & clauigeri regni cœlorū, cui eximia illa ligandi & soluendi potestas in terris à Christo data est, sicut paulò ante ostē sum est? Olim quidē, cùm id ausus esset patriarcha Alexandrinus Dioscorus nō solus, neq; cum turbulenta profanorum hominū bonis alienis & imperio inhiantium factione, neq; cum Alexandrina, vel schola, vel ciuitate, sed cū ducentis episcopis (ad quos vel ipsius Confessionis Augustanæ confessione iudicia ecclesiastica cognitioq; doctrinæ pertinebat) ex toto orbe terrarum Ephesi ad Concilium legitimè congregatis, sed non legitimè iudicantibus, à legitimo Chalcedonensi 630. episcoporum Concilio damnatus est, quemadmodum prius etiā dixi. Sed viderunt isti eximij non modò pontificis Max. sed vniuersæ Christi ecclesiæ, atq; adeò totius orbis terrarū iudices atq; censores, non multū moměti sibi positū esse in hac causa, condēnati videlicet Lutheri. Condēnarunt enim eū etiā Zuinglius,

glius, Oecolampadius, & omnino Tigurini, atq; Geneuenſes, ſuntq; viciſsim ab eo condemnati: nec tamen tam religioſe alteri ab alteris ſeſe ſegregant. Igitur in colloquio Vortienſi ad vnam illam cauſam, quaſi ad ſacram ancoram confugiunt, vt culpam in eos conferãt, qui veritati aduerſantur, & errores vel ſerunt, vel cum crudelitate defendunt. Habere enim ſe mandatũ Dei, quod obedientiã prohibet contra euangelium Dei docentibus & ſtatuentibus. Oportet enim, inquiũt, obedire Deo magis, quàm hominibus. Et: Si quis nobis euangelizauerit præter id, quod accepimus, licet ſit ipſe Paulus, vel angelus de cœlo, anathema ſit. Nũc demũ videntur aliquid dicere. Quod tamen Eſaias & Hieremias, ſicut audiuiſti dudũ, & alij prophetæ Hebraici, cũ verè cauſificari poſſent, non fecerunt. AV. At Elias interfecit etiã ſacerdotes Baal ſeducentes populũ. MO. Placet exemplũ. Vide autem quæſo, quàm ſimile id ſit. Sacerdotes Baal alieni à genere & religione Iſraëlitica, faciebãt ac docebant ea, quæ ex profeſſo pugnabãt cũ lege Dei. Alieníne aũt à religione Chriſtiana noſtri, quos iſti vnà cũ parẽtibus & maioribꝰ ſuis Papiſtas vocant per contumeliã, & veritati aduerſari aſſerunt? Nunquam hoc quiſpiã iſtorũ dicere auſus eſt, quamuis ſint impudẽtes.

Vormatiẽ. colloquiũ.

Doctrina an iuſta ſchiſmatis cauſa.

Act 5.

Gal. 1.

Eliæ exemplo abutuntur pſeudeuangelici.

tes. Imò pro Christianis nos habent, quando baptismũ apud nos & à nostris sacerdotibus susceptũ non reprobãt, nec iterant. Lutherus verò fatetur, omne bonum Christianum è papatu ad se suosque venisse, & esse sub papatu veram Christianitatem, imò verum nucleũ Christianitatis affirmat. Confessio item Augustana negat se quicquã docere aut proferre velle, quod discrepet ab ecclesia Rom. Profitentur ne autem ij, quos isti criminãtur, facere se quicquam & docere, quod pugnet cum lege & verbo Dei? Imò pernegãt, Quod contrà faciebãt sacerdotes illi Baalitici. Quid quòd Elias non statim trucidauit vel damnauit idololatras illos, sed eos prius euidenti miraculo in sacrificio refellit? Quid autem eiusmodi vsquam factum est ab istis veritatis, si Deo placet, euangelijq; vindicibus? Ac eam ob rem ij fortasis mitius agunt, quàm Elias. Satis habent homines mitissimi & euãgelici non obedire contra euangelium docẽtibus & statuentibus. Id verò ita esse, documẽto sunt spoliati & pulsi episcopi, execti & excarnificati multis in locis infandum in modum sacerdotes & Monachi: Et quod adhuc fit quibusdam in locis post impetratam magna cõtentione datãq; publicè in comitijs imperialibus pacẽ religioni, ita coarctatæ sæuis & immanibus edictis & custodijs monachæ,

Pseudeuangelicorum crudelitas.

vtneq; in suis sedibus Deum colere, & pia maiorum instituta seruare, neq; aliò migrare ipsis liceat. Rapinam enim bonorum & egestatem ferrent eæ tamen vtcunq; : Improbitatem verò salacis. & perditissimorũ conuitiatorum potius quàm cõcionatorum, cauponum, & lenonum, seducendi sui causa sibi appositorum, cum insigni impudentia, contumelijs, probrisq; coniunctam, morte ipsa ducunt acerbiorem. An non simile autem quiddam ante paucos annos alicubi apud nos in Polonia actum, aq; adeò aqua quoq; & igni Monachis interdictũ est, & quidẽ ab ijs, qui patrimonia sua episcopis & reditibus ecclesiæ nõ referre accepta nõ possunt? Et audent istæ generis humani delitiæ crudelitatẽ alijs obijcere? Quid simile vsquã apud nos, quorũ isti crudelitatẽ incusãt, designatũ est? imò quid simile vnquam fecit Iulianus Imperator apostata, nomini Christiano inimicissimus? Quid autẽ grauius illi legum humanarũ contemptores & importunissima monstra, Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Diocletianus fecêre, aut nunc deniq; impij Turcarum, Persarumq; tyranni faciunt? Itaq; non immerito queruntur Sacramentarij, iugum istorum protestantiũ longè grauius esse pontificiò, (quod tamẽ immanè quantum exag-

gerant) ita vt hoc ligneum, illud ferreum videri possit. Quàm lenes autẽ ipsi sint, in Serueto cõburẽdo, & in cadauere hominis mortui effodiendo, & excarnificãdo alicubi, & in peruastanda prius Anglia, nuper autem Gallia, Scotia, & inferiore Germania demõstrarunt. Sed, vt ad rem redeã: Quinam tandem sunt isti, qui veritati aduersantur, & errores vel serunt, vel cum crudelitate defẽdunt, atq; contra euangelium docent ac statuunt? Pontifex Rom. inquiunt, & episcopi, & Monachi. Credebam eos vnum atque alterum, aut paucos duntaxat de vulgò sacerdotũ vel monachorum editiros esse: Qui si negarẽt, eiusmodi se quicquam facere, erat res digna accuratiore diiquisitione atq; dijudicatiõe, non reorum, neq; actorũ ipsorũ (Nemo enim satis idoneus est in propria causa iudex) sed eorũ, ad quos id iudicium iure diuino, & vniuersi populi Christiani moribus & institutis pertinet, quemadmodum cùm aliâs, tũ heri, & hodie potissimum à me ostensum est. ita sanẽ factum est apostolorũ tempore cũ orta esset Antiochiæ non dissimilis controuersia Paulo & Barnabæ aduersus quosdam de Iudæa descendentes? Ad Apostolos & presbyteros de ea relatum est. Nunc isti omnes in vniuersum, nõ huius modò tẽporis, sed omnium

Sacramẽtarioruũ crudelitas.

Euangelici accusant & damnãt ecclesiam.

Iudicium de impijs episc.

nium planè seculorum episcopos, presbyteros, & monachos vnà cum summo pastore ecclesiæ, qui confirmandi fratres potestatem diuinitus accepit, maximi criminis reos agunt, & ex ipsis iudicibus contra omnium gentium leges atq; mores peragunt: ecclesiamq; magistratibus suis & pastoribus non per sex, verum per sexcentos, atq; adeò amplius bis sexcentos annos orbam: non ciuitatem sanctam, aut castrorum aciem ordinatam, quemadmodum Deus voluit, sed Babylonem quandam confusionis, & speluncam latronum faciunt. Sed viderint, ne se ipsi condemnent, & coarguat eos se esse, de quibus scribit Paulus, qui subuersi sint & delinquant, iudicio proprio condemnati. An enim non itidem aduersari veritati episcopos (sed eos tamen modò, qui tunc vigebãt) & contra euangelium docere ac statuere vociferabantur olim Sabellius, Paulus Samosatenus, Photinus, Arius, Eunomius, Macedonius, Pelagius, cum suis quisq; assectis? vt mittam multos alios, quos isti, itidem atque nos, & vniuersa Christi ecclesia damnãt, habẽtq; pro hæreticis. Et tamen iustiorem ij causam habere videbãtur. Erant enim & ipsi episcopi, vel certè habebãt consentiẽtes secũ episcopos. Sed sit sanè par vtrobiq; ratio.

Pseudeuangelici seipsos damnãt 1. Timo. 3.

Vel

Vel igitur isti cum illis sentiunt, & falsò damnant eorum dogmata velut hæretica & impia: vel diuersum ab illis sentientes, tùm episcopis, tum ipsi quoq; aduersantur veritati, & contra euangelium docent ac statuunt. Eligant, vtrum malint. Nihil enim est tertiũ. Quid nunc? an non contendũt Anabaptistæ, Sacramentarij, Picardi, Libertini, Seruetiani, Trideitæ, Antinomi, Suencfeldiani, non modò nostros episcopos, verumetiam istos euangelicos protestantes aduersari veritati, & contra euangeliũ docere ac statuere? Iam id quidem luculentè à me superioribus diebus demonstratum est. Statim ne igitur id verum est? Negabunt isti, opinor. At proferuntur ab illis sacræ scripturæ, & verba euangelij, quibus dogmata sua quisq; tuentur, & aliena damnant. Quid Lutherani & Protestãtes, nonne idẽ vicissim de illis statuũt? Quo autẽ iure hi vel illi suo potius, quàm alterorũ iudicio stari postulant? Si doctrinam spectes, vincunt cæteros Sacramentarij: Si numerum & multitudinem, Lutherani adhuc, nisi fallor, superant. Sin dignitatem assectarum, habent Suencfeldiani inter se nobilitatem: Habent Lutherani principes atq; reges, non habent ferè Sacramentarij. At fuere olim omnibus his longè doctiores Ariani & Eunomiani, & habuere

Pseudeuangelici damnantur ab alijs hæret.

habuere maximos populos cum omni nobilitate, ac summos orbis terrarum monarchas sibi adhærentes. Quid igitur causæ est, cur in horum, quàm illorũ iudicio potius quisquã acquiescat? Sed in quo tandẽ isti episcopos & monachos cum Pontifice max. veritati aduersari, & contra euangelium docere dictitant? Tres, ait confessio Augustana, ordines sunt decretorum pontificiorum. Quædam decreta cogunt peccare. Indignum facinus, si verum. Quæ nam autem ista sunt? Vt lex de cœlibatu, inquit: lex de priuatis missis, in quibus fit oblatio & applicatio pro viuis & mortuis: & opinio transsubstantiationis vitiosam adorationem parit: mandata de inuocatione mortuorum. De his legibus facile est, ait, iudicium. Quia enim apertè pugnãt cum mandatis Dei, regula sequenda est apostolorum. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Secundum ordinem dicit esse rituum, qui de rebus sua natura medijs loquuntur, vt sunt leges de ciborum & dierum discrimine, & similibus rebus, cum his rebus adduntur opiniones falsæ, vtpote (vt rem in pauca contraham) quòd mereantur remissionem peccatorum, vel quòd sint cultus Dei. Tertium errorem vult esse opinionẽ necessitatis, hoc est, quòd extra euãgelium statuatur aliquid

Schismatis Euangelicorum causæ.

(quam-

(quamlibet rectum & salutare) tanquam seruatu necessarium sub obligatione peccati, etiam extra casum scandali. Hæc ferè sunt, quibus isti iustissimè se adduci præ se ferunt, cur se à nobis, hoc est, ab ecclesia segregent? Et idololatriæ, siue idolomaniæ crimẽ ob hæc aliàs vulgo nobis impingunt: Quod tamen in scripto illo publicè in comitijs à se edito facere ausi nõ sunt. Eodem pertinent, quæ scribit Caluinus: Humanas traditiones reijciendas esse, quòd modum colendi dei præscribant, & quòd religione conscientias obstringant. AVL. Quid tu igitur ad ea? An aliter sentis? MON. Ego verò longè aliter. Falsò enim contendunt isti, contra euangelium hæc à nobis doceri ac statui. AVL. Non satis est, hæc dixisse. MON. Contra eos, qui, cum nihil se præter verbum Dei dicere ac docere profiteantur, tamen dicunt modò, seu verius blaterant, ac non probant, satis id esse debet. Sed tamen expendamus ea, quæ dicunt. Obiter autem id fiet, vt coarguatur modò impudens istorum calumnia, & friuola detestandæ secessionis excusatio. Nam accuratior horum dogmatum examinatio nunc recte fortasse fieri non potest, cùm non sit nobis adhuc explicata ratio doctrinæ ecclesiasticæ, quæ est certissima

Caluin. institut. lib. 4. cap. 10.

tissima omnium credendorum & agendorum regula Christianis. Est enim euidenter à me demonstratum heri id demum verè esse verbum Dei & euangelium, quod ecclesia pro verbo dei & euangelio habet, & quo sensu habet, siue id sit scriptum, siue viua voce, vel in mysterio traditum. Obiter itaque nunc tantùm ea, quæ nobis obijciunt, percurram. Ab vltimis autẽ ordiar. Ac statui posse aliquid ab episcopis & pontificibus tanquam necessarium seruatu, iam, si meministi, à me demonstratum est, cùm aliundè, tum ex illo decreto apostolico de idolothytis, suffocato, & sanguine: Quæ apostoli disertis verbis tanquam necessaria se statuere profitentur. Quamuis enim diuinitus ea præcepta fuissent populo Isaaelitico, tamen cùm lex Mosaica per Christum consummata & antiquata esset, perinde haberi voluerunt apostoli, ac si non à lege, sed à se præcepta essent. Christus quoq; præcipit: Scribis & Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus, hoc est, ecclesiæ præsidentibus, parendum esse, & quicquid dixerint nobis, seruandum & faciendum. Quod idem est cum Paulino illo: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Qui hæc igitur spernit, non hominem spernit, sed Christum ipsum ac Deum,

Episcoporũ statuta obligãt cõscientias.

Actor. 15.

Matth. 23.

Hebr. 13.

1. Thes. 4.

Deum, qui cogitationibus quoq;, nedum factis peruersis & scandalis aliorum hominũ offenditur. Ostendant autem isti, qui nihil præter scripturã crepãt, vbi permissum sit cõtẽnere præcepta magistratuũ extra casum scãdali, quem ipsi excipiũt. Paulus quidẽ omnibus potestatibus, siue magistratibus necessariò vult nos esse subditos, nõ solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam: Hoc est, non solùm propter animaduersionẽ eorum vitandam, verumetiam propter vindictam Dei, qui solus est inspector & iudex cõscientiarum. Additq; idem: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: à Deo videlicet. Certè conscientia extra casum scandali, atq; etiam inscijs omnibus vim suam retinet. Idemq; Paulus præcipit, vt viri quidem non velatis, mulieres verò velatis capitibus Deum precentur, etiam propter angelos: qui certè non scandalizantur. Non igitur est contra euangelium, sed secundum euangelium potius, docere, quòd piæ constitutiones pontificum & episcoporum seruatu necessariæ sint etiam extra casum scandali, & obligent conscientias. Neq; caret piaculo, qui superbè eas contemnit, vel ex illa Christi doctrina, Qui vos spernit me spernit.

Episcoporum statuta seruanda etiam extra casum scandali.

Rom. 13.

1. Cor. 11.

Lucæ 10.

Vt

Vt autem maximè daremus istis, Statuta episcoporum non obligare conscientias extra casum scandali, non statim impium & contra veritatem euangelij fuerit, diuersum sentire ac docere? Fuerit sanè onus graue & importabile, qualia scribas & Pharisæos humeris hominum imponere solere Christus dicit. Num autem ideo ferendum id esse negat, aut secedendum ab eis esse docet? An non parêre potius ipsis docẽtibus & præcipientibus iubet? Atque hoc de vltimo genere dictũ sit. Quod autem ait Confessio August. episcopos rebus natura medijs addere opiniones falsas & impias: Ne id quidem rectè, neque secundum euangelium dicitur. Ac primùm, Quæ nã sunt istæ res naturâ mediæ? Velut ieiunium, inquiunt, & festi dies. Audio. At scriptura bonum esse dicit ieiunium. Bona est, inquit Tobias, oratio cum ieiunio & eleemosyna. Christus etiam mercedem ei promittit. Quin & corruptores historiæ ecclesiasticæ permultũ tribuunt ieiunio, quando scribũt: Diabolum à Christo in quadraginta dierum ieiunio superatum esse. De festis autem diebus, nónne præceptum Dei est? Memento vt diem sabbati sanctifices. Quanquã autem sabbati, hoc est, diei septimæ obseruatio ad cæremonialia præcepta pertinet, à quibus nos Christiani

Matth. 23.

Mediæ res.

De ieiunijs & festis diebus.

Tob. 12.

Matth. 6.

Cent. 1. lib. 1. cap. 4.

Exod. 20.

sumus liberi, sicut ostendi nuper, Morale est tamen, certos esse debere dies, quos sanctificari à nobis oporteat. Fatemur autem, ieiunium, dies festos, & alia huiusmodi opera speciales cultibus dei haberi à nobis. Confitentur & multum laudati ab istis Picardi, Ieiunium, cultum quendam externũ esse à pijs deo soli exhibendum. Sed si hæc persuasio falsa est & impia, quemadmodũ volunt isti, nihil dico de Picardis, verùm Lucas euangelista falsitatis & impietatis arguatur. Is enim scribit, Annam viduam ieiunijs & obsecrationibus coluisse, Deũ scilicet, die ac nocte, quemadmodum prius etiam memoraui. Arguantur Esdras & Neemias. Vterq; enim ieiunio ad placandum Deum se vsum esse non obscure indicat. Quod itidem vniuersus populus Israël authore Samuele fecisse legitur: Imò arguatur Deus ipse, qui per Ioëlem quidem ieiunium, per Moysen autẽ & alios Prophetas Sabbata sanctificari sibi præcepit, & indignari se ostendit, si quis ea polluerit, & non custodierit. Quod autem eæ res valeant ad placandum & promerendum Deum, Ioëlidem & Ionas Prophetæ testãtur. Quorũ hcùm cõmemorasset, Niniuitas predicatione sua cõmotos, indixisse sibi ipsis ieiunium, vestitos esse saccis, hæc subiecit. Et vidit D

Ieiuniũ cultus Dei. Picardi.

Lucæ 1.

Esdr. lib. 1. cap. 8.

Neem. libr. 1. cap. 1.

1. Reg. 7.

Ioël. 2.

Exod. 20.

Leu. 19. & 26.

Esa. 56.

Hier. 17.

Ezech. 20. 22. 23.

Ieiunij & festorum

us opera eorum (ea nempe, quorũ paulò antè fecerat ipse propheta mẽtionem) quia cõuersi sunt de via sua mala, & misertus est, &c. *merita.* *Ioan. 3.*

Ille verò hortatur sacerdotes & populum ad Ieiunium non suis modò, verumetiam Dei verbis, promittens veniam. Custodientibus autem sabbata Deus ipse per Esaiam præclara præmia pollicetur. Cũ his nos malumus haberi impij, quàm cũ istis nouę pietatis vindicibus pij. Neq; tamen eò quicquam de merito Christi detrahimus. Quin eius merito & promisso perfectum esse profitemur, vt huiusmodi res, licet imperfectæ, ad placandum Deum nobis post baptismi ablutionem peccantibus prosint: quemadmodũ & eleemosinæ. De quibus ita propheta ait, Peccata tua eleemosynis redime. Et Tobias. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. Quæ cum ita tribuantur eleemosynæ, nihil tamen per hoc merito mortis Christi detrahitur. Nisi fortè isti cum Manichæis & Marcionitis vetus testamentum reijciunt. Sed non diuersum dicit Christus in euangelio. Verumtamen, inquiens, quod supereſt, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Ioël. 1. & 2.* *Esa. 56.* *Dan. 4.* *Tob. 4. 12.* *Lucæ 12.*

De Ieiunio verò: Et pater tuus qui *Matth. 6.*

videt in absconso, reddet tibi. Vides vtrobiq; meritum, dum merces promittitur. Sed nolo esse longior, in ijs præsertim, in quibus illi minus præsidij collocãt. Illa videamus, quæ cũ euangelio pugnare, & ad peccãdum nos cogere magno supercilio, sed nulla grauitate dictitãt. Quæ nã autem tãdem ea sunt? Lex cœlibatus, inquiũt. Vbinã autem is in euãgelio, atq; adeò in veteri testamento, quod magis fauet coniugio, interdictus est? Nisi fortè existimãt isti, contra præceptum Dei venire, si quis non crescat & multiplicetur. Eò sanè pertinere visum est illud, quod quidã peregrinarum ecclesiarum superintendens, cùm persuaderet nobili cuidã viduæ, vt nuberet, magno supercilio dixisse fertur, Ni nuberet, tot eam cædium patratarum apud Deum reã fore, quot liberos parere potuisset, si nupsisset. AVL. Audiui id ego quoq; narrari. MO. Sed mittamus istum, quem Lutherani quoq; ipsi execrãtur. Vbi autem non laudatus est in sacris literis cœlibatus, castus præsertim & cõtinens? Pauli quidem illa sunt verba: Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permãserint, sicut & ego. AVL. Non in cœlibatu, sed in lege cœlibatus isti vitium esse aiunt, propterea quòd necessariũ fit id, quod euangelium vult esse liberum. Subdit enim

Episcoporum statuta, quæ hæreticis uidẽtur esse impia.

Lex cœlibatus non est contra euangeliũ.

1. Cor. 7.

idem

idem Paulus: Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri. Et negat idem, se laqueum cuiquam velle inijcere sua illa doctrina. Christus verò: Qui potest, inquit, capere, capiat. MON. Errat, quisquis inuito cuipiam legem cœlibatus impo- *Cœlibatus*
ni putat in eccleſia. Suadetur is à pontifici- *inuitis non*
bus & epiſcopis, itidem atq; à Paulo, non prę- *præcipi-*
cipitur. Nõ enim dicitur, Neceſſe eſt: Sed bo- *tur.*
num eſt, ſi ſic permanſeris. AVL. Nónne ijs qui ſacerdotes & monachi & monachæ fieri volunt, dicitur, neceſſe eſt, cùm obſtringuntur voto cœlibatus? At nemini dicitur, neceſſe eſt, vt fias ſacerdos, vel monachus, vel monacha. Sed, ſi vis fieri ſacerdos, aut monachus, aut monacha, neceſſe eſt, vt cœlebs ſis, vel maneas. Quod ſi ſemel tua ſponte ſuſcepiſti, iam fit neceſſarium, quod fuit liberum priuſquàm ſuſciperes. Nec id eſt contra veritatem euangelij, ſed ſecundum eam potius. Fuit etiam A- *Act. 5.*
naniæ cum Sapphyra vxore liberum initiò, precium agri venditi ad ſuos vſus retinere, priuſquàm id Deo & vſibus eccleſiæ deuouerent. Sed cùm id ſemel ſua ſponte feciſſent, ita factum eſt neceſſarium, vt eis fraudi capitali fuerit, aliquid de eo fraudaſſe. Itaque Paulus a- *1. Tim. 5.*

libi de viduis, quæ post promissam voto continentiam luxuriatæ nubere volunt, definit, quòd habeant damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. AVL. Verùm addit Paulus: Quòd si non se continent, nubant. MON. Ipse igitur secum pugnat? Quisquam ne autem existimat, ijs hoc dictum esse, qui bonum illud semel elegerunt, vt sic permaneant? Quid quæso boni inest in eo, si quis tantisper cœlebs & continens permaneat, quàmdiu nulla titillatur libidine? Tum demum bonum est, si quis certo & firmo proposito apud se statuerit, sic permanere, nempe castè & continenter viuere, & in eo perseuerauerit, non cedens neque indulgens carni lasciuienti. Quod quidem apertius explicat idem Paulus aliquanto pòst in eodem capite sic inquiens. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Priusquam aute id statuat quispiam, dicitur ei. Qui non cõtinet, hoc est, qui nõ vult in cœlibatu cõtineter viuere, nubat: Melius est enim nubere quàm vri. Alioqui iustã haberent excusationem illæ viduæ, quæ nuncupato continẽti voto, & postea luxuriatæ & œstro libidini

1. Cor. 7. Cœlibatus votum.

incitatæ nubere malunt, quàm vri: Quam tamen Paulus non recipit. Ne Petro quidē satisfeciſſet Ananias, poſt fraudatam partē pecuniæ, ſi dixiſſet. Melius ſibi eſſe ſuum retinere, quàm aliena rapere, vel furari in vſus vitæ neceſſarios. Sed alia perſequamur. Neq; enim hîc mihi omnem cœlibatus rationem explicare propoſitum eſt. Satis ſit oſtendiſſe, eum, & neceſsitatem, vel, vt iſti vocant, legem eius non pugnare cum euangelio, neq; cogere quenquam ad peccandū: Niſi fortè adhuc iſti ſentiunt cum Luthero ſuo: Neminēm prorſus caſtum & continentem eſſe poſſe. Quod cùm ijſdem, quas modò pertractauimus, ſcripturis, planè refelitur, tum illa: Quod Sapiens negat, ſe continentem eſſe poſſe, niſi Deus det. Poteſt igitur, ſi Deus det. Ne amare quidem proximum, aut credere in Deum quiſquam poteſt, niſi Deus det. Nec tamen cogit nos ad peccandum Deus, cùm vtrūq; id nobis præcipit. Quid illa Chriſti verba, cùm dicit? Eſſe aliquos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum: hoc eſt, vſu genitalium mēbrorum ſibi interdixerunt. Additq;: Non omnes capiunt hoc verbum. Qui poteſt capere, capiat. An non apertè demonſtrant, eſſe aliquos, qui id poſsint, & faciāt, vel capi-

Continentiam ſeruari poſſe.

Sapien. 8.

Philip. 2.

Rom. 7.

Matth. 19.

ant? Neq; deest cuiquam diuinum auxilium & gratia, modò ipse velit. Ait enim Christus: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Alioqui digni essent venia quiuis flagitiosi, scelerati, & impij, si negarent se posse capere, aut gratiam Dei sibi præsto esse, vt abstineant se flagitijs, sceleribus, & impietate: Quid autē aliud in hoc genere impiorum decretorum isti ponunt? Est, inquiunt, lex de priuatis missis, in quibus fit oblatio & applicatio pro viuis & mortuis. Hic isti vel vafrè priuatas missas cauillantur, vel aliquantò pòst mentiuntur, cū scribunt: Falsò accusari ecclesias suas, quòd missam aboleant. Aeque enim in publicis, ac in priuatis missis fit oblatio & applicatio illa. Sed mittamus fraudes, quæ peruulgatæ sunt cùm in confessione ista, tum in omnibus pseudeuangelicorum istorum scriptis. Rem ipsam expendamus. Negant ferendam esse in missa oblationem. Negant igitur eam esse sacrificium. At ego heri satis luculentè, opinor, demonstraui contrarium. Nec diffitentur id quidam gregales eorum, quemadmodum audisti ex me primo nostro colloquio, ac hodierno etiam. Sacrificium sanè sine oblatione non fit. AVL. Verùm Christus, inquiunt, vna oblatione consumauit in

De Missa. Cōf. Aug. Artic. de Missa.

Missa sacrificium & oblationē habet.

Sacrificia Christianorum.

in sempiternum sanctificatos, quemadmodum scribit Paulus. MON. Verisimum id est Ergo superuacanea, ne dicam impia, sunt ieiunium, oratio, & eleemosyna, quæ & ipsa sacrificia quædã sunt, & ad placandum Deũ, veniam peccatorum impetrandam, & ad emundationem atq; sanctificationẽ hominũ, sanctarum scripturarũ testimonio adhibentur? Absit. Ac de ieiunio quidem & eleemosyna ostendi paulò antè. De eleemosyna illud tantùm addo, quod scribit Paulus: Talibus enim hostijs promeretur Deus. Quod autem oratio quoq; sit oblatio & sacrificiũ, prius à me ostẽsum est. Ait enim Psaltes. Dirigatur ad te domine oratio mea, sicut incẽsum in conspectu tuo: Eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinum. Iacobus autẽ: Multum enim valet deprecatio iusti assidua: Ad placandum videlicet Deum. Cùm igitur hæc non impiè, sed rectè adhibeantur, ad placandum & promerendũ Deũ, quotidieq; oremus: Dimitte nobis debita nostra, & eleemosynis peccata redimamus, licet Christus vna oblatione id nobis perfecerit, Deumq; nobis in sempiternum placauerit, quid causæ est, cur impij dicantur, qui quotidiana oblatione eum sibi placandum esse existimant? Quid autem causæ est, quin impius habeatur

Hebr. 10.

Hebr. 13.

Psal. 140.

Iacob. 5.

Matth. 6.

Dan. 4.

ipse quoque Paulus? qui in eadem epistola
Heb. 7. & 9. scribit: Christum semper viuere ad interpellandum pro nobis: Et introisse eum in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: Nempe post vnam illam oblationem, qua cõsumauit in æternũ sanctificatos?
Applicatio missæ non pugnat cũ Euangelio. AVL. Sed applicatio, inquiũt isti, vitiosa est. MON. Quid ita? An est contra euangelium? Proferatur id. Sed nunquam proferetur. Quod nobis satis est ad victoriã. Quid si est etiam secundum euangelium seu verbum
Dan. 4. Dei? Vni certè regi Nabuchodonosori dicitur: Peccata tua eleemosynis redime. Vni
Actorũ 4. Simoni Mago: Roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Paulus verò Thessalonicensibus scribit: Oramus semper ꝓ vobis. Ijsdem: Orate pro nobis. Iacobus autem, de presbyteris loquens: Orẽt super eum, vel, pro eo: infirmo videlicet. Et oratio fidei saluabit infirmũ. Et Christus ipse: Non ꝓ mundo, inquit, rogo, sed ꝓ his, quos dedisti mihi, nempe apostolis, vt serues eos à malo. Non videtur hîc tibi orationes applicari, nõ modò ipsis orantibus, verũetiã alijs quibusdã? Quæ est autem ratio, cur orationũ applicatio rectè fieri possit, sacrificij verò nõ
1. Thes. 1. 3.
Iaco. 5.
Iob. 1. possit? An non applicabat autẽ id quoq; Iob, quãdo offerebat holocausta per singulos filios

lios & filias? An non præceptũ est autẽ à Deo sacerdotibus in lege veteri, quod Paulus quoque memorat, vt offerant sacrificia non modò pro vniuerso populo in genere, verumetiam pro seipsis, & alijs cùm priuatis, tum principibus, & magistratibus? An non obtulit Aaron thymiama pro multitudine, quam vastabat incẽdium, & stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit? Nihil autem causæ est, quo minus id itidem fiat in nostro illo incruento sacrificio. Quod ideo institutum est, ecclesiæq; relictum, sicuti prius quoque ostensum est, vt quæ omnibus in commune per cruentum Christi in cruce sacrificium parta sunt & ꝓposita, ea sibi quisq; suisq; hauriat, & propria faciat, cùm in multis offendamus omnes, nouisq; subinde peccatis post reconciliationem in baptismo factam, iram Dei aduersus nos prouocemus. Proinde neque oblatio, neque applicatio missæ fit contra euangeliũ: Sed secundũ euãgeliũ potius. AV. Vbi est autem in euangelio, vel in sacra scriptura, quòd pro mortuis applicari debeat sacrificium? MON. Vbi est autem, quòd nõ debeat? Quòd si nefas & impium esset, offerre sacrificiũ pro mortuis, nũquã profectò Iudas Machabæus, qui pro lege Dei vsq; ad mortem certauit, facta collatione, duode-

Heb. 5. et 7.

Num. 16.

Sacrificij Christiani ratio.

Iacob. 5.

Sacrificiũ pro mortuis.

2. Machab. 12.

cim millia drachmas argẽti misisset Ierosolyma, vt offerretur sacrificiũ ꝓ peccatis eorũ, qui in prælio cõtra impios pugnãtes occubuerant: Nec certè vnquã author libri epiphonema illud adscripsisset. Sancta ergo & salubris est cogitatio, ꝓ defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Nec est, quòd cauilletur quis piam, librum illum non esse in canone sacræ scripturæ. Vt enim nõ sit in canone Hebræorum, est certè in canone ecclesiæ catholicæ, quemadmodũ testatur synodus tertia Carthaginensis, à sexto generali Concilio approbata. Quid obstat autem, quo minus idem in sacrificio nostro Christiano rectum, sanctũ, & salubre sit? Certè Paulus ait: In hoc mortuum esse & resurrexisse Christum, vt & viuorũ & mortuorũ dominetur. Ipse est, inquit Ioãnes, propiciatio pro peccatis nostris: Nõ pro nostris autem tantùm, sed etiã pro totius mũdi: Nec magis pro eius mundi, qui tunc erat, eritq; deinceps vsq; ad consumationem seculi, quàm pro eius, qui præcesserit in præteritis generationibus iam inde vsq; à primis humani generis progenitoribus. Itaq; Petrus quoque ait, Christum venientem prædicasse his, qui in carcere erant, spiritibus, Patrum videlicet longè antè defunctorum: quos Paulus alibi testimonio fidei probatos, nõ accepis-

Mach. libri in canone.

Cartha. syno. 3. canonic. 47.

Rom. 14.

1. Ioan. 2.

1. Pet. 3.

se

se tamẽ repromissionem ait, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis cõsumarẽtur. Quid igitur prohibet, ijs (mortuis inquam) applicari fructum sacrificij eius, quod non minus pro ipsis, quam pro viuis, & nascituris deinceps oblatum est? Patres dẽ sancti *a.* Dionysius, *b.* Tertullianus, *c.* Cyprianus *d.* Athanasius, *e.* Epiphanius, *f.* Ambrosius, *g.* Basilius, *h.* Chrysostomus, *i.* Augustinus, & multi alij, non modò rectum, verũ etiam iam inde à temporibus apostolorum in ecclesia Christi receptum & vsitatum id esse affirmant, vt pro viuis ac mortuis hoc incruẽtum sacrificium, quod Missam vocamus, offeratur. Nõ nos igitur solos, verùm vniuersam omnium temporum ecclesiam Christi impietatis isti condemnant. AVL. Placet mihi isto modo vindicari cùm sacrificia & precationes pro mortuis, tum purgatorium. Quid est autem, quod confessio Augustana prætea

a. Dionys. eccl. Hierarch. cap. 7. *b.* Tertul. de cor. mil. & de Monog. *c.* Cyp. serm. de lapsis. *d.* Athana. quæst. ad Antioch. lib. 1. *e.* Epipha. 1. contr. hæreſ. lib. 3. tom. 1. *f.* Ambr. orat. de exceſſu Satyri fratris. *g.* Basilius in missa. *h.* Chryſoſt. in 1. Cor. hom. 18. & ad Philip. hom. 3. & in Matt. hom. 26. & ad pop. Antioch. hom. 69. *i.* Auguſt. in Enchirid. & de cura pro mort. & de ciuit. Dei lib. 20. ca. 9. & de anima. lib. 1. cap. 9. & 11.

Transsubstantiatio in eucharistia.

terea causificatur? M O. Transsubstãtiationis opinionem. A V L. Pugnat´ne ea cum euangelio? M O. Non audent hoc illi dicere. Quin si verum fateri,& constare ipsi sibi velint in eo,quod nobiscum confitentur, in sacramento eucharistiæ verè esse corpus & sanguinem Christi,est in primis consentanea euãgelio. Nõ enim dixit Christus: Hic panis est corpus meũ,& hoc vinũ est sanguis meus: neque in hoc pane,vel sub hoc pane,vel cum hoc pane est corpus meum: neq; deniq;, hic, quasi in hoc loco, est corpus meũ, & sanguis meus. Sed,Hoc,hoc,inquam,quod accepturi estis, non quod natura formauit,vt interpretatur Ambrosius, sed quod benedictio consecrauit: Hoc, nempe panis communis in carnẽ solenni benedictione mutatus, mutatus autẽ nõ effigie, sed natura, & omnipotentia verbi factus caro, quemadmodum ait Cyprianus. Hoc, inquam, est corpus meum,quod pro vobis datur. Et hic, hic, inquã, potus, est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Cui quidem interpretationi adstipulatur etiam a. Tertullianus,b. Cyrillus Ierosolymitanus, c. Chrysostomus, d. Augustinus, e. Theophylactus,

Ambros.de ijs qui initiantur myst.ca.9. & de sacra.libr.4. cap. 4. Cyp. serm. de cœna domini.

a. Tertullib. 4. aduers. Marcion. b. Cyril. Ieros. catech. 1.c. Chrys. in Matth. hom. 83. & in Liturg. d. Aug. de uerbo domini secundũ Lucã ser. 28. & in Psal. 33.

phylactus, *f.* Damascenus: ne quis nouitium hoc esse dogma putet, nec nisi post turbatam à Berengario ecclesiam, ab Innocentio eius nominis tertio pontif. Max. & à Vercellensi, Turonensi, Lateranensi, & Constantiensi Concilijs vel excogitatum, vel stabilitum. Tametsi nec horum Conciliorum aspernanda est authoritas. Quin & Sacramentarij minus abhorrent à transsubstantiatione, quàm à Lutheranorum, vt ipsi vocant, impanatione. AVL. Quid igitur isti reprehendunt in transsubstantiatione? MON. Quia vitiosam, inquiunt, adorationem parit. Quid autem in adoratione vitij est? An quia non est ea Deo conueniēs? At hoc illi dicere non audent. Quod si dicunt, ostendant conuenientiorem: dociles habebunt discipulos. An quia Christus Deus non est? Ne hoc quidem dicent fortasse. Tametsi eò spectare videntur, cùm eam adorationem nonnunquam, idololatriam esse asseuerant. An quia is, Christus inquam, præsens in Sacramento non adest? Qua igitur de re ipsi cōtendunt aduersus Zuinglianos, & Caluinianos siue Sacramētarios? An quia corpus ibi & sanguis Christi est absque Deitate? At hoc esset Christum cū Nestorio

c. Theoph. in 26. cap. Mat. & in 6. ca. Ioan. & in 14. cap. Mar. f. Damas. de orthod. fide. lib. 4. cap. 14.

Euchariſtiæ adoratio.

Nestorio diuidere, qui est super omnia Deus benedictus in secula, quemadmodum
Rom. 9. ait Paulus. An quia non semper, neq; vbique Deus adorandus est? A V L. Istuc ipsum. Quia non ad hoc, inquiunt, dedit se nobis in eucharistia, vt adoretur. M O N. Audio. Ne ad hoc quidem carnem assumpsit: Et tamen à Magis puer, adultus verò à leproso, à
Matth. 2. Matth. 8. Marc. 5. Ioan. 9. dæmoniaco, à cœco nato, à matre filiorum Zebedæi, à discipulis deniq; adorari se passus est. Quid est autem, quod dicit Psaltes?
Matt. 20. Marc. 14. 28. Adorate scabellum pedum eius. Explicat Augustinus, ita scribens: Dei vnigenitus filius suscepit de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit.
Psal. 98. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est, quèadmodum adoretur tale scabellum pedum domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Vides igitur, non modò non vitiosam, aut idololatricam, quemadmodum aliâs isti blasphemare solent, esse adorationem corporis Christi in Eucharistia, sed congruentem euangelio. A V L. Quid tu autem dices de inuocatione mortuorum? M O N.

August. in psal. 98.

Sanctorũ inuocatio euãgelio cõsentanea.

Quos

Quos mortuos isti hîc nobis obijciunt? Canes, an iumenta? Videntur sanè nullum discrimen facere inter canem mortuum, & hominem mortuum. Sed facit Christus, cùm proposita scriptura, quæ dicit, Deum Abraam, Deum Isaac, & Deum Iacob, addit. Deus autem non est mortuorum, sed viuentium. Omnes enim viuunt ei. Et illi igitur, qui ante complures annos mortui sunt, quemadmodum patriarchæ dudum memorati, plus minus bis mille annis ante illud tempus, quo verba illa Christus prolocutus est, vitadefuncti. Cur autem isti non eodem modò loquuntur hîc, quo in 21. articulo? An non de ijsdem Sermo est, quos hîc inuocandos esse negant, ibi venerandos esse non negant? Ijdem ne cùm venerantur, sancti sunt, & viuũt, cùm autem inuocantur interierunt penitus? Sed æquiores nos ipsis erimus, quàm ipsi nobis esse solent, & improbè συκοφαντίσεσθαι eos potius, quàm eò impietatis proiectos esse interpretabimur, vt vitæ penitus exortes esse asserent eos, qui ex hac vita migrarunt. Est ne igitur impium sanctos siue mortuos inuocare? AVL. Isti aiunt. MON. Quãobrem? Ideóne, quia sunt mortui, an quia neminem præter Deum inuocare fas est? Ac ne ãĕrem, quod in prouerbio est, verberemus, &

Matth. 22. Mar. 12.

Cõf. Aug. art. 21.

sophisticis istorum, qui nobis sophisticam sæpe falsò obijciunt, strophis quisquam irretiatur, inuocandi verbum prius expendamus. Est igitur inuocare quempiam, opem alicuius implorare. Refertur autem id non ad eum modò, qui author & princeps est opis ferendæ, verumetiam qui administer, quique adiuuare nos apud illum gratia, meritis, commendatione, & patrocinio suo potest. Itaq; Plautus quidem ait: Deam sibi inuocet, quam habebit propitiam. Cicero aût in aduocato, ad defendendam apud iudicem causam, adhibendo idem verbum vsurpat. Quomodo autem nos inuocamus sanctos homines, & apud deum gratiosos? An vt Authores salutis nostræ, bonorumq; omnium? Si hoc nobis impinguntisti, perquàm impudenter faciunt. Quis est episcoporum & pontificum, aut fuit vnquam, qui hoc fieri mandet, aut approbet duntaxat, ac non potius reprehendat ac prohibeat? Quod si quis in vulgo ita bardus est, vt id errore quodam faciat, corrigendum est, quod vitiose fit, ac non aliorum culpa alijs imputanda, nec euellendum triticum cum Zizanijs. Sin autem vt suffragatores apud Deum & aduocatos eos inuocamus, & inuocandos esse docemus, ostendant isti id esse contra Euangelium. Sed non

Inuocare quid sit.

Plaut. in Asina.

Cic. lib. 2. de Orat.

Sancti quomodo inuocentur.

non possunt. AVL. An non citant Paulinum illud? Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. MON. Verum: Sed addant, quod statim sequitur: Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: Et tunc rectè intelligent, quid sibi velit Paulus. Iam dixi, Sanctos à nobis inuocari non vt redemptores, bonorumque largitores, & malorum depulsores, verùm vt suffragatores & aduocatos apud deum hæc facientem. AVL. An non scribit autem Ioannes? Aduocatum habemus apud Deum, Iesum Christum iustum. MON. An non scribit autem idem, atque adeò sacra noui testamenti scriptura omnis personat, eundem esse filium Dei? Et tamen nos quoque, qui in nomine eius credimus, filij Dei nominamur & sumus. An non præcepit Deus per Moysen, & repetit Christus in euãgelio? Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Et tamẽ legimus in sacris literis, & angelos & homines adoratos esse, & quidẽ à pijs. Nec vetat quicquã nos hominib. quoq; seruire, etiam impijs: Sed aliter, quàm Deo. Ita licet Christus sit aduocatus & mediator noster, nihil tamẽ prohibet, quin alios etiã habeamus aduocatos & mediatores: Non eo tamẽ modo, quo Christũ Ioan. aduocatũ

1. Tim. 2.

1. Ioan. 2. *Aduocatus & mediator.*

1. Ioan. 3. & 5. Ioan. 1.

1. Ioan. 3. Deut. 6. Matth. 4.

nostrum vult esse. Addit enim statim exponens id, quod dixit. Qui est propitiatio pro peccatis nostris. Vides igitur quomodo Christus sit aduocatus & mediator noster. Abest autem, vt quempiam sanctorum omnino pro tali aduocato & mediatore habeamus: Sed
Deut.5. quales fuere Moses & sacerdotes in populo dei veteri. Moses quidem profitetur se medium & sequestrum fuisse inter deum & populum illum. Vis autem videre, istos nihil præsidij collocare in his scripturis, vt nos conuincant, quòd contra eas, & contra euangeliũ doceamus, sanctos rectè inuocari? AVL. Hoc
Art.21. expecto. MON. Alibi in eodem libro negat tantum, præcepta, aut promissiones, aut exempla vlla esse in hanc sententiam in scripturis. Quod satis est nobis dummodo non sit contra euangelij doctrinam. Quod hîc isti schismati & rebellioni suæ prætexunt. Quid autem si ostendo, extare etiam in scripturis exempla & præcepta de inuocatione san-
2.Thess.3. ctorum? Quid enim aliud ait Paulus, quando sic scribit? De cætero fratres orate pro nobis, vt liberemur ab importunis & malis hominis-
Rom.15. bus. Aut cùm ait: Obsecro ergo vos fratres, per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti spiritus, vt adiuuetis mein orationibus pro me ad Deum. Annon præ-

præcipit autem Deus amicis Iob, vt ad ipsum Iob seruum suum eant, & offerant holocausta pro se? Iob autem seruus meus, ait, orabit pro vobis: Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Viden' non tantum præceptum, verumetiam promissionē? An non videtur idem Deus hortari Abimelech regem Palestinorum per somnium, vt Abraamum tanquā precatorem inuocet? Quid in euangelio Christus, cū ait? Facite vobis amicos de Mămona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiāt vos in æterna tabernacula. Qui sunt enim alij amici, quàm precatores, mediatores, & aduocati, quos vt de Mammona iniquitatis nobis faciamus præcipit? Addit autem & promissionem, quòd hi nos, cùm defecerimus, recepturi sint in æterna tabernacula. Nisi fortè non videtur is inuocari, qui vel nutu, vel gestu, vel benignitate prouocētur, vt quempiam adiuuet. AVL. At hæ scripturæ de viuis loquuntur, non de mortuis. MON. Ergo errauit Christus, qui eos, qui ex hac vita decesserunt, viuere deo dixit? Falsus est Paulus, desiderium habens dissolui, & esse cū Christo? Imò vita hæc, mors est potius dicenda, quàm vita. Illa demum verè vita est, quæ neq; morte, neq; periculo, neq; morbo, neq; somno interpellatur. Qua qui viuunt,

Iob. 42.

Genes. 20.

Lucæ 16.

Lucæ 20.

Philip. 1.

longè promptius, quàm qui hîc nobiscum
Rom. 13. sunt, opitulari nobis & possunt, & volùt, cùm
sint securi rerum suarum, Deúmque propitium
semper habeãt, & charitas eorũ nõ modò nũ-
quã excidat, sed magis ac magis perficiatur.
Fratres ij quidẽ nostri, & eiusdẽ nobiscũ cor-
1. Cor. 12. poris membra esse nõ desierunt. Fieri autem
Orig. in Iob. lib. 2. non potest, quin membra eiusdem corporis
a. Nazan. in Atha. & in Basil. b. Ambr. orat. 2. ad miss. præp. c. Hiero. in epita. Pau. d. Basi. fer. de 40. mar. e. Aug. me- dit. ca. 24. & 40. f. Leo de Epiph. ser. 5. g. Ephrẽ de laud. mart. h. Ion. Aur. el. de cultu imag. li 3 supr. lib. 1. coll. 2.
solicita sint pro se inuicẽ: quod Paulus quoq;
testatur. Ita q; fuit semper receptum in eccle-
sia Christi, inuocare sanctos & amicos Dei,
non modò nobiscũ in hac vita degentes, ve-
rumetiã cum Christo regnantes. Quòd cũ ex
ecclesiastica omniũ ferè tẽporũ & populorũ
historia, tum ex Origene, a. Gregorio Nazã-
zeno, b. Ambrosio, c. Hierony. d. Basilio, e. Au-
gust. f. Leone, g. Ephrẽ, h. Iona Aurelianẽ. &
alijs multis priscis ac sanctis episcopis & do-
ctorib. cõstat: Ita vt cõtrariũ velle adstruere,
sit non modò hos tãtos viros, sed vniuersam
Christi ecclesiã impietatis dãnare. Ostẽdi e-
tiã nudiustertius, Luherũ, Buçerũ, & Oeco-
lampad. nõnunquã idẽ nobiscũ sentire. AV.
At obscurãtur inuocatione sanctorũ benefi-
cia Christi. MO. Scilicet hoc non viderunt
tot illi S. Patres, atq; adeò ipsa ecclesia, co-
lumna & firmamentum veritatis. Non vidit
Paulus doctor gẽtiũ in fide & veritate, acer-
rimus

rimus beneficiorum Christi buccinator. Nō vidit deniq; Christus ipse & Deus, qui se gloriam suā alteri daturū esse negat. Et Deus enim, sicut audiuisti dudum, in veteri testamēto, & Christus in nouo homines ad implorādā sanctorū opē hortatur, & Paulus non modò verbo, sed etiā exemplo suo inuitat. Quæ est autē ratio, cur magis obscurētur beneficia Christi inuocatione eorū, quos isti mortuos per cōtumeliā appellāt, quàm nobiscū in hac vita viuētiū? A V. Quomodo autē possunt ij, qui ex hoc seculo migrarūt, nos audire inuocātes? MO. Rogas? Vicissim ego te rogabo, quomodo Abias Silonites caligātib. oculis agnouit vxorem Ieroboā ad se ingrediētem, licet illa dissimularet, eam se esse, quæ erat? Aut quomodo Elisæi longè absentis cor prę-sens aderat, quando Naaman Syrus reuersus est de curru suo in occursū Giezi pueri eius? Aut quomodo idē in Dothain manens nouerat quęcūq; rex Syriæ locutus ēsset in cōclaui suo, detegebatq; regi Israēl, quo loco ille insidias ipsi ponere statuisset? Deniq; quomodo sciebat Petrus Ananiam & Sapphyrā fraudasse de precio agri venditi? Qd' si illi crassis & mortalib. corporib. circūdati, nosse potuerūt ea, quę procul aberant, quid est existimādū de depuratis à mole terrena mētib. beatis, ac

Sancti mortui quomodo audiant implorātes se. 3. Reg. 14. 4. Re. 5. 6.

Deo fruentibus? Quanquam non est huius temporis ista quæstio. Nobis satis hîc sit demonstrasse, cùm inuocationem sanctorum, tum illa alia, quæ isti pseudeuangelici contra veritatem euangelij ab episcopis & pontificibus doceri ac statui dictitant, nequaquam pugnare cum euangelio ac verbo Dei, neq; cum antiquis ac perpetuis ecclesiæ catholicæ & apostolicæ moribus, canonibus, & institutis. Atq; ita nullam eos habere vel in specie iustam causam, cur à nobis in vna, sancta, catholica, & apostolica ecclesia cum maioribus nostris atq; suis permanentibus, & pontificum max. atq; episcoporum successione perpetuam non modò in cathedris, verumetiam in doctrina retinentibus discesserint. Multo minus autem Græcos, Russos, & Hussitas Boëmos, qui in plerisq; omnibus dogmatibus, fixis duntaxat & immobilibus, vt Cyprini verbis vtar, nobiscum, à quibus secesserunt, consentiunt. Quo fit, vt cum & hi, & illi ab ea vnitate, qua pridem in vna nobiscum sancta catholica, & apostolica ecclesia fuerunt, se discessisse diffiteri non possint, nec diffiteantur etiam plerique, nullo iure eã, à qua discesserunt, vendicare sibi possint. Sed nos, qui ab argutis istis nomenclatoribus odiosè Papistæ vocamur, iustã eius possessionem

nem à parentibus, & maioribus nostris atq; ipsorum cum fide, baptismo, & alijs sacramẽtis nobis traditam, sicut ipsi quoq; eam à maioribus suis, & ab ipsis vsq; apostolis perpetua successione accepêre, retinemus. AVL. Satis luculentè veram ecclesiam descripsisse, & quasi ob oculos posuisse mihi videris, ita vt eam vel cœcus, quod dicitur, Palpando reperire, omnesq; sectas & conuenticula hæreticorum, quæ eam mentiuntur, secernere ab ea possit. MON. Hanc igitur propheticis & apostolicis scriptis ac institutis fundatã, plurimis & stupendis miraculis confirmatã, ordinatissima descriptione, & vt Augustini verbis vtar, ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascẽdas oues suas dominus post resurrectionem suam commendauit, vsq; ad præsentem episcopatum sacerdotum successione stabilitã, innumerabiliũ & martyrum sanguine dedicatam, & sanctorum doctorum pia sedulitate; scriptisq; & concionibus propagatã, plurimarum gentium, nationum, & linguarũ perpetua cõsensione agnitam, & per vniuersum orbem terrarum tot seculis, quot iam à Christo profluxerunt, diffusam, atq, etiam nunc ad incognitos superioribus seculis populos sese diffundentem, nec eripi, nec interuerti à quoquam tibi patiare. Huius doctrinam

Ecclesia sequenda in omnibus. August. cõtra epist. Manich. cap. 4.

cùm in censura & interpretatione SS. scriptu rarum, tum in omni cultu diuino, & moribus atque institutis ex religione quoquo modo dependentibus, firmiter & sine vlla dubitatione, non multò secus, atque Christi ipsius seruatoris ac magistri nostri, amplecti debes, vt quę sit vnica sponsa & corpus eius, columna & firmamẽtum veritatis: aduersus quam portæ inferorum, quamuis validæ, violentæ, & vafræ, nunquam prævaluerunt, nec prævalebunt. AV. Verã equidẽ ecclesiã agnouisse me lætor. Nec auelli me seduci´ue ab ea deinceps patiar. Cæterùm quæsit eius doctrina, quæ nõ sit, vel in genere explicari mihi abste velim. Video namq; esse id quoq; nonnũquã in cõtrouersia. Cauendũ est autẽ, ne prætextu ecclesiasticæ doctrinæ in errorem inducamur, & vana ac superstitiosa, ne dicam impia, hominum commenta & somnia, verbo Dei minimè consentanea, quæ nonnunquam per errorem vulgi, & negligentiam præsidum ac magistratuum ecclesiasticorum, vel etiam præposteram pietatem, & zelum Dei, sed nõ secundum scientiam, in ecclesiam irrepunt, pro doctrina ecclesiæ amplectamur. Certè non rarò vsu venit, vt vos monachi & sacerdotes ob quoduis dictum factum´ue ab institutis, moribus, & actionibus vestris discrepans

pans nobis idiotis contemptæ ecclesiæ, imò & hæreseos crimen impingatis. MON. Fit hoc fortasse nonnũquam, nescio an malitiosè, per imperitiam quidem certè nonnullorum, &, quemadmodum tu dixisti, per zelũ Dei, sed non secũdum scientiã. AVL. Quónam igitur modo internoscemus ac dijudicabimus, quæ sit doctrina ecclesiæ, quæ non? Quæso te ne deseras me etiamnũ, quẽ semel in curam tuam suscepisti. MON. Hũc quoq; laborem suscipiã tua causa. AVL. Cras manè, si videtur, hîc ego adero ea ipsa hora, qua hodie. Velim autem, vt deinde mecũ prandeas. MO. Cras de eo viderimus. Vale. AVL. Tu quoq; mi pater.

FINIS TERTII LIBRI.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS EORVM, QVAE IN PRAECEDENTIBVS TRACTANTVR.

A.

Abailardi error de ecclesia 476
Abrenunciatio & sponsio susceptorum stulta Ochino 188
Absolutus magister quis 292
abusus potestatis 583
abusus tollendi, rebus ipsis manentibus 675
abusus in conferendis sacerdotijs & ordinibus sacris 673
actorum Apostolorum argumentum 282
adamitæ probant multitudinem uxorum 365
adorare in Spiritu & ueritate quid sit 312
africanorum reconciliatio 802
agrestium tumultus à Luthero concitatus 35
altarium, templorum & uasorum sacrorũ unctio 638
anabaptistarum dogmata 519
anabaptistarum Spiritus 77
anabaptistarum impietas 223
anabaptistarum promiscui concubitus 224
anabaptistarum & Suencfeldij ἀναρχία 535
de anabaptistis aliorum iudicium 145

Angelo-

angelorum certa beatitudo 455
antichristus unde et qui 700
antiochenum Conciliabulum hæretic. 788. 799
apologia Augustanæ confess. notata 164
apostolus unde dicatur 724
apostoli iudices 539
apostoli Episcopi 554
apostolicæ doctrinæ authoritas 295
apostolorum ruditas 293
apostoli non suppleuerunt prætermissa ab Euangelistis 281
apostoli docti à spiritu sancto 294
apostoli sine scripto multa docuerunt 298
apostoli montes & fundamenta Ecclesiæ 539
apostoli in defectu doctrinæ Christi de suo docebant 296
apostolorum contentio de primatu 716
apostolorum scripta an omnia ad salutem necessaria complectantur 291
apostolorum doctrina uiua uoce tradita 303
apostolicarum scripturarum causæ et argumenta 282
argentinens. consensus 147
arianæ hæreses exortus & damnatio 419
ariana scripturarum interpretatio 383
ariani ad scripturas prouocarunt 419
ariana hæresis quamdiu duraverit 503

Armeni cum Romana ecclesia sentiunt 685
Armenorum constantia 87
ars nulla sine præceptore & exercitatione discitur 265
æthiopum patriarcha 586
æthiopum monarchæ professio 765
æthiopes nobiscum consentiunt 686
Augustanæ Confessionis uarietas 166
Augustanæ Confessionis corruptelæ à Lutheranis annotatæ 196
Augustana Confessio uaria 195
aulicorum mores 2
authoritatis Pont. Roman. antiquitas 100

B.

Baptismi formula mutata 442
bellum ciuile Germ. conflatum à Luth. 38
benedictio quæ petatur ab episcopo 620
Berengarius sacramentariorum dux 133
Bezæ uarietas & improbitas 193
Boëmorum religio 110
Boëmorum seditio 39
Boëmi schismatici 692
Boëmi primores, & ciuitates catholicæ 87
Boëmi an sint in ecclesia 681
bona cur ecclesijs attributa 561

Brandeburgici qui 47
Brentij leuitas 194
Brentij petulantia 318
Brentij & Lutheri catechismi reiecti 167
Bucери uarietas 195
Bucери mendacium 94

C.

Caluini ineptiæ 710
caluini traditio 719
caluini secessio 67
caluini spiritus 77
caluini maledicentia notatur 53
caluini impia dogmata 222
de Caluino aliorum sententia 150
caluinus cum Beza Galliæ turbator 150
caluini & aliorum iudicium de infantium baptismo 185
campani spiritus 77
Carolstadij spiritus 77
Carolstadius homo furiosus 393
cæremonialia præcepta 352
cæremoniæ circa baptismum 314
cæremonialium præceptorum usus 334
cæremoniæ externæ apud Christianos 312
casuum reseruatio 639
Catholicus quis 499
catholicum quid 496
catholica cur dicatur ecclesia 499
catholica etiam tempore Apostolorum ecclesia 499

Catholicum dogma quo modo cognoscendum 120
cataphryges non catholicæ 50
Cazimirus Rex Polon. Boëmorum regnum aspernatus est. 248
census solutio 71
cerdoniani uetus testamentum reijciunt 36
christianorum priscorum uita 3
Christi tunica inconsutilis 4
christiani quo modo liberi sint à lege ueteri 34
Christianæ legis perfectio 35
Christus non omnia simul Apostolos docuit 29
christus mutauit doctrinam & instituta sua 42
christus ueræ religionis Doctor 26
christus gladium misit in terram 75
christus non solum seruator est, uerumetiam magister. 260
christus in ecclesia Cathol. quærendus 112
christi doctrina uerbum Dei est 260
chrismatis consecratio 635
chrismatis usus 637
chrismatis usus in ordinibus 627
chrismatis & impositionis manuum in ordinationibus efficacia 628
circumcisio spiritualium 335
circumcellionum mutua occisio 365
clauium traditio 719

claues ecclesiæ datæ 733
claues regni cœlorum 715
coadunatio multorum duplex 529
collatio ministeriorum, & beneficiorũ prouisio & institutio 624
cœlibatus uotum 838
cœlibatus inuitis non præcipitur 837
cœlibatus lex non est contra euangelium 836
collegiorum seu capitulorum officium 617
colloquia de religione qualia probanda sint 249
communicationis facultatum ratio 559
de Communione sub una uel utraq; specie uariæ opiniones 174
concilij hierosolymitani ratio 722
concilij Florentini decretum de potestate & eminentia Rom pontif. 795
concilij Florentini acta ac decreta 693
concilia quatuor à quodam damnata 54
conciliabulum Luneburg. damnatur 273
conciones hæreticorum 678
concionatores euangelici seditiosi 41
concionandi & docendi ratio in ecclesia superioris temporis 234
confirmationis minister episcopus 632
corruptelæ Illyrici, & aliorum hæreticor. 89
Constantini edictum de Rom. ecclesia & põtifice. 773
conciliorum euangelicorum ratio 562

continentiam seruari posse 839
continentia euangelicis stultitia 56
controuersia de scripto & sententia 409
Cypriani hallucinatio 374
Cypriani testimonium contra primatum Papar. 753

D.

Dæmonum scientiæ 369
dæmonum casus irreparabilis 454
Dauid Georgij hæresis 228
decretales epistolæ exustæ à Luthero 66
Deum esse perpetuò cum Christianis 391
Deus quid sit 387
Deus an sit causa peccati 189
Deus per homines uoluntatem suã nobis patefacit 302
Deus per malos quoq; suam uoluntatem patefacit 396
diabolus unde dicatur 45
diaboli astus in euertendo Christianismo 134
diaconus unde dictus 591
diaconi euangelistæ 553
diaconorum officia 625
disciplina ecclesiastica eneruata ab Euangelicis 61
dissidia catholicorum inter ipsos qualia 521
diuersitas & contrarietas an sit in Dei uerbo 354
Doctorum ueterum lapsus 80
doctrina Christiana uoce tradita est 264
do-

doctrina uera ecclesiæ non defuit 238
doctrina Christi an sit mutabilis 426
doctrina an iusta schismatis causa 823
doctrina Christi & apostol. mutata ab apostolis 429
doctrinæ euangelicæ & apostolicæ ratio 436
doctrinæ Christi ratio 433
doctrinæ uocabulum quid significet 412
doctrinam uita commendat 20
doctrinam uita impura non inquinat 18
doctrinam salutarem non omnem traditam esse ab Apostolis 42
dogmata non scripta 306
dogmata quæ pro nouis habentur ab Euangel. 88
Donatistarum error de ecclesia 476
donorum nomine quid ueniat 600

E.

Ebionitæ Pauli epistolas reijciunt 466
ecclesia Dei 453
ecclesia unde dicta 451
ecclesia ubi sit 807
ecclesia Dei terrena 457
ecclesia Christi sancta 475
ecclesia malignantium 451
ecclesia Melanch. 812
ecclesia quando esse cœperit 541

ecclesia prior quàm scriptura 273
ecclesia Rom mater Catholicæ ecclesiæ 752
ecclesia sequenda in omnibus 857
ecclesia regnum Dei, & regnum cœlorum 453
ecclesia cur dicatur apostolica 542
ecclesia quãdo errare cœperit secundũ Euãgelicos 88
ecclesia Dei quamdiu fuerit apud Hebræos 460
ecclesia militans ac triumphans 458
ecclesia nunquam à Deo deserta 119
ecclesia cur non prophetica 541
ecclesia Dei nunc soli sunt Christiani 461
ecclesia nihil statuit alienum à doctrina Christi 406
ecclesia uerbo Dei condita & gubernata 273
ecclesia Dei cœlestis ac terrestris una & non una 455
ecclesia uerbi Dei asseruatrix 400
ecclesia sancta est, licet malos contineat 487
ecclesia Catholica habet uerbum Dei, & rectum usum sacramentorum 469
ecclesia potest statuere præter doctrinam Christi & Apostolorum 407
cum Ecclesia, & in ecclesia manere Christum & spiritum sanctum 398
ecclesiastica potestas 58
ecclesiæ lenitas 42
ecclesiæ Dei ueræ notæ 474
ecclesiæ authoritas 39
ecclesiæ dignitas 46

ecclesiæ humanæ 451
ecclesiæ encomium 398
ecclesiæ caput duplex 706
ecclesiæcontrouersia 462
ecclesiæ multæ 509
ecclesiæ impiorum 452
ecclesiæ Christi amplitudo 121
ecclesiasticæ politiæ duratio 556
ecclesiæ nomine quid ueniat 450
ecclesiæ nunquam defuit doctrina sana 233
ecclesiæ fundamentum Dei uerbum 464
ecclesiæ apostolicæ descriptio & hierarchia 544
ecclesiæ authoritas in damnandis hæresibus 418
ecclesiæ inimici, bonis ecclesiasticis enutriti 227
ecclesiæ particulares non habent certam promißionẽ certæ ueritatis 495
ecclesiæ signa secundum pseudeuangelicos 464
ecclesiæ Dei initium & idea 453
ecclesiæ militantis exordium & amplitudo 459
ecclesiæ statuta an, & quatenus obligent conscientias. 425.
ecclesiæ unitatem an rumpant instituta diuersa 693
ecclesiæ unitas in quo sita sit 534
ecclesiæ authoritas in mutanda Christi & Apostolorũ doctrina 437
ecclesiam an solus consensus in doctrina & sacramẽtis unam faciat 512

ecclesiam non gratia Dei facit unam 510
electio ministrorum in ecclesia catholica 667
de Enthusiastis aliorum iudicium 145
episcopus unde dicatur 610
episcopus unde dictus 590
episcopi pares & impares 768
episcopi ordinatio 627
episcopi creati sine electione 669
episcopi quatenus sint apostolorum successores 565
episcopi & presbyteri etiam à Christo datæ eccles. 552
episcoporum socij & administri 618
episcoporum electio & designatio in Polonia 670
episcop. iudiciaria potestas in cæteros ministros 621
episcoporum statuta seruanda etiam extra casum scandali 832
episcoporum officia 610
episcoporum authoritas in instituendis ministerijs ecclesiasticis 570
episcop. statuta, quæ hæreticis uidentur esse impia 836
episcoporum statuta obligant conscientias 831
episcopos & presbyteros non eosdem esse 587
epistola ad Laodicenses non Paulina 289
Erasmi Rother. studium 588
euangelia non Christi doctrinam continere 279
euangelia quando conscripta sint 272
euangelium quæ complectatur 513
euangelium quid 263

euangeliorum argumenta 275
euangelium non scriptum 264
euangelia cur sint prodita 274
euangelicæ legis seueritas 315
euangelij probandi & uindicandi rationes 267
euangelistæ tres, tertij tantum anni acta Christi conscripserunt 276
euangelistarum propositum 274.278
euangelici uendicant sibi alienos 120
euangelici absurda sæpe concedũt per contentionẽ 213
euangelici oculos adulterij plenos habent 58
euangelici libertatem promittunt 73
euangelici falsi iactant uerbum Dei 23
euangelici in eucharistia idololatræ sunt 603
euangelici ministros ecclesiæ legitimos nõ habent 659
euangelici magistri mendaces 45
euangelici patribus authoritatem derogant 51
euangelici magistratus ecclesiasticos contemnunt 11
euangelici accusant et damnant ecclesiam 826
euangelici quomodo utantur testimonijs patrum 92
euangelici magistri sectas introducunt 45
euangelici labefactarunt authoritatem uerbi Dei 135
euangelici non sunt missi à Deo 11
euangelici deprauant aliena scripta 97
euangelici abutuntur scripturis 129
euangelici corruptionis serui 73
euangelici extra ecclesiam sunt 649

euangelicorum sales 2
euangelicorum iuramentum 43
euangelicorum lux 81
euangelicorum dißidia de bonorum operũ meritis 157
euangelicorum dißidia de adoratione corporis Christi 169
euangelicorum iugum graue 43
euangelicorum error de poteſtate eccleſiaſtica 584
euangelicorum ſuperintendentes 652
euangelicorum dogmata expreſſo Dei uerbo contraria 123
euangelicorum dißidia 697
euangelicorum libertas in quo conſiſtat 55
euangelicorum dißidia de Auguſtana Confeß. 147
euangelicorum diſcors & uaria doctrina 141
euãgelicorum nouationes, ut incõmodent eccleſiæ 293
euangelicorum contentiones de fide & operibus 15
euangelicorum in carnis deſiderijs pellectio 72
euangelicorum controuerſiæ de peccatorum remiſſione 169
euangelicorum pietas 4
euangelicorũ dogma de uoto cõtinẽtiæ ac cœlibatu 175
euangelicorum defectiones ab eccleſia cauſſæ 67
euangelicorum conſpirationes 216
euangelicorum nouitas 80
euangelicorum inter ipſos dißidia 157. 659
euangelicorum diſſenſiones de iuſtificatione 175

eucharistiæ adoratio 847
eucharistiæ sumendæ tempus mutatum 441
de Eucharistia in quibus conueniant Euangelici cum Catholicis 162
Eutychetis error 385
excommunicationis uis 338
excommunicationis origo & uis 523
excommunicatio uerbo Dei consentanea 339
excommunicationis contemptus 339
excommunicandi potestas ad quem pertineat 612

F.

Falsi prophetæ nota 10.17
fatuum & impium principis cuiusdam dictum 177
fides recta de Cœna domini 114
fidei analogia 401
fides an sit pars pœnitentiæ 185
fractionis panis circa domos ratio 560
Frider. Staph. acerrimus oppugnator hæreticorum 16
fructus Christianorum 19
fructus doctrinæ pseudeuangelicæ 30
fructus prophetæ à quibus dijudicandi sint 21

G.

Gallici motus concitatores 39

Galli magistri religionis in Polonia 82
Gdanensis ciuitatis seditio 39
Gentium iura & instituta non tollit religio 562
Georg. ducis Saxon. dictum 199
germaniæ clades 37
gratiæ Dei uis & efficacia 331
Græcia & Syria à Latinis gubernata 686
Græci schismatici 692
Græciæ & Asiæ ruina ex hæresi 496
Græci quare schismatici 705
Græci an sint in ecclesia 681
Græci desciuere sæpius ab ecclesia catholica 687
Græci non retinent politiam apostolicam, & unitatẽ ecclesiæ 694
Græci & Russi non est catholica ecclesia 684
Græcorum Confessio de Rom Pontif. 706
Græcorum reconciliatio 87
Græcorum defectiones 86
Græcorum defectiones & reditus 690
Gregorius cur ab Oecumenici nomine abhorruerit 768

H.

Hæresis quid 213
hæretici uitandi 245
hæretici spiritum sanctum sibi arrogant 395
hæretici honestæ uitæ 20

hæ-

hæretici & schismatici ad ecclesiam nõ pertinẽt 648
hæretici secundũ pseudeuangelicos in ecclesia sunt 515
hæretici oppugnantes se inuicem, ecclesiæ contra se te-
la subministrant 230
hæretici quomodo olim in animos hominum se insinua-
bant 21
hæretici nostri temporis pugnantes inter se 468
hæretici docti, & in scripturis exercitati 369
hæretici falsò iactant spiritum Dei 392
hæretici secum ipsi singuli pugnant 192
hæretici puniendi an sint, uariæ Euangelicorũ opinio-
nes. 183
hæresẽon fundamentum 219.222
hæresẽon nostri temporis propagandarũ causſa 254
hæreses è scripturis malè intellectis extitere 362
hæreses nunquam præualuerunt aduersus Eccles. 122
hæreses Polonicæ 154
hæreticorum propositum 28
hæreticorum confidentia in disputando 229
hæreticorum argumentationes 321
hæreticorum uetustiorum dogmata 116
hæreticorum conciones 678
hæreticorum librorum lectio interdicta 244
hæreticorum dißidium interitum eorum accelerat 136
hæreticorum conciliabulum 378
hæreticorum studium in legendis theologis 238
hæreticorum scripta cauenda 241

hæ-

hæreticorum scripta qualia 240
hebræi non sola scriptura nituntur 390
hebræorum diuersa à lege & prophetis instituta 41
historia eccleſiast. Magdeburg. mendacijs scatet 26
historiæ eccleſ. Magdeburg. fraudes 15
historiarum ueteris testamenti usus 34
hominis præstantia ratio & oratio 25
Homousij dogma non fuit nouitium 42
humanæ intelligentiæ ratio 46
humani lapsus instauratio 45
Hussi error de ecclesia 47
hussitarum paucitas 68
hussitarum ministri quales 68

I.

Idololatriæ initium 26
ieiunium cultus Dei 834
ieiunij & festorum merita ibid
Illyrici impudentia 94. (cent. 54
imagines Christi & Sãctorum Euãgelici quo modo tra
imperatores & reges excõmunicati ab episcopis 61
de Imaginibus sanctorum dissensio Euang. 180
indocti ijdem instabiles 37
indocti & instabiles qui dicantur 37
institutæ religionis duplicia 69
institutæ & mores rerumpub. edictaq; legis uim obti-
nent 410
in

intercessio sanctorum â Luthero probatur 201
interpretationem scripturæ per scripturam non semper esse certam & sufficientem 381
interpretationi & doctrinæ cuiuslibet nõ fidendũ 371
inuocare quid sit 850
de Inuocatione sanctorum controuersia 179
Ioan. Lasci defectio 67
Ioan. Lasci notæ ecclesiæ 470
Iudas rectê apostolico munere functus 484
Iudæi & Apostoli cur sint ad scripturas remissi 320
iudicium de impijs episcopis 826
iudicium hominum de bonis & malis fallax 243
iudicium piarum ecclesiarum de Caluinianis 152
iudicium de doctrina ad quem pertineat 655
iudicium de doctrina ad quos pertineat 616.617
iudicia ciuilia permissa episcoopis 615
iudicialia præcepta 337. (stianis. 342
iudicialia & cæremonialia præcepta licet seruare Chri
iudicialium præceptorum usus apud Christianos 338
iudiciaria episcoporum potestas 614
iudiciaria potestas duplex 584
iuramentum euangelicorum 246
iurisdictio episcopalis quibus competat 624
iurisdictio ecclesiastica & secularis distinctæ 614
ius patron. laicis concessum 671
Iustini imperator. & Ioãnis patriar. recõciliatio 802

L.

Laici nomen Græcis & Latinis non infrequens 3
lapsus angelorum & hominum 454
lectio sacrarũ litterarũ quæ, & in quibus probãda 250
legis nomine quid ueniat 326
legis usus 348
legis usus apud Christianos 326
legis Mosaicæ finis 262
legalium præceptorum discrimen 329
legum condendarum ratio 433
lex libertatis 340
lex de libris hæret. exurendis 245
lex euangelica & Christiana 264
lex pædagogus ad Christum 321
lex gratiæ 341
lex Christiana dura & suauis 339
lex naturæ non penitus oblitterata in homine 459
lex uetus cur data sit Hebræis 324
libertas pseudeuangelicorum 494
Libertini negant carnis resurrectionem 228
ligare & soluere quomodo intelligendum 585
ligandi & soluendi potestas 733
Lithuanici recutiti 154
locus à Deo electus in ueteri testam. 739
Lutherus homo inconstans 394
Lutherus spiritu uertiginis præditus 8
Lutherus qui fuerit 6

lu-

Luth. & cæteri pseudeuangelici sunt falsi prophetæ 9
Lutherus de coniugio quid censeat 59
Lutherus epistolam Iacobi stramineam uocat 48
Lutherus damnatur à discipulis suis 394
Lutherus quo spiritu incitatus fuerit 76
Lutherus humanis constitutionibus parendum esse negat 50
Lutheri ludus 70
Lutheri de sacrificio testimonium 597
Lutheri censura de pœnitentia 184
Lutheri manis iactatio 393
Lutheri mors 6
Lutheri dogmata noua 102
Lutheri contraria dogmata 199
Lutheri scriptura ad ecclesiæ statum 52
Lutheri zelus 207
Luth. condemnatio an iusta secessionis caussa sit 821
Lutheri elogium 8
Lutheri sententia de Missæ sacrificio 176
Lutheri uaticinia & miracula 15
Lutheri & Melanchtonis sensus de Picardis 111
Luthero quid acciderit circa dæmonij eiectionem 15
de Luthero quid sentiant sui 7
de Luthero & Lutheranis aliorum hæreticorum iudicium 146
Lutheranæ doctrinæ exortus 65
Lutherani à sacramentario dogmate non abhorrent 217

lutherani hæreticorum uiam muniunt 395
lutherani idololatræ 679
lutheranismi initia 698
lutherani, Euangelici & protestantes dici malunt 46
lutherani honoratos uiros non uerentur maledictis im-
cessere 52
lutheranorum censura de scripturis Canonicis 48
lutheranorum concionandi ratio 234
lutheranorum uanitas 70
lutheranorum monita qualia 4
luth. operum editio Vitemberg. qualis sit. 182
lutheranorum uita notatur 56
lutheranorum audacia 48
lutheranorum error 510
lutheranorum dogmata quædam sine scripturis 309

M.

Machabæorum libri in canone 84
Magdeburgens. ciuitatis rebellio 39
magistratus unde 52
magistratus ecclesiæ necessarij 535
magistratuum ecclesiasticorum officia 534
Mahometis & Apollinaris lapsus occasio 364
mala à Diabolo 811
mali participes sanctitatis ecclesiæ 488
mali qualia sint membra ecclesiæ 486

malos esse uera membra ecclesiæ 482
malos & præscitos esse in ecclesia 477
Manichæi repudiant uetus testamentum 365
manichæi & Carpocratiani uetus testamentum reiiciunt 466
manichæorum & Lutheri error 349
manuum impositio non est otiosa 625
de Mediatore opiniones diuersæ 161
Melanthonis Spiritus 76
melanthonis ambitio & insolentia 666
melanthonis inconstantia 192
melanthonis & aliorum noua dogmata 104
melanthonis sententia de ecclesia 818
melanthonis mendacium 94
melanthonis iudicium de Brentio 149
de Melanthone aliorum iudicium 145
Memnonij assumptam humanam naturam in Christo negant 224
mendacem oportet esse memorem 100
merſio & perfusio in baptismi sacramento mutatæ 442
Messias promissus humano generi 325
militarium hominum studia in pace 239
ministri mali ecclesiæ utiliter ministrant 485
ministrum ecclesiæ potestas ministrandi facit 675
ministeria ecclesiastica euangelicorum qualia 652
ministeria ecclesiastica per apostolos distincta 550
ministeria ecclesiæ posterioris 568
ministeria ecclesiæ perpetua 565
cur Ministeria sint in ecclesia 578
ministeria distincta, & ministri 554

ministeria cur data eccclesiæ 555
ministeria ecclesiastica non omnia à Paulo enumerata 558
ministeria & instituta ecclesiæ primæ tẽporaria 559
ministeria quædam nascenti tantum ecclesiæ data 565
ministeria nuda 574
ministeriorum duratio 557
ministeriorum conferendorum uaria ratio 625
ministeriorum ecclesiæ discrimen 574
ministrorum ecclesiæ missio legitima xx
ministrorum collatio ad episcopos pertinet 622
ministeriorum exercendorum ratio apud euangelicos 655
miracula & uaticinia pseudeuangelicorum 14
miracula sanctorum euangelicis præstigiæ 54
miracula requirenda ab hæreticis 271
miraculorum ratio 565
Missa sacrificium & oblationem habet 840
Missa an idololatria 599
Missæ applicatio non pugnat cum euangelio 842
Monachi an sint ministri ecclesiæ 572
Monachorum & religiosorum usus 647
Monachorum duo genera 572
Monasterienſ. ciuitatis clades 39
Montani hæresis 391
moralium præceptorum summa & usus 330
Moschorum in pseudeuangelicorum concionatorem animaduersio 88
mutatio quorundam institutorum in Ecclesia 91
mystica interpretatio scripturæ 345

N.

Necessarium ad salutem an fiat aliquid quod prius non fuit 421
Ne propter idololatriam quidem secedendum ab ecclesia 810
Nicænum Concilium præter scripturam nonnihil statuit 420
Nominis commutatio 712
Nominum usurpandorum ratio 590
Non temere acquiescendum esse in cuiusquam hominis interpretatione scripturæ 373
Norimbergens. iustitutio sibi ipsi non constans 195
Nouatiani peccatoribus pœnitentiam denegant 364
Nouæ terræ habitatores à nobis religionem accipiunt 685

O.

Œcumenicus & œcumenicæ ecclesiæ episcopus Rom. Pontifex 767
Olei benedictio 636
Oratio & benedictio differunt 607
Ordo conseruator rerum & unitatis 529
Ordinatio à non episcopis facta 627
Ordinis conseruatores magistratus 531
Ordines sacri 566
Ordinationes euangelicorum ministrorum 661
Ordines maiores & minores 568
Origenis errores 375
Origenis scripta ab hæreticis depravata 397
Osiandri spiritus 77
Oues cur Christiani 242

Ouilia vestimenta quid 22. 24

P.

Papa uicarius Christi 707
papa summus pastor 709
papa an sit Antichristus 700
papæ appellationes 769
de Paschæ festo controuersia ac definitio 796
paschatis diei seruandæ mutatio 440
pastores mali, pastores tamen sunt 676
Paulus notatus ab Euangelicis 49
Paulus quantum tribuat ecclesiæ doctrinæ 405
Paulus par Petro 725
Paulus cur cum apostolis contulerit euangelium 404
Pauli epistolæ diuersis temporibus scriptæ 275
Pauli præcepta sine scripto tradita 299
Pauli epistolarum numerus & ordo 285
patriarchales sedes 684
peccatum originale 454
peccatores viua sunt & mortua membra ecclesiæ 485
peccata verè remittuntur à ministris 586
pœnas noui testamenti graviores esse quàm veteris 338
pœnitentium reconciliatio 638
Petrus notatus ab Euangelicis 49
Petrus circumcisionis apostolus 724
Petrus quando confirmarit fratres 737
Petri missio Samariam 721
Petri uerba in pseudeuangelicos accommodata 44
Petri prærogatiua seu primatus 712

Petri priuilegia non personalia 737
Petri successores Romani pontifices 735
Petri authoritas inter apostolos 720
Petri potestas in cæteros apostolos 734
Petri primatui oppositæ scripturæ 721
Petro soli claues datas esse 731
Petrum Romæ fuisse 739
Phocæ & Cõstantini Magni edicta 772
Phocæ imper. edictum de Rom. ecclesia & pontifice 773
Picardorum error de ecclesia 476
picardorum seu Valdensium dogmata 107
picardorum cum protestantibus & sacramentarijs dissensio 152
picardorum confessio de ecclesia 510.515
picardorum inconstantia 194
Pinciouianorum secta 161
Polonica conuenticula 699
Poloniæ sentina hæresêon 155
polonicorum euangelistarum dissidium 149
polorum constantia in religione 247
Pontifex unde dicatur 601
Pontificis maximi authoritate maximè conseruatur unitas & ordo in ecclesia 705
Pontificis Rom. eminentia tuetur unitatem & ordinem ecclesiæ 770
pontificiæ potestatis finis & eminentia 805
pontificiæ potestatis exempla 796
potestas & authoritas ministrorum ecclesiæ 576
præcepta mutabilia 436
præcepta immobilia 456

præceptorum Christi & ecclesiæ discrimen 426
Presbyteri & alij ministri socij & adiutores episcoporum 620
Presbyter unde dictus 590
Presbyteri episcoporum consiliarij 617
præsentatorum delectus penes episcopum est 672
præsides ecclesiæ non domini 575
principum & magistratuum barbara crudelitas 42
principum Christianorum officium in tuenda religione 774
principum edictis sanciuntur Dei & ecclesiæ præcepta 775
primogeniti in lege naturæ sacerdotes fuere 607
priscorum Christianorum pietas & modestia 42
prophetæ non secesserunt à populo idololatra 812
prophetæ miraculis probabant se à Deo missos esse 12
propter malos non secedendum ab ecclesia 820
protestatio contra Conc. Trident. mendax 96
protestantium præposterum iudicium de alijs hæreticis 518
psalmorum orationum, & aliorum ueteris testamenti scriptorum usus 343
pseudeuangelicæ doctrinæ forma 28
pseudeuangelici sine scripturis docent multa 640
pseudeuangelici unde discant theologiam 236
pseudeuangelici studia hominum ad lectionem scripturæ SS. excitarunt 233
pseudeuangelici quales 76
pseudeuangelici rectam uiam derelinquunt 63
pseudeuangelici se ipsos damnant 827
pseudeuangelici maledictionis filij 63

Pseudeuangelici mercedem iniquitatis amant 65
Pseudeuangelici fontes sine aqua 69
Pseudeuangelici calumniatores 138
Pseudeuangelicorum mos in disputando 18
Pseudeuangelici non sunt sancta ecclesia 494
Pseudeuangelici ecclesiam non credunt 220
Pseudeuangelici nebulæ turbinibus exagitatæ 70
Pseudeuangelici segregant semetipsos 74
Pseudeuangelici æquiparantur brutis animantibus 55
Pseudeuangelici non tenent apostolicã ecclesiam 650
Pseudeuangelici errores erroribus commutant 213
Pseudeuangelici damnantur ab alijs hæreticis 828
Pseudeuangelici abutuntur Eliæ exemplo 823
Pseudeuangelici, quomodo pelliciant animas instabiles 61
Pseudeuangelicorum temeritas & inconstantia 431
Pseudeuangelicorum secessionis causæ 819
Pseudeuangelicorum Dij 78
Pseudeuangelicorum cor auaritia exercitatum 62
Pseudeuangelicorum ministeria non consentanea institutis apostolicis 658
Pseudeuangelicorum calumnia de doctrina ecclesiæ 237
Pseudeuangelicorum tyrannis 718
Pseudeuangelicorum leuitas & inconstantia 199
Pseudeuangelicorum excusatio friuola 815
Pseudeuangelicorum dissidia 696
Pseudeuangelicorum nouandi omnia studium 651
Pseudeuangelicorum crudelitas 824
Pseudeuangelicorum concionatorum nota 63
Pseudeuangelicorum consensus 520

Purgatorium asserit Lutherus 209

R.

Rechabitarum traditio 350
religio uera retenta à patribus 262
religionis semina 261
religionum falsarum origo & turpitudo ibid.
rex seruus Dei 575
ritus externi in religione Christiana 311
rituum arcanæ rationes 315
Roman. Pontifex Petri successor 741
Roman. Pontificis primatus in ecclesia Christi 743
Roman. Pontificem esse Petri successorem & uicarium Christi 739
in Romana ecclesia Christi doctrina conseruata 3
Roman. Pont. hæreseôn extirpatores 701
Russi schismatici 692
Russi an sint in ecclesia 681
Russorum schisma 86
Russorum & Græcorum cum Rom. eccles. consensio, & cum pseudeuangelicis dissensio 84

S.

Sabbati commutatio 442
Sabellij hæresis 422.364

Sabellij error de Trinitate 364
ſacra ſcriptura hæreticorum liber 367
ſacramenta plura duobus 91
ſacramenta quid ſint 464
ſacramentorum contemptus 60
ſacramenta an ſint apud hæreticos 679
ſacramentorum ſingulorum adminiſtri 609
ſacramentorum adminiſtratio ibid.
ſacramentorum cum hæreticis communio illicita 680
ſacramentorum uirtus à Lutheroreijcitur 203
ſacramentorum numerus multiplex apud Euang. 188
ſacramentariorum mores 520
ſacramentariorum crudelitas 826
ſacramentariorũ lapſio circa Euchariſtiæ ſacram. 365
ſacramentariorum improbitas 113
ſacramentariorum dogma 222
de Sacramentis controuerſiæ 467
ſacerdos mediator 592
ſacerdotum officia 600.601
ſacerdotum Chriſtianum 592
ſacerdotum eſt benedicere 607
ſacerdotum ſucceſsio nota eccleſiæ euidentiſsima 642
ſacerdotiorũ ſiue miniſteriorũ collatio penes epiſc. 671
ſacerdotium & ſacrificium Chriſtianum 593
ſacerdotum nomine cur abſtinuerint apoſtoli ibid.
ſacerdotum eſt orare pro populo 604
ſacerdotum eſt laudare Deum 605

ſacerdotes quid deceat 5
ſacerdotes fuere primigeniti in lege naturæ 607
ſacerdotes à Chriſto inſtituti 598
ſacerdos uerbi Dei miniſter 608
ſacerdotes cœlibes euangelici non ferunt 176
ſacerdotum transfugarum ſiue apoſtatarum miniſteria qualia ſint 680
à ſacerdotibus ſecedens ab eccleſia ſecedit 815
ſacrificium pro mortuis 843
ſacrificium Chriſti cruentum & incruentum, & uſus utriuſq; 598
ſacrificij Chriſtiani ratio 843
ſacrificia ſpiritualia 335
ſacrificia Chriſtianorum 840
ſacrificia offerre pro peccatis quid ſignificet 600
ſacrificiorum legalium ratio 333
ſanctitas eccleſiæ qualis 489
ſancti quomodo inuocentur 850
ſancti mortui quomodo audiant implorantes ſe 855
ſanctitatem qui hæretici uendicare nequeant 493
ſanctorum inuocatio ante Gregorij tempora 90
ſanctorum Patrũ ſcripta torquentur ab hæreticis 304
ſanctorum patrum lapſus 374
ſanctorum inuocatio euangelio conſentanea 848
ſanctorum communio 489
ſatanas hæreticorum magiſter 27

Saxonum dissidium inter ipsos 166
Saxonicarum ecclesiarum inconstantia 195
Saxonicarum ecclesiarum confessio 148
schisma est fons hæreseos 527
schismaticum quid faciat 683
schismatis Euangelicorum caussæ 829
schismatis nulla est iusta caussa 809
schismatis ratio 691
schismatici & contemptores pontificiæ authoritatis extra ecclesiam sunt 808
schismatici sunt extra ecclesiam 525
schismatici non cõgregantur in nomine Christi 377
schismatici magis consentiunt cum ecclesia Romana, quàm cum hæreticis nostri temporis 84
scriptura non solum fidem & sacramenta continet 513
scriptura non quolibet sensu Dei uerbum est 355
scripturæ sacræ non solæ uerbum Dei 256
scripturæ S. cereus nasus 133
scripturæ sacræ intelligendæ triplex ratio 345
scripturæ interpretatio à Deo petenda 389
scripturæ difficultas 357
scripturæ apocryphæ & Canonicæ 400
scripturæ sacræ uerbum Dei 272
scripturæ sacræ atq; traditionis par authoritas 352
scripturæ damnatæ ab Euangelicis 48
scripturæ æquiuocationes 347

de

de scripturarum sensu controuersia 466
scripturas quo modo tractent hæretici 24
scripturis diuersa & contraria dogmata probãtur 133
de scripturis SS. controuersiæ 465
scripturis non omnem salutarẽ doctrinã contineri 289
sectarum nomina & capita 143
seditiones contra præsides 34
sermo & uerbum interpres est mentis 257
Simon Magus seductor Samaritanorum 392
signa uisibilia in cõfirmatione & excõmunicatione 633
Sleidanus qualis historicus 38
Smalcaldica confœderatio 37
sophistica Lutheranorum refugia 191
spiritus non semper adest singulis hominibus 396
Stancici facetum dictum in auaros 4
Stancari error de Christi humanitate 226
Stancari de Geneuens. & Tigurinis iudicium 151
Stanislaus Hosius calumnia impetitus 96
stultitia cuiusdam insignis 156
Suencfeldij errores 227
symbolum unde dictum 471
symbolum Lutheranorum mutilum 220
symboli Apostolici authoritas 219
symbola à pseudeuangelicis recepta 472
symbola sine scripturis suscepta 308
symbola Euangelicorum 220

Synodorum testimonia de principatu Rom. pont. 775

T.

Templa & oratoria condita 560
templorum, altarium, uasorum, & uestium sacrarum dedicatio 634
Tertulliani error 374
Theodosij edictum 687
theologus quidam post insaniam factus inconstans 153
Tigurinorum & Geneuensium dissensio 161
traditiones in ueteri testamento 350
traditiones Apostolicæ in mysterio 310
traditiones, quas recipiant hæretici 305
traditiones Apostolicæ & propheticæ diuinæ sunt 354
de traditionibus quid senserint apostoli 351
de traditionibus Christi & Pauli sententia 352
transsubstantiatio in eucharistia 846
transsubstantiatio apud Lutheranos 163
Trinitariorum & Caluinianorũ de Luthero iudiciũ 155

V.

Valent. Gentilis impietas 144.214.231
uerbum Dei quid appelletur 258
uerbum Dei mutabile 426
uerbum Dei an obscuratũm sit à papistis 81
uerbum Dei religionis fundamentum 255
uerbum Dei fundamentum ecclesiæ 464

uerbum Dei unde petendum 465
Vergerij apostasia 67
ueritas in ecclesia quærenda 403
ueritas fulguri similis 402
ueteris testamenti scripturæ an, & quomodo seruandæ Christianis 323
Vicleffi error de ecclesia 476
uirginum uelatio 638
Virtembergen. Confessionis mendacium 94
uita membrorum ecclesiæ duplex 486
uita hominis triplex 485
unitatis conseruator unus 532
unitas à multitudine malè conseruatur 695
unitatis conseruatur unus summus præsul 699
una fides, unum baptisma quomodo intelligendum 514
unctio baptizatorum duplex 638
uocatio Dei ad ministerium eccles. 550
Volfgango Musculo mala fides in interpretando Socrate 98
Vormatiensis collocutorum Euang. mendacium 100
uxores cur datæ sacerdotibus & monachis 66

Z.

Zuinglij spiritus 77
Zuinglij acta & mors 38

FINIS.


BENEDICES
CORONÆ ANNI
BENIGNITATIS
TVÆ. PSAL. 64

E-20,279

MARTINI CROMERI COLLOQVIORVM DE RELIGIONE, LIBER QVARTVS:

QVI EST

De doctrina Ecclesiæ.

Bibliotheca Seminarii Vaticensis EX LIBRIS Nr Dp 151 Olstini

Colloquium prius, quod septimum est à primo.

AVLICVS. Magnam tibi, mi pater, habeo gratiam, quòd ad me prodijsti. MON. Lubens id feci: quãquam erat reuera aliud quiddam, quod agerem. AVL. Quænam actio Deo gratior, & religioso homini magis consentanea esse potest, quàm docere ignorantes, errantes in viam reducere, afflictos verbo Dei consolari? Meo quidem iudicio gratiora hæc sunt Deo, quàm psalterium & prolixæ precationes. MON. Habet quilibet status hominum peculiaria sua officia, quę eum tueri & præstare in primis par est. Quæ vbi fecerit, potest, atq; adeò debet homo Christianus alijs quoque rationibus pro virili sua gloriæ Dei, & proximorum saluti atque vti-

Christiani hominis officia.

litati inseruire, ita vt in aliena tamen ab insti-
Orandi sedulitas quàm vtilis sit. tuto suo negotia sese non iugerat. Est reuera tamen laudabile, Deoq; gratum, docere proximum: sed neq; psalterium & prolixas pre-
Exod. 17. cationes damnare te oportet. Moses quidē prolixa precatione Amalechitas vicit & pro-
4. Reg. 19. fligauit, magis quàm Iosue dux cū vniuerso exercitu Hebręorum armis. Ezechias quoq; rex non gladio, sed precatione potentiss. & superbissimū regem Assyriorum superauit, interfectis vna nocte per angelum in exercitu eius centum octoginta quinque millibus
Luc. 22. hominum. Scribit etiā Lucas de Christo do-
Luc. 6. mino nostro, eū prolixius orasse: Alibi verò,
Luc. 5. pernoctasse in oratione Dei. Et alibi, Quòd secedebat in desertum & orabat. Et tamen ille non in hoc venerat in mundum, vt oraret, sed vt doceret, & sicut ipse ait, vt quæreret & saluum faceret id, quod perierat. Idem autē
Lu. 9. Lucas laudat Annam viduam prophetam,
Luc. 2. quòd non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus colens Deum nocte ac die.
Lu. 18. Testificatur etiam, Christum docuisse, quòd oportet semper orare, & non deficicere. Ad
1. Thess. 5. eundē modum Paulus iubet Thessalonicenses sine intermissione orare. Non raro sanè perinde, ac magis etiā cōmodare homo homini potest & opitulari precatione, quàm do-

ctrina.

ctrina. Quid enim proficit homo docendo, nisi Deus intellectũ illustret ac intus doceat? Ego plantaui, inquit Paulus, Apollo rigauit: sed Deus incrementũ dedit: Apud quẽ multum valet deprecatio vnius pro alio. Sed non hac de causſa conuenimus modò. AVL. Sic est: Neq; ego eam ob causſam hæc dixi, quòd parui faciã precationes, sed vt iocarer tecũ. MON. Norunt aulici ridendo, id quod clausũm habent in pectore, dicere. AVL. Missa istæc faciamus, & ad rem potius veniamus. Vt autẽ intelligas non lusisse te operã hoc tri duo, summam eorum, quæ dixisti, paucis exponam. Prima die demonstrasti, Lutherum, eiusq; siue discipulos, siue socios, siue æmulos, pseudoprohetas & seductores esse, eorũ que doctrinã, quæ nostra ętate in Germania exorta est, quamlibet verbo Dei glorietur, nouam, prauã, falsam, ac impiam esse, verboque Dei contrariam, & sibijpsi non constare. Altera die probasti, religionẽ nostram Christianã verbo Dei niti: quod nos in omnibus firmiter amplecti & sequi oporteat. Id autẽ partim sacris scripturis, quas nobis authoritas ecclesiæ tradiderit, cõtineri, partim viua voce, vel moribus & in silentio à filio Dei & apostolis eius proditum, ab eadem ecclesia fideliter conseruari, & quasi per manus

1. Cor. 3. Iac. 5.

Anacephaleæosis superiorum librorum.

nobis tradi. Et scripturas autem non quolibet sensu pro verbo Dei haberi oportere, sed eo demum, quem ea ipsa nobis prodit ecclesia, fidelis verbi Dei custos, & expers erroris interpres. Quoniam autem hæretici quoque ecclesiam sibi vendicare, & nos ab ea excludere conantur, heri certas notas exposuisti, quibus eam ipsam ecclesiam, vbi, & quæ sit, certò nosse possimus: Nimirum quæ sit vna, sancta, catholica, & apostolica. Vbi euidenter descripsisti ordinem & hierarchiam apostolicam, quæ per successionem episcoporum & Rom. seu summorum pontificum perpetua ab initio semper fuit in ecclesia, & ad finem vsque permanebit: Et est certissima eius nota. Huius ecclesiæ doctrina cum nos perinde atq; columna ac firmamento veritatis per omnia non modò in recipiendis ac intelligendis scripturis, verum etiam in ijs, quæ ea sine scripto à Christo & apostolis eius quasi per manus tradita acce-

Propositio pit, quæq; ipsa nobis præcipit, firmiter niti oporteat, hodie te mihi demonstraturum esse promisisti quænam ea doctrina, & vbi quærenda sit. Peto igitur abs te, ostende mihi rationem certam, qua doctrinam ecclesiæ internoscere queam. MON. Rectè tenes omnia, de quibus per hos dies inter nos collocu-

locuti sumus, ac rectè, quod reliquum est, exigis. Tanto maiori igitur studio & alacritate ego quoque, fretus gratia Dei, desiderio tuo, quoad potero, satisfaciam. AVL. Paratum me habes auditorem. Equidem, quonam modo ecclesia acceptam à Christo & apostolis eius doctrinam conseruet, intelligere mihi videor. Quomodo autem quem piam docere possit, non intelligo, cum ea sit cœtus & congregatio vniuersi populi Christiani in religione consentientis. Quando enim vsu venit, aut venire potest, vt omnes Christiani populi in vnum locum conueniant, & vna voce, vel scripto doctrinam aliquam edant? MON. Tametsi multa ea de re nudius tertius à me dicta sunt, tamen si adhuc dubitas docere nos ecclesiam, docebit te Christus dicens: Qui non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Doceat enim & præcipiat aliquid oportet is, qui audiri iubetur. Quomodo autē ecclesia doceat, non difficulter intelliges, si memineris, ei veluti viuo & ratione prædito corpori Christi sua membra in sacris scripturis attribui. Quo fit, vt ea neque ore & lingua careat, quibus loquatur; neque digitis, quibus scribat; neque nutu, gestu, & actionibus: Quibus omnibus rebus verba & ser-

Matth. 18.

Ecclesia quomodo doceat.

monem, quo docendi munus peragitur, promi quodam modo antehac à me earundem scripturarum testimonijs & exemplis demonstratum est. Erit igitur doctrina ecclesiæ non magis id, quod lingua scriptísve eiusproditur, quàm quod actionibus & moribus, sensuq; & consensu omniũ, vel plurimarum atq; præcipuarum ecclesiarum, è quibus catholica constat ecclesia, receptũ, hominibus Christianis imitandũ, intelligẽdum, credendúmve proponitur. Linguæ autem, & digitorum, quod ad scribendum attinet, vicem obtinent in ecclesia ij, penes quos est docẽdi authoritas. AVL. Apage. Videris mihi sub specie doctrinæ ecclesiasticæ doctrinarũ traditionumq; humanarũ onus hominibus libertate à Christo donatis velle imponere. Memini enim, nuper te docẽdi in ecclesia authoritatẽ præsidibus & administris eius episcopis & sacerdotibus attribuere, & ea verò, quæ moribus & cõsuetudine inoleuerũt in ecclesia, traditionũ nomine cõprehendi dubiũ non est: Et quidem humanarũ, quandoquidẽ ab hominibus ducunt originẽ. MON. Vehementer isti pseudeuangelici se nos premere putãt odioso traditionũ nomine, propterea quòd in euangelio legunt, Scribas & Pharisæos à Christo increpitos esse propter tradi-

Doctrina ecclesiæ.

Lingua ac digiti ecclesiæ.

Traditionum diuersitas & distinctio. Matth. 15.

traditiones. Quasi verò is omnes prorsus traditiones damnarit. Certè, ne hic sim prolixior, quando quidem dixi nuper nõnulla ad hanc rem pertinentia, Brentius eam traditionẽ, qua nobis scripturę sacrę traditæ sunt, amplectendã esse affirmat. Nec cæteri pseudeuangelici in hoc ab eo dissentiunt. Nugatur is quidem, eam traditionẽ diuinam esse. Verũ id ego falsum esse paulopost conuincã. Nunc satis est ostendisse, etiã istorum ipsorum sententia non omnes cuiusq; modi traditiones à Christo damnatas esse: quando quidẽ diuinas ij amplectẽdas esse cẽsent. Quin apostolicas quoq;, opinor, è numero reiectitiarũ eximunt, illis Pauli verbis adducti. Itaq; fratres, state & tenete traditiões, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolã nostram. Et illis. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Vel illis deniq;. Denuncia-mus aut vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulãte inordinatè, & non secundũ traditionẽ quã acceperunt à nobis. Mart. qui dẽ Kemnitius, siue quisquis author est eius operis, quod nuper in lucẽ editũ, inscribitur: Examen decretorũ concilij Tridẽtini, negat à suis euangelicis reprobari eas, quas certo

Brent.

Traditiones diuinæ recipiuntur ab hæreticis.

Traditiones apostolicæ. 2. Thess. 2.

2. Thess. 3.

Kemn. exami. parte. 1.

constat, veras & antiquas esse apostolorum traditiones. AVL. Humanas illi modò traditiones Christi sententia damnatas esse aiunt. Ait enim is; Frustra colunt me docentes doctrinas & mãdata hominum. Paulus autem: Videte ne quis vos decipiat per philosophiã & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum. MON. Quasi verò apostoli homines non fuerint: Aut quasi ea tantum ij docuerint, quæ à Deo didicerant. Paulus quidem apertè profitetur, quædam se pro domini mandatis, quædam de suo docere ac præcipere. Qua de re plura nuper dixi. Sed age: De aliorum hominum, non de apostolorum traditionibus ac doctrinis illa dixerit Christus: num aut omnes eæ sine vllo delectu damnatæ sunt? Non opinor hoc istos dicturos esse, si meminerũt Rechabitarum traditionem illam de abstinendo à potu vini & alijs quibusdam rebus, non modo non damnatam, verumetiam laudatã, & præmijs suis ornatã esse à Deo per Hieremiam prophetã. Ea quidẽ certè non fuit apostolica. Quemadmodum nec illa, quam tradidere Cain & Abel posteris suis de offerendis Deo primitijs: Nec illa Noe de altari & holocaustis; Nec illa Abraami & nepotis eius Iacobi de decimis. Quid aũt illa Machabæorũ de festo Encænio-

Traditiones humanæ. Col. 2: 1. Cor. 3. & 7. Traditiones humanæ approbatæ. Hier. 35. Gen. 4. Gen. 8. 14. 28. 1. Mach. 4.

cæniorum, quam Christus ipse seruauit? Nõ igitur omnes prorsus humanas traditiones atque doctrinas Christus illis ex Esaia petitis verbis damnauit: sed eas modò, quæ cum mandato Dei pugnant, & prauũ, & ab implete mandatorum Dei retrahentem vel remorantem bonarum, vel certe non malarum traditionum vsum, quemadmodũ prius quo que à me dictũ est. Redarguit enim scribas & pharisæos, quòd transgrederentur mandatum Dei propter traditionem suam. Et ne temerè hoc ipsis facere videretur, Esaiæ prophetæ authoritatem ipsis opposuit: Frustra, inquit, hoc est sine fructu, colunt me, docentes doctrinas & mandata hominũ. Non quia non possent illa, de quibus ibi agitur, fructuose fieri, sed quoniam Iudæi acquiescentes in ijs, relinquebant ea, quæ grauiora sunt legis: cũ hæc oporteret facere, & illa nõ omittere secundum eiusdem Christi doctrinam de decimandis menta, anetho & cymion. Quẽadmodũ & apud Esaiã Deus sua ipse mãdata de ferijs, ieiunijs & sacrificijs, seu verius obseruationem eorum peruersam & præposteram damnat. Ipsa enim ritè seruata deinceps quoque approbauit & acceptauit. Quemadmodum heri vesperi ostendi, & planum est è primis duobus Lucæ euangelij capitibus.

Ioan. 10.

Traditiones quales damnatæ à Christo.

Esa. 29.

Matth. 23.

Esai. 1.

Non erat sanè damnabilis illa Pharisæorum traditio, qua docebant; Prodesse parentibus liberorũ oblationes. Quî minus enim eę pro sint, quam prosunt parentum oblationes liberis? Quas in Iob probat scriptura. Non igitur traditionem illam Christus reprehendit, sed illud reprehendit, quòd ea freti liberi, & satis habẽtes munera & sacrificia offerre pro parẽtibus, nihil amplius officij ac pietatis ijs exhibebant, scribis & pharisæis conniuentibus, vel etiã approbantibus. Quod ipsa Christi verba disertè nobis ostẽdunt. Addit enim is, vt est apud Marcũ: Et vltra nõ dimittitis eũ quidquam facere patri suo aut matri. Paulus verò non nisi de priuatorũ & pseudapostolorum traditionibus ijs, quibus homines à recta & vera Christi religione reuocabantur, agit. Non enim absolutè Colossenses præmonuit, vt sibi à quauis hominum traditione cauerent, sed à deceptione, quæ per philosophiam & inanem fallaciam fieret, secundum traditionem hominũ. Neq; hic substitit: sed addidit: secundum elemẽta mundi. Ac ne id quidẽ fuit satis: Sed id quoq; explicauit adijciens; Et non secundum Christum. Hoc est: Aduersus Christi, & eam, quę secundum pietatem est, quẽadmodũ ipsemet alibi scribit doctrinã. Quo fit, vt aliquanto post etiam, ci

Iob. 1.

Mar. 7.

Col. 2.

1. Tim. 6.

idem

idem præcepta ac doctrinas hominum commemorat, eiusdē modi aliquid exaudiendū sit. Alibi quoq; nō quęuis mādata hominum damnat: Sed addit, quemadmodum antea quoq; ex me audisti: Auersantium se à veritate: Quæ ad Timotheum scribens, Profana & vaniloquia appellat. Ad Hebrēos autē, Varias & peregrinas (nimirū à moribus & institutis ecclesiæ catholicæ) doctrinas. Quales esse istorū pseudeuangelicorū, in primo nostro colloquio ostēdi. Non igitur statim dānabile est, quidquid traditionū humanarū nomine censetur. Sed id demū, quod Christi & apostolorum doctrinæ vel ipsum per se, vel abusu seruātium contrarium est. Cęterū ecclesię Dei traditiones, ac doctrina omnis, siue ea moribus & institutis, siue scriptis prodita est, nō modò non damnanda, verumetiā obuijs, quod aiunt, vlnis amplectenda, & (nisi secundum Christi decretū pro ethnicis & publicanis haberi volumus) necessario seruanda est. Nec est dubitandū, quin ea recta sit, & verbo Dei consentanea, etiamsi nullum de ea verbū extet insacris litteris: Si modò ea (ecclesia inquā) est, vt est certè, colūna & firmamentū veritatis, ac tātas tamq́; certas habet perpetuę spiritus sancti præsentiæ ac magisterij promissiones, quemadmodum nudiustertius à

Tit. 1.

2. Tim. 2.

Heb. 13.

Traditiones ecclesiæ seruandæ.

Matth. 18.

me

me demonstratũ est. AVL. Fusius & explicatius de istis ecclesiasticæ doctrinę generibus dicere te velim. MON. Mos tibi geratur. Ac primũ de moribus & institutis ecclesię catholicæ dispiciamus. Hoc enim vnum genus est, quẽadmodũ dixi, doctrinæ ecclesiasticæ. Sic aũt de ijs scribit Augustinus: In his rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorũ pro lege tenẽda sunt. Damascenus autẽ; Quę Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot sęcula seruat inconcussa, minimè vana sunt, sed vtilia, Deo placita, salutiq; nostrę plurimum cõducibilia. Origenes verò; In ecclesiasticis, inquit, obseruationibus sunt nonnulla eiusmodi, quę omnibus quidẽ facere necesse est, nec tamẽ ratio eorũ omnibus patet. Et mox quædã eiusmodi enumerat. Basilij Magni verba ad eandẽ rem pertinentia recitaui nudius tertius. Nicænæ vero primæ Oecumenicæ synodi canon: Consona, inquit, & cõueniens per omnes ecclesias consuetudo custodiẽda est. AVL. Pacta seruabo, ait Prętor. Me ministi, cõueniisse inter nos, vt scripturarum sanctarum, non doctorum vel synodorũ authoritate probares ea, quæ sunt in controuersia. MON. Bene mones. Nec sanè SS. doctorũ & synodorũ authoritate magnoperè opus est,

Mores & institutura ecclesiæ sunt eius doctrina.

Aug. ep. 86 ad Casul.

Dam. de orando pro mortuis.

Origen. in Num. ho. 1

Basil. de Spiritu S. cap. 27.

est,cum Paulum vas electionis habeamus in
stitutorum & consuetudinum ecclesiasticarum vim apertè & pœna grauissima sanci-
entem.Si quis,inquit ille, videtur contentio 1. Cor. 11.
sus esse,nos talem consuetudinem non habe
mus,neq; ecclesia Dei.Contentiosum appel
lat,qui ecclesiæ consuetudinem aspernatur. Gal. 5.
Alibi autem contentionem inter opera car-
nis recenset:De quibus ita pronunciat;Quo
niam qui talia agunt,regnum Dei non conse
quentur.Nónne igitur à regno Dei tibi ex-
cludere videtur eos,qui ecclesiæ consuetudi
nem contẽtiosè aspernantur? Quin videtur,
quod prius etiam dixi,ad illud Christi decre
tum respicere; Qui autem non audierit ec-
clesiam,sit tibi sicut ethnicus & publicanus.
Vides igitur quantam vim ad docendum ha
beat consuetudo traditioq; ecclesiastica, vt
eam aspernari fas nõ sit.Nec mirũ.E Christi
enim,ciúsve apostolorũ, aut certè apostoli-
corum virorum, virtute &pietate prẽstantiũ,
exẽplis vel institutis eæ ferme profluxerũt: Ioan. 13.
Quę sanè Christianis hominibus non modò
non aspernanda,sed magno studio amplectẽ
da sunt.Nam & Christus;Exemplũ enim,in-
quit,dedi vobis,vt, quemadmodum ego fe-
ci vobis,ita & vos faciatis.Et Paulus subinde 1. Cor. 11.
scribit,Imitatores mei estote. Idemq; iubet Philip. 3.

Hebræ-

Heb. 13: Hebræos imitari fidem præpositorum suorum, intuētes exitum conuersationis eorum. Et recitaui superius, quæ scribit idem de institutis siue traditionibus suis. Nimirū seruari eas præcipit, & adiectis etiam pœnis sancit. AVL. Interéstne quippiā inter exemplū, institutum, & consuetudinem? MON. Immò permultum. Exemplum enim vnius vel paucorum actio est, ad imitandum alijs non tam proposita, quàm accommodata. Cōsuetudo autem actio à multis frequētata, præsertim si nullum certū authorē præceptúmve habeat. Institutum id, quod quispiā faciendū verbis docet, exēplóve suo alijs præit. Ad consuetudinē pertinet, velato vel aperto capite orare. Ad institutū illud: Cætera cum venero disponā. Et illud; Sicut & ego disposui tibi: Et quæ de Rechabitis Hieremias prodidit. Ad exemplū; Imitatores mei estote. Et, Quorum imitamini fidē. Nam quod Christus discipulorū suorum pedes lauit, exēplum est simul & institutū. Quod illa eius verba testantur; Exemplū enim dedi vobis, vt quēadmodum ego feci, & vos faciatis. Traditionis aūt nomen instituta iuxta ac consuetudines, nescio an & exēpla complectitur. Sed non omnia tamen ea pro ecclesię doctrina habenda sunt. Exempla quidem, quæ vnius alicuius vel paucorum

Exemplū, institutum & consuetudo quo modo differant.

Exemplū.

Consuetudo.

Institutū.

Traditio.

rum sunt, ecclesiæ non sunt, nisi vsu publico recepta & approbata consuetudinis vim obtineant. De institutis postea dicam. Consuetudines vero ecclesiæ publicæ, non quæuis, sed quæ omniũ sunt tẽporum, omnium locorum, omnium Christianorum, vel certè pluri morum & præcipuorum, sicut prius etiam dixi, & ad cultum diuinum, fidem, morésve informandos, & externam inter Christianos disciplinã ac politiam pertinent. Tales enim pro doctrina vniuersæ ecclesiæ, siue adeò pro institutis atq; traditionibus apostolicis, vt vult Augustinus, habendæ sunt. Sic enim ille scribit: Multa non inueniuntur in apostolorum litteris, neq; in concilijs posterorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. Et alibi: Quod vniuersa tenet ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum est, nõ nisi authoritate apostolica traditum rectissimè creditur. Et alibi; Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quę quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri. In eandem sententiã scribit Leo ille magnus. Dubitandũ, inquit, non est dilecti-

Exempla quæ amplectenda.

Consuetudines ecclesiasticæ quæseruandæ, & quatenus.

Augu. li. 4. cap. 24. de bapt. contra Donat.

Idem li. 2. cap. 1.

Idem ad inquis. Ianu. lib. 1. ca. 1.

Leo in serm. de ieiun. Pentecost.

dilectiſsimi, omnẽ obſeruantiã Chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ. Et quidquid ab eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptum, de traditione apoſtolica, & de ſancti ſpiritus prodire doctrina. AVL. Hoc modo Bacchanalium licentia & intemperantia habenda erit pro doctrina eccleſiæ, vel ſi mauis traditione apoſtolica: itẽq; ambitus & nundi natio miniſteriorũ eccleſiaſticorum, ſiue ſacerdotiorũ, quam Simoniã, à Simone Mago opinor, vulgo vocãt. MON. Abſit. Corrupte læ hæ ſunt cum verbo Dei pugnantes. AVL. Annon vſitatũ eſt vtrunq; apud Chriſtianos populos, & ipſos adeò adminiſtros & moderatores eccleſiarum? M O. Vtinam id minus verũ eſset. Sunt ea quidem peruſitata & inueterata, ſed cum diuino cultui, tum politiæ diſciplinæq; eccleſiaſticæ inimica, & verbo Dei aduerſantia: Et ne ab illis ipſis quidẽ, qui ea ſibi permittunt, approbantur: Quin damnantur etiam, cum diſertis verbis atque ſanctionibus eorum, penes quos eſt docendi authoritas in eccleſia, tum eo ipſo, quòd ea clam ferè committuntur, & alienis coloribus obteguntur. Igitur non ſunt ea habenda pro doctrina eccleſiæ: Sed ſunt zizania, quæ inimicus homo frumẽto agri dominici, hoc eſt eccleſiæ Dei, noctu dormientibus moderatoribus

Conſuetudines praue vitãdæ.

Bacchanalia.

Simonia.

ribus eius superseminauit. Et vitanda ea sunt vnicuiq;, non amplectenda. Cedere enim debet consuetudo veritati, vt ait Cyprianus. Tertulianus autem, Quodcunq;, inquit, aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis: etiã vetus consuetudo. Augustinus verò: Ecclesia, inquit, Dei inter multã palcam, multaq; zizania constituta, multa tolerat, & tamen, quæ sunt cõtra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit. Hoc igitur obseruandum est in moribus ecclesiæ, vt ij demũ pro doctrina ecclesiæ catholicæ habeantur, qui cum sint publicè recepti antiquitus, à moderatoribus ecclesiæ approbãtur. AVL. Quàm multa autem viciosa & verbo Dei neutiquam consentanea in ecclesiam irrepserunt? vel cum initio rectè instituta essent, abusibus postea deprauata sunt? Quæ tamen à moderatoribus ecclesiæ non modò approbantur, verumetiam defenduntur & vindicantur. MO. Quàm multa autem sciolis videntur esse huiusmodi, quę recta sunt, & hominum saluti disciplinæq; ecclesiasticæ conducibilia, nec pugnant cum verbo Dei, licet eo expresse ac disertè comprehensa non sint? De quibus quorúmnã sit iudicare, iam prius ex me audiuisti non modò nostram, verumetiam pseudeuangelicorum cosentientem

Cypr. de hær. bap. Tert. de vela. virg. Augu. ad Inqu. Ian. lib. 2. c. 19.

nobiscum & cum sacris scripturis sentẽtiam. Et adhuc fortasse de eo dicẽdũ erit. Illud quidem persuasissimũ nobis esse debet: Ecclesiæ catholicæ, quæ colũna est & firmamẽtum veritatis, mores receptos & instituta omnia recta esse & salutaria, reuerẽterq; pro ecclesiæ doctrina omnibus amplectẽda. Huius generis est diei dominici vacatio & sanctificatio, apud omnes vbiq; Christianos iã inde ab initio recepta sine vlla cuiusquã scripturę authoritate, certiq; authoris instituto. Itẽq; baptisma infantũ: Quod quamuis nec ipsum cõstet diuina apostolica ve authoritate institutũ esse, tamẽ vniuersa per orbẽ terrarũ seruat, seruauitq; semper Christi ecclesia. Nec alia id nũc authoritate contra Anabaptistas defendũt, aut possũt defendere cæteri pseudeuãgelici: Quod antea quoq; me dicere memini. Vtinã quidẽ cõstarent ijdẽ sibi in cęteris, quę sunt eiusdẽ modi, in quibus iniuste à nobis expressi seu scripti verbi Dei authoritatẽ requirũt, quã ipsi Anabaptistis flagitãtib», quãlibet in omnia se vertãt, non proferũt: Huius etiã generis est sacrificiũ incruẽtũ, quod Missam vocam», & pleraq; omnia, quæ à Basilio, Tertulliano, & Origine enumerãtur, & aliàs à me recitata sunt. Atq; ea ferè ad vitã & mores, ritusq; & ceremonias cultus diuini pertinent

Dominica dies.

Baptisma infantium.

Missa sacrificium.

Basi. de spir. san. cap. 27.

Tert. de coro. mil.

Orig. in num. ho. 5.

nēt. Quæ exemplis actionibus, & moribus rectius, vel certè nō minus rectè, quàm verbis vel scriptis docētur. Nonnunquā tamē etiam in dogmatibus de fide explicandis, & in scripturarū sanctarū interpretatione hoc genus doctrinę magnā vim habet. Est enim, vt rectè etiā à iurecōsultis animaduersum est, optima legis interpres consuetudo. Quin Petrus etiā apostolus apud Clementē ait; Maiores traditionē Mosis & seniorū, clauē verbi Dei appellasse. Proinde rectè Vincētius Lyrineñ. de sententia sanctorū & doctorū virorū illum quasi gnomonē prę figit, ad quē omnibus in intelligēdis & exponēdis scripturis cursus potissimum dirigendus est: Nempe, vt diuinum canonē secundū vniuersalis ecclesię traditiones, & iuxtā catholici dogmatis regulas interpretētur. In quo item Catholicę apostolicæque ecclesiæ sequātur necesse est vniuersitatē, antiquitatē, consensionē. Quod in dogmatibus quoq; fidei itidē seruādū est, & seruatū est semper in ecclesia. Quare cum Nouatiani pœnitentes eos, qui baptizati Christū in tormentis negassent, recipiendos non esse contenderent, illis Pauli in epistola ad Hebræos verbis dogma suū confirmantes; Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerūt etiam donum cæleste, & participes

Consuetudo ecclesiæ in quibus valeat.

Consuetudo interpres scripturæ. ff. de leg. & senatus cō sul. de interpret. Clem. Recogn. li. 2.

Nouatianorum error de non recipiēdis pœnitentibus.

facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiã, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Hoc igitur cum sic illi Paulinę authoritatis prætextu cõtenderent, non alio argumento, quàm perpetua ecclesiæ consuetudine atq; traditione, nulli nunquam (quamlibet perdito) redeunti ad cor sinum claudere solitæ, refutati sunt; neq; rectũ id esse & religioni Christianę consentaneum, neq; illum esse verborum Paulinorum sensum. Quo cum premeretur Lutherus, disciplinæq; suæ principia labefactari animaduerteret, maluit temerè epistolã illam è sacro canone eximere, quàm authoritatem ecclesiæ in intelligendis verbis illis sequi, ne idem in alijs etiam, quæ sibi contra eam contendenda susceperat, facere necesse haberet. Sic illud de igne purgatorio dogma, quod ab istis nouatoribus, magna contentione in controuersiam reuocatur, perpetua catholicę Christi ecclesiæ cõsuetudine, per vniuersum orbem terrarum iam inde ab apostolicis tẽporibus pro mortuis orare, & incruentum sacrificiũ offerre Deo solitæ, facilè expeditur ac definitur. Sed aliud nunc agimus. Iam verò scripturarum sanctarum, in quibus solis

Lutherus epistolam ad Hebræos cur è canone eiecerit.

De purgatorio doctrina.

Scripturarũ censura ex traditione ecclesiæ

folis nouatores isti proram, quod dicitur, & puppim salutis humanæ ponunt, authoritatẽ vnde quæso habemus? Non opinor eos tam perfricta fronte esse, vt dicant; Quod voluimus sanctum est. Quod de Donatistis memoriæ prodidit Augustinus. Tametsi quid aliud sibi vult Catoniana illa Lutheri, & istorũ omnium de epistola Pauli ad Hebræos, & de Iacobi, & Petri item altera, de Apocalypsi, de libris Machabæorũ, ac de Ecclesiastico censura? Sed quomodo tandem isti nobis probant cæteras apostolorũ & euangelistarum scripta esse canonica, à spiritu sancto dictata, & pro verbo Dei habẽda? Illis quidẽ ipsis scripturis id probare non possunt: Nec alijs sanè vllis prioribus, vel posterioribus. Ne cõciliorum quidẽ decretis fortasse volẽt: ne in alijs quoque rebus eorũ authoritati stare cogãtur. Imò ne possunt quidẽ opinor. Nam in apostolicis concilijs, quorũ scriptura facit mentionẽ, de eo nihil actũ esse constat. Post apostolorum autem tẽpora totis ferme trecentis annis nullũ est habitum, vniuersale duntaxat, & cuius decretis omnes per totum orbẽ terrarũ Christiani teneantur. Intra id autẽ tẽpus iam sua constabat euangelicis & apostolicis literis authoritas, certusq; erat scripturarum sacrarum canõ. Hic se miserè torquet ac ver- August. ep. 86.

Bren. pericope 3. ca. de fac. scri.

fat in omnes partes Brentius. Ad extremum huc euadit, vt dicat, eam traditionẽ, quæ nobis in manus tradidit scripturas, non esse humanam, sed diuinã, & cælestibus testimonijs ac miraculis confirmatam, & euentibus prophetarum ac vaticiniorũ, quæ in his scripturis continentur, testificatam. Hoc autem qualitate dicitur, eadem negatur. Quærã enim ex eo: Viderítne ipse, aut quispiam alius eius similis, librum euangelij Matthæi vel Ioannis, vel epistolas Pauli cælitus volantes: sicut

Zach. 5. vidit Zacharias propheta volumẽ volans: aut

Apoc, 10. ab angelo sibi vel cuipiam alij oblatũ, quem admodum Ioannes in Apocalypsi sibi datum deuorandum oblatum esse memorat? Quod si vtrumuis dixerit, licebit mihi opinor, non credere, nisi idem ego ipse videro, aut ille se Deum esse probarit. Verum cælestibus, inquit, testimonijs & miraculis ea traditio confirmata est. Quibus? aut quãdo? Proferat quæso aliquid, quod non modo nos ignoramus, sed per tot sæcula, quot ab apostolis temporibus hucusq; fluxerunt, vniuersus terrarũ orbis ignorauit: quemadmodum de euãgelio suo isti gloriantur. Postremo vel euentus vaticiniorum, (quæ tamen in his scriptis, quæ dudum commemoraui, quæq; isti recipiunt, perpauca, & nondum ferè euentum sortita con-

continentur) ostendat. Tunc demum nos videremus, an credamus. Quod si nihil horum potest ex ecclesiastica traditiõe, quod ea sint canonica, & à spiritu sancto dictata, certum & compertum id nos habere fateatur oportet. Nisi fortè mauult hanc quoq; controuersiam ad iudicem viuorum & mortuorũ reijcere, vt liberũ sit interim cuiq; de ijs, vt vult, sentire. Nam de veritate eorũ & certitudine, nempe quod nihil sit ijs verius atq; certius, non quæritur. Cõsequetur id necessario, vbi constiterit, ea esse canonica, à spiritu sancto dictata. Nisi enim id aliunde constiterit, nec vera, nec certa ea esse necesse est. Quod isti, spero, nobis de ijs scripturis, quæ sub nominibus aliorum, vel etiam eorundem apostolorum circũferuntur, nec tamẽ ab ecclesia receptæ sunt, concedent. Non habẽt igitur ij, quò confugiant, nisi ad traditionem ecclesiæ. Ab ea nos scripturas apostolicas, & (cum multæ sub nominibus apostolorũ olim prodierint, ac extent etiamnum nonnullæ) quæ ex ijs canonicæ sint, quæ non sint, habere confiteantur necesse est. Quod si hanc traditionẽ admittunt, vt sanè admittunt, quid obstat, quo minus cæteris quoq; eiusdem modi traditionibus parem authoritatẽ concedant? Kemnitius, dũ videre vult genera earũ distinguere Kemn. Exam. Trid. part 1.

non hoc agit, sed enumerat modò nonnullas, & in ijs quasi Aristarchus quispiam arbitrarium delectum agit. At Brentius; Hæc, inquit, certa est, & necessaria, & modis omnibus amplectenda. Accipimus conditionem. Non exigimus ab eo, neq; à Kemnitio, vt incertas & fictitias amplectatur. Et in certis autem distinctionem illam necessariarũ & non necessariarum, siue fixarum & mobilium, itidẽ ac in ijs, quæ scripturis sacris prodita sunt, admittimus. Non obtrudimus pro necessarijs, si quæ sunt minus necessariæ, modò ne Brentij & similium eius censorum arbitrium sit, quæ sint necessariæ, quæ non sint: sed eius ipsius, quam audire diuinitus iubemur, ecclesiæ. Non arbitramur autem ipsum in cæteris maiorem certitudinem exigere, quàm in hac ista scripturarũ traditione ipse, vel alius quispiam demonstrare potest. De ea verò nos fortasse suo loco videbimus. Nunc satis sit ostendisse, traditionẽ & consuetudinem certam catholicæ ecclesiæ cum in ijs, quæ ad mores ritusq; sacros pertinent, tum interpretatione, atque adeo in approbatione quoq; & censura scripturarum, ac dogmatum explicatione pro certa ecclesiæ doctrina habendam & amplectendam esse nimirum, vt id te neamus, quemadmodum scribit Lyrinensis, quod

Brent. in proleg.

Traditiones necessariæ & nõ necessariæ.

quod vbiq;, quod semper, quod ab omnibus creditũ est. AVL. Atenim posſem ego fortasse nonnullas veteris ecclesiæ traditiones & consuetudines cõmemorare, quæ nunc à nobis non tam anxiè seruantur, vel penitus non seruantur? MON. Fateor. Et attigi ipse dudũ obiter distinctionem necessariarum & non necessariarum, fixarumq; & mobilium. Tale est ieiunium quartæ feriæ. Malo enim vulgato verbo vti, quàm ethnicorum more Mercurij diem dicere. Quin omnis fere prisca ieiuniorum ratio apud nos obsoleuit. Olim enim publico vniuersæ ecclesiæ vsu ieiunãtes ante vesperam cibum non gustabant. Et vesperi autem nihil animatum edebant, vinoq; abstinebant: Immò in plerisque omnibus rebus vetus disciplina ecclesiastica iam inde ab aliquot sæculis elanguit. Audiuisti nuper ex me, immo ex Luca euangelista, mores receptos primæ & apostolicorũ tẽporũ ecclesiæ, cũ omnia omnes habebãt cõmunia, possessiones q; & substantias vendebãt, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. AVL. Verum hęc temporaria fuere, & illis ipsis apostolicis temporibus exoleuerunt, temporum ratione mutata, quemadmodũ abs te ostensum est. Cæterum ieiunij ratio cur non eadem omnium temporum esse debeat, non in

Consuetudines temporariæ.

Ieiuniorũ prisca ratio.

Epiph. aduersus hær. lib. 3. to. 2. Athan. de virginit.

Act. 2.

Bibliotheca Vermicensis EX LIBRIS Nr Olstini

Consuetudinum eccles. mutatio.

telligo. MON. Est ea quidem eadem: Nec solum ieiunij, sed etiam nonnullarum aliarum rerum, & institutorum, quæ itidem cum in moribus ecclesię fuissent aliquando, esse postea desierũt. AVL. Igitur ea vel recta fuerũt initio, postea vero deprauata sunt; vel prauа cum fuissent, correcta sunt. Vtrumuis eligo. Euitare non potes, quin prauitatem & vitiũ consuetudinis, atque ita doctrinæ ecclesiasticæ agnoscas. Quam tu erroris expertem esse contendis. Prauum certè ac vitiosum esse oportet, quod corrigitur. Aut, si rectũ id fuit, deprauatur, cũ in diuersum mutatur. MON. Mane. In ijs rebus, quæ per se bonæ sunt, vel malæ, verum est fortasse, quod dicis. In medijs verò, quæ aliunde habent, quòd bonæ sunt, vel malæ, non eadem est ratio. Ex fine enim, ad quẽ referuntur, & ex vsu eæ ratione boni malíve habent. Tantisperq; bonæ sunt, quoad rei verè & per se bonæ rectè & accommodatè subseruiunt. Quòd si id non præstent, desinunt esse bonæ. Quædam autem, licet eam, quam dixi modò, boni rationẽ perpetuã obtineant, non vsque adeo tamen multum momenti habent, quin pertingere sine ijs ad id bonum, quod respiciunt, liceat. Itaque pro ratione temporum, locorum, & ventium eæ rectè mutantur certo consilio & autho-

thoritate magistratuũ, si obesse magis, quàm prodesse publicè incipiant, vel indulgentia & conniuẽtia: vtpote si ægre seruentur à multis, contemptaq́; aut neglecta vulgo maioris mali causſam vel occasionem præbeant. Hoc adeò peritis medicis non inusitatum est, vt ratione sanandi corporis modò hoc, modò aliud præcipiant; & quod ante præceperint, prohibeant, quodque prohibuerint, præcipiant, vel certè imbecillitati ægrotantis indulgeant, ne is austeritate nimia viribus & animo concidat, & periculum sibi augeat. Hoc idem sapientibus legum latoribus, & rerum publicarũ moderatoribus propositum esse debet: Estq́; propositum matri nostræ ecclesiæ, vt omnem ea doctrinam suam ad liberorum suorum salutem referat. Proinde ijs, quibus hominum salus potissimum continetur, probè constitutis, cætera, quæ sunt minoris momẽti & medij generis, tẽporibus & moribus vtentium accõmodat, ita vt ea illis vel certè ordini ac decoro in cœtibus Christiani populi conseruando subseruiant, & impedimento ne sint ad salutem. Nec semper ea summo iure nobiscum agit, sed multa imbecillitati humanæ prouidentia & pietate materna indulget, postea quam pietas hominũ elanguit, molliciesq́; consuetudine vitæ contracta

Ecclesiæ pietas & indulgentia.

tracta sæueriorẽ disciplinam fastidit. Præstat enim remittere nonnihil de disciplina, quàm omnem penitus sinere negligi & exolescere. Itaq; cum homines austeriorem, & ad necessitatem modo vitæ vtcunq; sustentandæ accommodatam victus rationem vulgo seruarent, robustiorá que & famis, aliorumque incommodorum tolerantiora haberent corpora, duriora ij ieiunia non inuiti amplecteban tur redigẽdorum in obsequium spiritus corporum caussa, & vel tota die, nonnulli etiam pluribus continuatis nihil omnino gustabãt, quẽadmodũ Philo Hebræus, & eum secutus Eusebius in historia sua ecclesiastica memorant, vel pane solo, aut certè hysopo, fructibúsve arborum additis, & aqua sub noctẽ esse modicè reficere sãtis habebãt. Cœpere deinde addi cocta olera, infirmioribus præsertim, nullis vel exiguis ac tenuibus admodum condimẽtis adhibitis. Qualia sunt sal, & oleũ ex arborum, fruticum, siue herbarum quarundã fructibus, radicibúsve expressum. Postea langue scente magis ac magis disciplina, & vigore illo animorũ pariter & corporum, educatione & victu molliore, amplius sibi indulgere cœperunt multi, partim imbecillitate adducti, vt rationabile eorum esset obsequium, & vt pijs & saluti aliorum hominum vtilio-

Philo de supplicibus. Euſ. li. 2. ca. 17.

Ieiuniorũ disciplina remissa.

vtilioribus laboribus sufficerent, partim exemplum illorum, qui pietati tamen consentaneam causſam habebant, secuti: vt est ingenium hominũ ad aliorum, eorum præsertim, quos sibi præstare putant, facta seu recta, seu praua imitanda procliue. Sic à nocte & vespera ad meridiem: à pane & aqua ad pisces minus cæterarum animantium carnibus nutricantes, alicubi etiam ad lactaria, & oua quoque ac vinum, collationésque item, aut refectiones vespertinas pedetentim peruentum est. Quibus iam alicubi cœnæ succedunt conniuentibus & indulgentibus ecclesiarum antistibus. Malebant enim ij laxata semel disciplina, vt vel simulacrum tamen aliquot ieiunij vulgo cum charitate retineretur, quàm vt homines refractis per vim disciplinæ & institutorum ecclesiasticorũ repagulis, etiam contumaciæ laqueis conscientias suas irretirent. Ex hoc genere morũ & institutorũ ecclesiasticorũ fuere & illa in prima ac nascente etiã tũ ecclesia, quę paulo post exoleuisse, vel antiquata esse nuper demõstraui. In hac autem indulgẽtia imitatur ecclesia cũ Paulũ vas electionis, modici vini vsum Timotheo propter stomachum & frequentes infirmitates eius permittẽtem, tum Deum conditorem & moderatorem suum, qui cum suauis sit, quemad modum

1. Tim. 5. Dei suauis rerũ dispositio.

modum testatur Psaltes, & pater, quàm dom
Psal.33. nus haberi malit, non rigidè, verum suauiter
omnia sapientia sua summa disponit, & cum
Sap.8. in veteri, tum in nouo testamẽto ad hunc mo
dum leges & præcepta sua attemperauit, sicu
ti ego etiam nuper ostendi; multaq; præce-
pit, quæ mutari nefas non esset, quæque vel
ipse nonnunquam mutauit, vel mutari ab ijs,
quorum vicaria opera in administrandis re-
bus vtitur, permisit. Quod si in diuinis & apo
stolicis pręceptis hanc habet ecclesia potesta
tem diuino freta spiritu, multo magis in suis
ipsius moribus, institutis, & canonibus. Eaq;
vtitur, quoties expedire publicè iudicat. Ita-
que & antiquari atque consenescere quæ-
dam pia conniuentia patitur, & abrogat ipsa,
quæ cum vtilia prius & salutaria fuissent, mi-
nus vtilia, vel etiam noxia esse incipiunt, &
moribus ingenijsq; cuiusque ætatis aut loci
4.Reg.18. hominum minus accommodata sunt. Quem
admodum rex Ezechias serpentem æneum,
cum eum adorare populus cœpisset, sustulit,
quem Moses in sempiternum peccati Israeli
tarum publici, & clementiæ Dei monimen-
tũ in tabernaculo Dei reposuerat. Apostoli
sublatis cæteris, aliquot legalia pręcepta de-
creto suo necessario sanxerũt, quæ & ipsa fe-
re paulo post exoleuerunt. Tantisper igitur
quid-

quid quàm pro ecclesia doctrina habendum est, quoad ratum fixumq; in moribus & institutis eius manet. Quod si quid inductum & abrogatum est, aut in desuetudinem populi Christiani indulgentibus vel conniuentibus ijs, penes quos est docendi potestas, abijt, desinit esse doctrina ecclesię. Et id quidẽ, quod sic in desuetudinẽ abijt, seruare cuiuis, vel nõ seruare deinceps licet, modo absit offendiculũ & scandalũ eorũ, inter quos viuimus: illud verò, quod abrogatũ est, seruare cuiquã fas non est cum contemptu ecclesiæ, secundum diuinum illud decretum: Qui non audierit ecclesiam, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Sic igitur de moribus & institutis vniuersalis ecclesiæ sentiendum est. AVL. Quî verò exploratum habebo, quæ sit vniuersalis ecclesiæ consuetudo, quæ non sit? Totúmve orbem terrarum percurram? MON. Non est necesse. Docebit id te vetustissimus & apostolicis tẽporibus propinquus scriptor Tertullianus. Qui omnem doctrinam non aliter probari debere, quàm per eas ecclesias, quas apostoli condidere, præscribit. Constare enim, omnem doctrinam, quę cum illis ecclesijs apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandum, id sine dubio tenentem, quod ecclesię ab apostolis, apo-

In consuetudinibus temperarijs quid sequendum.

Consuetudines ecclesiæ quomodo cognoscendæ.

Tert. de præscript.

apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.

Iren. adue. hær. lib. 3. Nec diuersum sentit antiquior eo Irenæus. AVL. At id longum ac perdifficile est. Quis enim percurrat omnes ecclesias, in quibus docuerunt apostoli? cum eæ pleræque omnes à barbaris hostibus Christiani nominis partim subactæ teneantur, partim euersæ sint. MON. Quin vt maximè id fieri posset, esset tamen hoc tempore inutile, cum eæ, si quæ adhuc extant, ecclesiæ profanis nouitatibus & hæresibus ferè contaminatæ sint, nec retineant doctrinam & Hierarchiam apostolicam, sicuti prius ostendi AVL. Vnde igitur petemus consuetudinum ecclesiæ catholicæ certitudinem? MON. Sufficerit ad Romanam ecclesiam recurrere: Ad quam propter potentiorem principalitatem, vt ait idem Irenæus, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles. In qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata est, quæ est ab apostolis, traditio. Quod si hoc quoque laboriosum tibi esse videtur, satis erit illam iureconsultorum regulam sequi: Nemo præsumitur esse malus, nisi probetur contrarium: Et secundum Ambrosij doctrinam, pro recta consuetudine, quamuis fortè vniuersalis non sit, tenere eam, qua vtatur ea, in qua degis,

Iren. lib. 2. cap. 3.

ecclc-

ecclesia, dum modo ea sese à consociatione catholicæ ecclesiæ non præciderit: Idq; tantisper duntaxat, dum aliquid certius explora tũ habeas. AVL. Quid priuata particularium ecclesiarũ instituta & consuetudines, sũtne etiam seruandę? MON. Sunt eæ quoq; reuerenter habendę & seruandæ, secundum illud sapiẽtis Solomonis præceptum: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui: & exemplo Christi, encæniorum diẽ festum seruantis. Nec Paulus apostolus illam Corinthiorum post cœnam communem sumendi corpus Christi consuetudinem improbauit, licet abusum, qui irrepserat, reprehenderit. Non sunt igitur aspernandæ etiam particularium ecclesiarũ consuetudines. Sed non habent eæ tamen parem authoritatem, neq; habendæ sunt pro doctrina ecclesiæ catholicę: quę sola habet certæ & inerrantis veritatis promissionẽ atq; prærogatiuã. Possunt enim eæ nonnunquã esse vel inconcinnę leuésq;, vel etiã superstitiosæ & peruersæ, nec satis cõsentaneę pietati ac verbo Dei. De quibus illa Tertulliani, & Augustini, & Cypriani verba, ne ijs temerè, nitamur præcipientium quę paulo ante recitaui, accipiẽda sunt. Quędam etiã, quamuis rectè instituta & recepta initio, progressu temporis, & abusu hominũ

Consuetudinum particularium ratio.

Prou. 22.

In particularibus cõsuetudinibus quid sequendũ.

vitiãtur. In ijs igitur dãda est opera episcopis, & ijs, qui cũ potestate sunt in ecclesia, vt quæ vitiosa sunt, sine offensione hominũ, & perturbatione rerũ, quoad fieri maxime potest, tollantur, vel corrigantur: tenẽdaq; illa eiusdẽ Augustini regula ita scribentis: Aliud est, quod docemus; aliud, quod sustinemus; aliud, quod præcipere iubemur; aliud, quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare cõpellimur. Priuatis vero hominibus, & quibus ecclesiæ Christi regimen cõmissum non est, prouidendũ est, vt neq; magistratuũ ecclesiasticorum authoritatem temerè aspernentur, neq; offendant quenquam eorũ, cum quibus, & inter vos viuunt. Sic enim præcipit Paulus: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilãt, quasi pro animabus vestris rationẽ reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim, inquit, nõ expedit vobis. Alibi verò; Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculũ fratri, vel scandalum. Et mox. Si enim propter cibum frater tuus cõtristatur, iam nõ secundũ charitatem ambulas. Scribit autem Ioannes: Qui non diligit (quod idem est cum eo, qui non secundum charitatem ambulat) manet in morte. Et Christus ipse: Vę homini illi, per quem scandalum venit. Quod autẽ de cibo dicit

Aug. con. Faust. li. 20 ca. 21.

Heb. 13.

Rom. 14.

1. Ioan. 3.

Matth. 18.

dicit Paulus, etiam de quauis alia re & actione, consuetudini hominum, cum quibus viuimus, ecclesiasticæ non congruente, intelligendum est. Hinc est peruulgatũ illud, quod Augustinus ab Ambrosio sibi & matri suæ præceptum fuisse memorat. Ad quamcunq; ecclesiam veneritis, eius morem seruate, si pati scandalum nõ vultis, aut facere. Eodem pertinet illa etiã Augustini regula. Quæ non sunt contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationẽ vitæ melioris, vbicunq; instituti videmus, vel instituta cognoscimus, nõ solum non improbamus, sed etiã laudãdo & imitando sectamur, si aliquorum infirmitas nõ impedit. Et alio loco de aduersis locorũ moribus & obseruationibus differens. Nec disciplina, inquit, vlla est in his melior graui prudẽtiq; Christiano, quàm vt eo modo agat quo agere videt ecclesiã, ad quamcunq; fortè deuenerit. Quam regulã non tã Ambrosij & Augustini, quàm charitatis, quàm Pauli, quàm Christi ipsius Domini, & magistri nostri, si seruarẽt pseudeuãgelici isti, minus indulgerent libertati suę euãgelicę, seu verius eigeuillicæ, minusq; audacter vel damnarẽt, vel etiam cõuellerẽt mores receptos & instituta ecclesiastica. Et ferrent potius si quid in ijs vitij inesse arbitrarẽtur: quemadmodũ do

Aug. ep. 86

Au. ad inq. Ian. lib. 2. ca. 18.

Ibid. lib. 2 ca. 2.

Arist.lib.2. Politic. cet philosophorum princeps Aristoteles, in principibus ferēdos esse nonnullos errores. Quoniā, inquit, non tantū proderit, qui perget corrigere, quantū nocebit assuefactio superiobus nō parēdi. Quod si quid eiusmodi vitij in ijs esse, vel quē in ea fortè abusum irrepsisse putarent, qui ferēdus non sit, eò quòd auocare vulgus hominū à vera pietate, vel superstitione implere, vel prægrauare cōscientias videatur, memorabilē illā & salutarē sapiētiss. Platonis doctrinā sequerētur: Qui de eiusmodi rebus existētibus in repub. referri vult priuatim ad maiores natu. Immò Christi ipsius exemplum imitarentur: Qui vitiosam scribarum & pharisæorum doctrinam & mores non in popularibus concionibus traduxit, sed cum istis priuatim de ijs contulit. Sic isti, si quid vitiosum in ecclesiā irrepsisse arbitrarentur, referrēt de eo ad pastores, doctores, & episcopos, quorum est vel præcipuū & commune officium, docere populum ac distribuere familiæ Christi in tēpore tritici mensurā, sicut ostēdi antehac; nec in eo ferè dissentit à nobis ista multorū capitū hydra pseudeuangelica. Confessio quidē Augusta na affirmat etiā secundū euangelium episcoporum esse non modo docere, verumetiā iudicare de doctrina, &, vt verbis eius vtar, cognō-

Plato de repub.

Sacerdotum est iudicare doctrinam.

gnoscere doctrinam, & doctrinam ab euangelio dissentientem reijcere. AVL. Scilicet. Dijudicare doctrinam ij possunt, quæ cum euangelio cõsentiat, quæ non consentiat; ac docere debẽt, sed & apostolorum, non suam ipsorum doctrinam, quemadmodum isti dicunt. MON. Mihi quidem ad id, quod nunc à nobis agitur de erroribus & abusibus corrigendis, satis est, quod dant isti: Nempe episcoporum propriorum esse munus, dijudicare doctrinam, quę recta & verbo Dei consentanea, quæ praua sit, & ab euangelio dissentiat. Ne igitur vsurpent isti munus alienũ, sed ad episcopos referent, si quid vitiosum esse putant in moribus & ritibus, & in omni doctrina religionis. Ita sanè factum esse memorat Lucas, exorta inter discipulos Antiochiæ controuersia, cum offenderentur Iudæi, qui ad Christianismum transierãt, eò, quòd non non circũciderentur ij, qui ex paganismo cõuertebantur: Nempe relatam esse rem ad apostolos & presbyteros, eorumq; decretũ pro ecclesię & spiritus sancti doctrina receptum. Atq; hoc est alterũ genus doctrinę ecclesiasticæ, quod constat episcoporũ & SS. doctorũ scriptis ac placitis. Ii sunt enim ecclesiæ linguæ ac digiti. De quibus sic Irenæus: Eis, inquit, qui in ecclesia sunt, presbyteris obedi-

Act. 15.

Episcoporũ & sacerdotum doctrina, ecclesiæ est. ren. lib. 4. cap. 43.

re oportet, his qui succesſionē habēt ab apo
ſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum epiſcopatus
ſucceſsione charisma veritatis certum ſecun
Cyp. li. 1. ep. 11. dum placitū patris acceperunt. Cyprianus au
tem. Ne putent ſibi vitæ aut ſalutis rationem
cōſtare poſſe, ſi epiſcopis & ſacerdotibus ob-
temperare noluerint. Nec temerè & humano
Matth. 15. ſenſu hoc ſic à SS. patrib. illis ſcriptū eſt. Ver
Matth. 28. bum Dei eſt, quod non ſolū apoſtolos, verū-
Luc. 10. etiā ſucceſſores eorū epiſcopos atq; paſtores
Mal. 2. vocat lucem mundi, & ſalem terræ: Ipſiſq; à
cōmuni orbis terrarū doctore dictū eſt; Eun
tes docete omnes gentes. Et, Qui vos audit,
me audit. Oſtenſum eſt enim à me nudiuſter
tius; Chriſtū dominū reuertentem ad patrē,
perpetuum ſpiritus ſancti magiſterium eccle
ſiæ ſuæ reliquiſſe, quo ea cum ſenſum ſcriptu
rarum ſanctarū nobis explanaret, & quę viua
voce ſiue in myſterio ipſa actione ab illo & a-
poſtolis eius ꝓdita eſſent, fideliter traderet;
tum quæ ſapiēti ac diuino conſilio ab illis in
Epiſcopi & doctores ſunt oculi & linguæ eccleſiæ. aliud tempus dilata eſſent, doceret. Id aūt fa-
cit ea per epiſcopos paſtores, & doctores, qui
ſunt non ſolū linguę ac digiti, quemadmodū
dixi dudum, verumetiā oculi eccleſiæ, vt ait
Clc. ad Iac. epi. 1. Petri diſcipulus & ſucceſſor Clemēs, penes
quos eſt recta à prauis diſcernēdi ac reliquā
multitudinē docēdi authoritas: Qui toti cor
pori

pori eccleſiæ doctrina ſua præeunt, ac præluc-
cẽt, & ſingula mẽbra ad ſuas cuiuſq; actiones
& officia dirigũt. Quodq; ij docent pro offi-
cio ſuo, tota id eccleſia docere cẽſetur. AVL.
Apoſtolos quidẽ & euangeliſtas iſti pro lin-
guis nõ tam eccleſię, quàm Chriſti ipſius ec-
cleſię capitis habẽt, & in eorũ doctrina, ſacris
noui teſtamenti ſcripturis, aut, ſi vis etiam vi
ua voce prodita, & in eccleſia cõſeruata, peni
tus acquieſcunt. MON. Vtinã. AVL. Cætera
verò genera doctrinæ, ſiue ea ſit moribus &
inſtitutis eccleſię, ſiue ſcriptis pręceptíſve ſuc
cedentiũ apoſtolis epiſcoporũ atq; doctorũ
prodita, humanas traditiones eſſe ducũt, nec
ea ſine delectu, & iudicio ſuo recipiũt. MO.
Næ iſti à viris religioſiſsimis, & ſacrarũ litte-
rarũ peritiſsimis Ioan. Chryſoſtomo & Cy-
rillo Alexãdrino longe diſſentiũt: Quorũ il-
lius hęc ſunt verba. Traditio eſt. Nihil quęras
amplius. Hic apoſtolicã gratiã ad eorũ quoq;
ſucceſſores ait pertinere. Rectè ſanè. Neq; e-
nim tẽporariã, & ſolis apoſtolorũ tẽporibus
duraturã eccleſiã Chriſtus cõdidit, verũ ęter
nã, vel iſtorũ ipſorũ nouatorũ teſtimonio tri
taq; loquẽdi formula adſtipulãte. (Habẽt eñ
ij crebro in ore ęternã Dei eccleſiam.) Neq;
tũc modo, ſed ſemper, eã audiẽdã eſſe grauiſ
ſima interminatione adiecta pręcepit. Igitur

Apoſtoli ſunt linguæ Chriſti.

Chry. ho. 4. in 2. Theſſ. Cyr. in Io. lib. 3. ca. 18 & 20.

Linguæ eccleſiæ.

etiam nunc ea linguam suam habet, qua nobis & cuiusq; tēporis hominibus vnà cum capite suo loquitur. Ea verò lingua nō alia est, quàm successores apostolorum episcopi & sacerdotes, quos Paulus à spiritu sancto posi tos esse ait, vt regant ecclesiam Dei. Proinde ex æquo ipsis, ac apostolis dictū esse videtur: Qui vos audit, me audit. Et; Quæcunq; alligaueritis super terrā, erunt ligata & in cælo. Quæ verba illis de audiēda ecclesia non sine asseueratione & iuramēto statim subiuncta nō obscurè indicant, eosdē esse, per quos nobis loquitur, & docet nos ecclesia; & qui non obtemperantes alligant non modo in terris (ita vt non esse debeant sicut ethnici & publicani) verumetiā in cælo. AVE. Ergóne quid-
Sacerdotū prauitas. quid docent & præcipiunt presbyteri & episcopi, doctrina est ecclesiæ? Quid si nihil ij docēāt, ac ne possint quidē id facere, etiamsi velint, quippe qui vel nihil, vel aliud quidvis, quàm quod ad religionem pertineat, ipsi dicerint? Quid si somnia sua ac superstitiosa delyria doceant? Quid verò si peruersa etiā & impia, vt cum verbo Dei pugnantia? An nō rectè autem in plerosq; eorum quadrat illud
Esa. 28. propheticum? Sacerdos & propheta nesciuerunt præ ebrietate. Annon illud euange-
Luc. 11. & 6 licum? Væ vobis duces cæci. Nunquid autem

potest

potest cœcus cœcum ducere? Nõne ambo in
foueam cadunt? Aut certè illud; Væ vobis Luc. 11.
legisperitis: quia tulistis clauem scientiæ. Ipsi
non introistis, & eos, qui introibant prohi-
buistis. Apage cum istis linguis atque doctri
na. Et vt ommittã indoctos, & eos, qui docẽ-
di munus ad se non putant pertinere, quo-
rum longe maxima turba est, fuitque etiam
superioribus sæculis: Annon presbyteri fue-
re Marcion, Nouatus, Arius? Annon Abbas
Eutyches? Annon episcopi Macedonius, Ne
storius, Photinus? Annon summi denique
pontifices Liberius, Honorius, & alij quí-
dam, qui inter hæreticos numerantur, etiam
à vobis ipsis? Enimuerò hoc est, quo multos
à vobis alienatis, quòd parem verbo Dei au-
thoritatem vobis ac doctrinæ vestræ arroga-
tis, & credi etiam somnijs vestris perinde
ac euangelio vultis. MON. Excanduisti ma-
iorem in modum: et tamen memoriter scri-
pturas, quæ in sacerdotes & episcopos vulgo
hoc tempore contorquentur, recitas. AVL.
Non è biblijs equidem eas didici. MON. Io-
cus est: nec multum tamen abludens à vero.
Sed mane. Nõ defendã hîc ego vulgi sacerdo
tum imperitiam, docendi incuriam, & praui
tatem: Neque iacula ista tua ex euangelio pe Matth. 23.
tita, euangelico itidem eiusdem Christi do-

mini clypeo excipiam, nempe quòd is eosdem illos scribas & pharisæos, quos tam acriter obiurgat, & increpat, audiendos tamen quidquid dixerint, esse præcipit. Aliud nunc agitur. Tu ita rẽ accipe. De apostolis quidẽ dubium non est, quidquid ij seu verbis, seu scriptis, seu denique actione & in mysterio docuerunt, certissimam esse doctrinam, non tam ecclesię, sicut tu quoque dixisti dudum, quàm Christi ipsius capitis & sponsi ecclesię: qui dixit: Qui vos audit, me audit. Tametsi Paulus nonnunquam profitetur; Aliquid se, non dominum dicere, atque docere. Sed addit idem. Se à domino misericordiam consecutũ esse, vt sit fidelis: Et spiritum Dei habere se putat, ita vt siue is præcipiat, vetétve, siue consilium det, omne id rectum, ac diuinitus profectum esse existimandum sit. Quod itidem de cæterorum quoque apostolorum (quibus dixit Christus; Non enim vos estis loquentes: sed spiritus sanctus) doctrina accipiendum est, siue ea sit scripto prodita, siue non sit. Cæterum succedentium ipsis doctorum & episcoporum doctrina non eandem prorsus vim habet. Ecce enim tibi primis illis & optimis apostolorum temporibus Nicolaus Antiochenus vnus fuit de septem diaconis, siue euangelistis, ab apostolis ordina-

Apostolicæ doctrinæ certitudo.

Lu.10.
1.Cor.7.

Mar.13:

De episcorum & presbyterorum doctrina quid sentiendum.

Epiph. aduers. hære. to.2.li.1.

ordinatus: Verum eius doctrina illa de promiscuo mulierum vsu tantum abest à doctrina Christi & ecclesiæ, vt sit potius doctrina dæmoniorum, ecclesiæ Christíque doctrinæ aduersa. Ioannes quoque euangelista Diotrephen primatum gerentem in ecclesia quadam, se non recipientem, & eos, qui fratres recipiebant, eijcientem, acriter reprehendit. Paulus verò scribit, se propterea Timotheum Ephesi reliquisse, vt denuntiaret quibusdam, ne aliter docerent: Idemque Hymenæum & Philetum à veritate excidisse, & subuertisse quorundam fidem ait. E quibus verbis apparet, eos in doctorum & pastorum numero fuisse. Neque enim temerè quiuis de populo tunc munus docendi vsurpabat, quemadmodum prius à me dictum est. Audiuisti etiam nuper à me quædam Cypriani, Tertulliani, Origenis, & aliorum quorundã probatorũ partim episcoporum, partim presbyterorum errata cõmemorari, à consilijs & vniuersa ecclesia reprobata.

Ioan. 3. ep. 1

1. Timo. 1.

2. Tim. 2.

AVL. Hoc modo post apostolos nulla erit certa neq; lingua, neq; doctrina ecclesiæ, aut erunt eæ non modò variæ, verumetiam pugnantes inter se, & cum verbo Dei: Quo nomine tu nuper Lutherum, & omnes istos, qui se euangelicos dici volunt, damnasti.

Qui

Qui enim vnquã in ecclesia doctores, aut episcopi extitere, quorũ doctrina non aliquãdo vel ab ipsis retractata, vel ab alijs reprehensa ac dãnata sit? Non sunt igitur ij linguæ ecclesiæ, si docendi authoritatem erroris prorsus expertem non habent. Cum enim ecclesia sit corpus & sponsa veritatis, linguam quoque eius, per quam ea potissimum sit columna & firmamentum veritatis, veracem, & erroris omnis expertem esse oportet. MON. Mane.

Hebræ. 13. Debemus nos quidem, secundum Pauli præceptum, obedire præpositis nostris, cum ijs, qui nobiscum viuunt, tum ijs, qui olim cum viuerent, sanctitate vitæ, & pietate doctrinæ præstiterunt, eamque nonnulli etiam sãguine pro fide Christi fuso, & miraculis obsignarunt, & succedentium temporum ecclesiæ approbarunt. Eorum igitur doctrinam reuerẽter nos amplecti decet, propterea quòd eorum mentes, linguasque & calamos spiritus sanctus ad ædificationem ecclesiæ moderatus est. Hos autem vno nomine Patres honoris caussa appellare consueuimus, & quem libẽ solent ac debent parentibus, honorẽ eis habemus, & merito habere debemus.

Patres.

Deut. 32. De his rectè intelligitur illud Deuteronomij; Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: Maiores tuos, & dicent tibi. Et illud Solomonis;

lomonis: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Eandemq; ob causſam presbyteros quoque & seniores eos vocamus: Eóq; pertinet illud sapientis: Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijs eorum conuersare. Ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus, & seruire magnatibus sine querela. Non te prętereat narratio seniorũ: Ipsi enim didicerunt à patribus suis. Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. AVL. Sed homines tamẽ fuerunt & illi, quamlibet sancti, pij, doctíq;. Labi errareq; potuerunt. MON. Huc ibam. Itaque vnus ex ijs, vel istorum ipsorum Aristarchorum censura probatissimus, Augustinus, inquã, ita scribit: Nullo modo meas litteras ab omni errato liberas audeo vel putare, vel dicere. AVL. Rectè igitur isti quoq; euãgelici negãt, in alieno iudicio sine suo scacquiescere oportere. MON. Scilicet. Omnia probate, vel, vt est apud Tertullianũ, examinate: Quod bonũ est, tenete. At hoc modo solum SS. patrũ, sed cuiuslibet de vulgo, immò hæreticorũ quoq;, & impiorũ philosophorum atq; poetarum doctrinã susscipimus. Neque enim tã teter aut impius fuit eorũ quisquã, quin aliquid tamen rectè & ve-

Pro. 22.

Presbyteri.

Eccl. 8.

Aug. de bapt. con. Don. li. 5. ca. 17.

Iudicio alieno an credendum sit sine suo cuiusque.

Tert. de præscri. ad uers. hæret.

& verè, & rationi conuenienter dixerit, aut scripserit, quod nos ad trutinam verbi Dei, vel rationis expensum nõ susciperenon possumus, non dicentis vel scribentis authoritatem, sed nostrum ipsorum iudicium secuti. Quod vt rectum sit aliquando, potest tamen nõnunquam à recto aberrare. Nisi fortè nos non sumus homines. Proinde prosequitur idem Tertullianus. Quasi non liceat omnibus malè examinatis in electionem alicuius mali impingere per errorem. Potest tamen istud, quod dicunt pseudeuangelici de alieno & suo iudicio, non male dictum videri, si recte intelligatur. Nimirum ne in vnius alicuius, vel paucorum sensu & opinione singulari temerè & sine iudicio quisquam acquiescat. Iubet enim Ioannes nos probare spiritus, an ex Deo sint. Quod contra istis & omnibus hæreticorum assectis facere vsitatum est: Quibus ferè satis est in Lutheri sui dogmatibus illud Pythagoreorum, Αὐτὸς ἔφα: hoc est, Ipse dixit. Et ipse autem omne aliorum iudicium detrectauit, quod ipsis eius verbis ostendi nuper. Hîc sanè iudicium adhibendum est. Sed in eo tamen quoque non tam suo cuique proprio sensu & iudicio nitendum est, quàm Augustini præscriptum illud, quòd recitaui dudum, sequendum:

Iudicium doctrinæ quale esse debeat.

1. Io. 4.

Coll. 1.

dum: Nempe, vt nõ id, quod vnicuilibet nostrûm displicet, statim à veritate deuiare iudicemus; sed id demum, quod per sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris sermonem, & per aliorum episcoporum grauiorem authoritatem, doctorumque prudentiam, & per concilia reprehenditur. Si hoc igitur sibi volunt isti, cum negant, in alieno iudicio sine suo se acquiescere oportere, idem ego sentio. Sin priuati & pauci, aut etiam singuli, heri & nudiustertius, vt scripturæ verbis vtar, exorti, Patrum, & eorum, quibus ligandi & soluendi potestas à Deo tradita est, doctorum atque episcoporum, non viuentium modò, verumetiam pridem in Christo defunctorum, & quorũ pietatis atque doctrinæ præclara per multa sæcula viguit vigetque in ecclesia Christi existimatio, miraculis & martyrijs ferè confirmata: Si eorum inquam iudicijs suum anteponunt iudicium (vt sanè non dissimulanter faciunt) nimis arroganter ac impudenter, & contra non modo Augustini, sed etiam scripturarum sacrarum, dudum à me recitatarum, authoritatem faciunt. Quale est illud Caluini; Parum me mouent, quæ in veterum scriptis de satisfactione occurrunt. Videó quidem eorum

Aug. de bapt. contra Donat. lib. 2. ca. 3.

eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè, quorum libri extant, aut in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos. O hominē confidentē & arrogantē. Annō Lesbia verò ista fuerit regula, ad ędificiū accōmodata, cum contrà ad regulam ædificium accommodari oporteat? Quid enim stabile certūque erit vsquā vel in dogmatibus, vel in sensu scripturarum, si cuiuis de quorumlibet doctorum & præsidum ecclesiasticorum iudicijs disceptare, & iudicare licebit? Annon summa autem consequetur in corpore Christi mystico, quod est ecclesia, rerum omniū perturbatio, si, non dicam aures & nares, sed manus, & fœmora, & pedes, oculorum & linguæ partes atque officia sibi vendicabunt, aut veriùs vsurpabuntur? Quod sanè in istorum, (quemadmodum ipsi dicunt) ecclesijs vsu venire videmus: vbi ministri ad nutū & renutum turbæ inconditæ, aut ciuilium magistratuum (non dico qualiū & vnde assumptorū) immò quod indignius est, grāmatistæ pædagogi vel actūarij de fungorum genere theologi, aut vnius denique principis, immò baronis, si Deo placet, aut eius procuratoris, insolentis & audaculi, & nonnunquam illitterati, &, vt Græci dicūt, ἀναλφαβήτου, doctrinam & sacramentorū administrationem instituē-

instituere & mutare solent, ne dicam necesse habent. Quemadmodum primo etiam colloquio nostro ostendi. Quid est autē docere doctrinas & mandata hominum (quod isti nobis subinde obganniunt) & confidere in homine, & ponere carnem brachium suum, (quod Deus per prophetā maledictioni subijcit) si hoc non est? Nisi fortè Lutherus, & Brentius, & Caluinus, & Illyricus, & Vergerius, homines se esse non putant: idemq; adeo suis, vt de seipso quisq; sentiat, persuadere nituntur. AVL. Non faciunt hoc illi quidem sed spiritum Dei sibi, & cuilibet è vulgo præsto esse persuadent ad amplectendum ea, quę recta sunt, reijciendumq; cōtraria, Christi pollicitationibus freti. MON. Ridicule, & Suenefeldij cælestiumque prophetarum (quos ipsi tamen detestari se simulant) delirijs non inconuenienter. Quin igitur scripturas & externum verbi Dei ministerium pariter cum illis reijciunt, monitorem ac doctorem spiritum cælitus expectātes? At Ioannes eximius ille verbi Dei preco & interpres vetat nos cuiuis spiritui credere. Vnde autem est ista dogmatum & sensuum scripturę inter ipsos diuersitas & pugnantia, quam ostendi initio? Certè spiritus sanctus nō est dissensionis Deus, sed pacis. Istísne autem vel vigilan

Matth. 15.

Hier. 17.

Spiritus priuatus.

1. Ioan. 4.

tibus,& quiduis aliud agentibus ὕπαρ & euidenter,vel poſt dapſiles cum vxorculis & cõgerronibus epulas & cõpotationes altũ ſtertẽtibus ὄναρ, hoc eſt in ſomnis,pręſto eſt ſpiritus Dei?Iſs aũt,quos poſuit regere eccleſiã Dei,& qui ſobriè,parcè, & continẽter viuentes,partim in ſtudijs doctrinę & meditationibus legis diuinę,partim in pijs precationibus & cultu Dei caſto,& omnino bene merendo de genere humano & eccleſia Dei vitã tranſmiſerũt, nõ adfuiſſe eum exiſtimamus? Vel, vt Auguſtini verbis vtar: Vſq; adeo permiſcuit imis ſumma longus dies, vſq; adeò tenebræ lux, & lux tenebrę eſſe dicũtur,vt videãt Pelagius,Cęleſtius,Iulianus,& cœci ſint Hilarius,Gregorius,Ambroſius?Procul hęc abſit à mẽtibus & cogitationibus hominũ væſanía.Pollicitus eſt quidẽ Chriſtus certũ & æternũ ſuum & ſpiritus ſancti magiſteriũ: Sed non tibi,neq; mihi. Verum eccleſiæ ſuæ vniuerſæ,quẽadmodũ prius etiã dixi; vel,ſi mauis, diſcipulis ſuis, eorũq; ſucceſſoribus eccleſię ſuę miniſtris & moderatoribus:Nec ijs ſingulis,verũ omnibus pariter.Et quod pollicitus eſt,olim euidẽter pręſtitit,cum ipſis nõ huc atq; illuc diſperſis,ſed omnibus pariter in vna domo congregatis Spiritum ſanctũ in linguis igneis demiſit, & pręſtat etiam nunc inui-

Aug.lib.2. contra Iulia. prope finem.

Spiritus ſancti magiſteriũ cui promiſſum & quomodo.

inuisibiliter, itidem in vna domo, nempe ecclesia, non tam corporibus, quàm consensu & concordia congregatis, diuidens vnicuiq; pro vt vult, & vbi vult, & quando vult spirans ad ædificationẽ ecclesiæ, vt crescamus in illo per omnia, quemadmodũ ait Paulus, qui est caput Christus: Ex quo totũ corpus cõpactũ & connexum per omnẽ iuncturã subministrationis secundũ operationem in mensuram vniuscuiusq; membri augmentũ corporis facit in ædificationẽ sui in charitare. Perpende quæso quod dicit, in, vel secundum mensurã vniuscuiusq; mẽbri fieri operationẽ & subministrationẽ spiritus in ædificationẽ totius corporis. Itaq; sic is dona sua dispẽsat, non vt vni conferat omnia, sed alij sermonẽ sapientiæ, alij prophetam, alij interpretationem sermonum, &c. Quemadmodũ in humano quoque corpore vnus & idem vitalis spiritus in omnibus quidẽ membris efficax est, sed non eodem tamen modo in omnibus. Verũ cerebro ratiocinandi, oculis cernendi, ventriculo concoquẽdi, pedibus ambulãdi vim subministrat: Nec eam autẽ semper æquabiliter, dispertitur. Fit enim vt iam acutius, iam obtusius cernant oculi, & eodẽ autem tempore eiusdem hominis alter acutius cernat, quàm alter. Certè manus dextra secundũ naturã ad

Ephe. 4.

Membrorũ corporis distincta officia.

multa est aptior & firmior, quàm sinistra. Extremis autem digitorum pulpis in manibus maior vis inest dijudicãdi tactus discrimina, quàm cęteris membris, licet omnibus ferè ea vis insit. Vnumquodq; verò membrum non modo recipit, verumetiam exerit vim suam pro modulo à natura sibi indito, nõ ad suam tantum, sed ad totius corporis vtilitatem, quemadmodum heri demonstraui. Et quod vnumquodque facit, totum corpus, siue adeo totus homo facere iudicatur, quamuis id cætera membra eius non faciant. Neq; necesse est, vt pes ipse sibi cernat, ne ambulando impingat, sed sufficit ei ad hoc, oculi ministerium & iudicium. Ad eundem igitur modum corpus ecclesiæ vno quidem spiritu diuino vegetatur, sed non omnia tamen membra eius eundem vigorẽ, vt Pauli verbis vtar, easdemq; operationes inde habent, verum pro suo quodq; modulo, vt sint pro se inuicẽ solicita. Nec est necesse, vt singulis hominibus semper adsit spiritus sancti magisterium ad dijudicãdum recta & praua. Satis est, si ij, qui oculorum vicẽ obtinent in ecclesia, dijudicent; & qui linguæ, alijs quid sequendum, quíd vefugiẽdũ sit, promãt: Nempe ij, de qui bus dixit Deus per prohetã: Populũ meum docebunt, quid sit inter sanctũ & pollutum,

Sacerdotũ doctrina sequenda.

Ezech. 44.

&

& inter mundum & immundum ostendent eis: Sacerdotes videlicet. Labia enim sacer- Malach. 2.
dotis, ait Deus per Malachiã prohetã custodiẽt scientiã. AVL. Cur ommittis, quod propheta idẽ addidit? Et legẽ ex ore eius requirent. Quia angelus domini exercituũ est. Fatentur isti quidẽ, sacerdotũ & episcoporũ esse munus, custodire scientiam; sed Dei, non suã scientiã: docereq; nõ quidquid ipsis videtur; sed legẽ; Dei nimirum, ac domini exercituũ, cuius sunt angeli, siue nũtij & legati, sicut tu antea dixisti. MON. Ne relabamur ad ea, quę satis iam, vt arbitror, prius explicata ac definita sunt. Certè Deus ipse per Mosen prę Deut. 17.
cipit populo suo, certaq; lege & pœna sanxit: Si difficile & ambiguũ iudiciũ existeret de rebus ad legem & religionem pertinẽtibus, quærendum esse à sacerdotibus. Eos autem indicaturos esse iudicij veritatem. Et facies, inquit, quodcũq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisq; sententiã eorum, nec declinabis ad dextram, nec ad sinistram. AVL. Peropportunè hoc protulisti. Obseruant enim hic isti Euãgelici, quod Moses dixit: Docuerint te iuxta legem eius. Indeq; etiam colligunt, iudiciũ illud non nisi secundũ legẽ & scripturas fieri debere, vt eatenus

sacerdotum sententiæ standum sit, quatenus ij iuxta legẽ Dei docuerint. MON. Memini de eo prius quoq; inter nos actũ esse. Sed aliter hunc locum expressum habent Hebraica exemplaria, sicut recentiores quidam interpretes verterunt. Ac Santes quidẽ Pagninus ita vertit. Et facies secundum sermonem verbi, quod annunciabit tibi è loco ipso, quẽ elegerit Dominus, & custodies faciendo iuxta omnia, quæ docebũt te. Iuxta sermonẽ legis, quem docebunt te; & secundũ iudiciũ, quod dicẽt tibi, facies. Nõ declinabis à verbo, quod annunciabunt tibi, ad dexterã, & ad siniſtrã. Ioannes autẽ Stunica Hispanus, quẽadmodũ refertur ab Alberto Pighio, sic. Et facies iuxta verbũ, quod annunciabunt tibi de loco, quẽ elegerit dominus, et custodies, vt facias iuxta omne, quod te docuerint. Iuxta legẽ, quã docuerint; & iuxta iudiciũ, quod dicent tibi, facies. Non discedes à verbo quod annunciauerint tibi, ad dexterã, & siniſtrã. Adstipulatur his etiam græca Septuaginta interpretũ interpretatio. κατὰ πάντα, inquit, ὅσα ἂν νομοθετήσωσί, κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν κρίσιν ἣν εἴπωσί σοι, ποιήσεις. Hoc est. Iuxta omnia, quæcunq; tibi statuta fuerint (nempe à sacerdotibus) iuxta legẽ, & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies. Iuxta legẽ ait, absq; additione, eius, vel

Deuteron. locus de sacerd. authoritate.

Santes Pagnius.

Io. Stunica

Pigh. eccl. hier. lib. 4. ca. 3.

Dei

Dei: Id autẽ perinde est ac, iuxta præscriptũ, &, vt ipsa se interpretatur scriptura, iuxta iudiciũ. Tuúmne aũt tu, qui quæris? Non: Sed, quod dixerint tibi; Sacerdotes nimirum. Vt autem demus eis, verã esse & germanã lectionem, quæ extat in vulgata latina translatione & editione, certè ita quoq; Moses non quærẽtis & cuiuslibet de vulgo, sed sacerdotum vult esse iudicium, quid iuxta legem Dei sit, quid non sit. Ridiculũ sanè esset, eum remittere ad sacerdotum iudiciũ, cui ipsi per se iudicare liceret, quidnã esset iuxta legem Dei, quid non esset. Cur autẽ adderet Moses? Sequerisq́; sententiã eorũ, sacerdotũ videlicet; ac non, tuã ipsius, vel legis duntaxat. Aut quę sequuntur? Qui aũt superbierit, nolẽs obedire sacerdotis imperio: ac non legi, vel legis præscripto? Ad eundẽ igitur modum in lege Christi euãgelica: cuius vmbra vetus illa lex fuit, difficultates & ambiguitates quæuis sacerdotũ iudicio explicari ac definiri debẽt, qui cum ex eo ipso Dei, tum è simili Christi promisso, & quasi pacto iudicant reliquo populo iudicij veritatẽ. AVL. Verũenimuero, aiũt isti, quẽadmodũ, licet promissum illud, & pactũ cum Leuiticis sacerdotibus esset stabile ac perpetuũ, recesserunt ij tamẽ aliquando de via, teste propheta Malachia. MON. Malach. 2.

Malach. 2. Immò Deo ipso per Malachiam loquente,
Esa. 56. Quin per Esaiã quoq; ait idẽ. Speculatores eius cœci omnes: Nescierunt vniuersi: Canes muti non valẽtes latrare. Videntes vana, dormientes, & vidẽtes somnia. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiã: Omnes in viam suam declinauerunt. AVL. Bene mones. Quemadmodum igitur illi nonnunquam excidérũt, ita nostri quoq; sacerdotes & pastores possunt excidere, & cœci omnes esse, & ignorare intelligentiam, & videre vana atq; somnia. MON. De omnibus quidẽ sacerdotibus & pastoribus hæ scripturæ loquũtur, sicut & illa eiusdem Esaiæ: A planta pedis vsq;
Esa. 1. verticem non est in eo sanitas: de vniuerso populo Iudaico. In quo tamen subdit propheta, Dominum Sabaoth reliquisse semen. Elię quoq; de euerso prorsus cultu diuino
3. Reg 19. querenti, respõdet diuinum oraculũ: Quod relinquat sibi septem millia virorum. Quin
Luc. 18. Christus quoq; interrogando negat, filiũ hominis; hoc est, se ad iudicium venientẽ inuẽturum esse fidem in terra. Et tum ostendit
Matth. 24. idem eo ipso etiam tempore non defuturos esse electos, propter quos breuiabũtur dies illi tribulationis. Vsitatus vulgo modus loquendi est, vt dicamus, Omnes facere, quod plurimi faciunt: Et, nullum esse, cum pauci sint.

sint. Ita nos quoq; extremis hisce tẽporibus aduentum filij hominis præcedentibus non difficulter istis Euangelicis concedere possumus, omnes speculatores cœcos esse: videre vana & somnia, pastoresque omnes ignorare intelligentiam, cum plurimi per tam multas, atque adeò omnes gentes defecerint, ac deficiant, & magis ac magis defecturi sint à fide, attendentes spiritibus erroris. Atque vt tibi, seu potius istis dem: Omnes prorsus Leuiticos sacerdotes à veritate excidisse; Non eadem tamen est ratio Christiani sacerdotij, quæ Leuitici. Hoc enim cum non fuerit futurum sempiternum, itidem atque sacrificia, & lex ipsa, sicut prius ostendi, non est mirum, si extremo tempore imminente aduentu Christi, cum esset prope interitum, veterasce bat, & vim suam ammittebat, peribatque lex à sacerdote, & consilium à sapiente, & sermo à propheta. Christi vero sacerdotium & regnũ in ecclesia, & magnifica illa promissa de inerrante veritate, & spiritus sancti magisterio ei ipsi ecclesiæ facta sempiterna esse, iam euidenter à me demonstratum est. Atque ea sacerdotum & pastorum, qui linguæ vicem in ea obtinent, ministerio ipsi præstantur. Quemadmodum autem corpus ecclesię vnũ est, è multis membris consensu fidei & ani- Hier. 18. Ezech. 7.

morum, coagmentatum,& vno ſpiritu vegetatum,ita linguam quoq; vnam habet,nẽpe conſenſum ſacerdotum,paſtorum,doctorumq́;,qui multi idem ſentientes,ac docentes,& in eadẽ regula permanentes,non multæ,ſed vna ſunt lingua vnius eccleſiæ catholicæ. Nimirum,vt ea non monſtrum ſit,nec Babylon quædã,ſed terra labij vnius,& ſermonum eorundem: Et quaſi vnam animam habens,& vnum cor, (liceat mihi Irenæi verbis vti)conſonãter prędicet, & doceat,& tradat, quaſi vnum poſsidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſsimiles ſunt,ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt. Et neq; hæ,quæ in Germania ſunt fundatæ,eccleſiæ aliter credunt,aut aliter tradunt; neq; hæ, quæ in Iberis ſunt; neq; hæ,quæ in Celtis; neq; hæ,quæ in oriente;neq; hæ,quæ in Aegypto;neq; hę, quæ in Lybia;neq; hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ:Sed ſicut ſol creaturæ Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt,ſic & prædicatio veritatis vbiq; lucet,& illuminat omnes homines,qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Sic Irenæus. Huic igitur ori & linguæ nos ſine ſuo quemq; iudicio credere par eſt. Eſt enim erroris omnis expers: Non ipſorum quidẽ paſtorum ac ſacerdotum meritis,aut ingenij doctrinæque præſtantia,ſed

Lingua eccleſiæ vna.

Gen. 11.

Iren. aduer. hæreſ. li.1.ca.3.

eius

eius ope, qui cum spiritum veritatis discipulis suis, eorumque successoribus ecclesiæ suæ æternæ fundatoribus & moderatoribus, qui cum eis mansurus esset in æternũ, promiserit (quemadmodum nuper ostendi) mentiri & fallere non potest. Hos igitur inter se consentientes qui audit, ecclesiam audit: qui verò non audit, sicut ethnicus & publicanus habẽdus est. Non hominẽ enim spernit, sed Deum ecclesiæ caput & moderatorẽ. Sicut ipsi quoque dixit: Qui vos spernit, me spernit. Atque huc illud etiam pertinere videtur, quod præcepit idem: Scribas & pharisęos super cathedrã Mosi sedentes audiendos esse quidquid dixerint. Neq; enim ille docturus ecclesiam suam, & credentes in se, ad Iudæorum scholã mittebat, vt Augustini verbis vtar, vt ibi discerent, quemadmodum iter sit ad regnum cęlorum. Sed nomine scribarum & pharisæorum significauit quosdam in ecclesia sua futuros (nempe pastores & doctores itidem, ac illi erant) qui dicerent, & non facerent. Se autem figurauit in persona Mosi: ita vt per scribas & pharisæos in Mosi cathedra sedentes, cathedræ suæ præsidentes, & ecclesiam suam regentes velit intelligi. Hos igitur præcipit audiẽdos esse quidquid dixerint, sine vlla prorsus exceptione ac dijudicatione. Non dixit;

1. Thess. 4. Lu. 10.

Matt. 23.

Aug. serm. 2. dominicæ primæ post paschæ.

Quid-

Quidquid quispiam eorum dixerit singillatim: Sed, Quidquid dixerint, nempe, omnes pariter cõsentientes. Consensum enim illum à Deo ad vtilitatem ecclesiæ profectum esse oportet, ne portæ inferorum aduersus eam præualeant. Præualerent autem si ea falsam pastorum ac doctorum suorum doctrinam sequeretur. Verum enimuero, Spiritus sanctus, inquit Brentius, non est alligatus prælatis, & ijs personis, quas ipse in cooperarios suos (sicut Paulus loquitur) instituit, aut quæ his in ministerio ordinariè succedunt, ita vt nunquam sinat eas labi ac hallucinari. Negat homo lepidus alligatum esse prælatis, hoc est cooperarijs suis, Spiritum sanctum. Cathenis aut funibus, opinor. Rectè. Verborum quidem & promissorum, & votorũ, & iurisiurandi vincula isti non norunt: Nec putant se alligatos esse ad ea, quæ heri aut nudiustertius dixerunt, scripserunt, & promiserunt. At nó ita spiritus veritatis, & Deus. Tenetur is, & quidem non inuitus, immò lubens, verbis & promissis suis. Fidelis est enim, qui repromittit, inquit Paulus. Itaque ipse magna fiducia tenet eum alligatum, cum dicit; De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ: quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Et alibi. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens

Brent. in proleg. & pericope. 3. de concilijs.

Spiritus sanctus an sit alligatus ministris ecclesiæ.

Heb. 10.

2. Tim. 4.

2. Tim. 1.

potens est depositum meum seruare in illum diem. Tenet Moses, cum audit: Cerno, quòd populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me, vt conteram eum. Tenet Iacob, cum dicit: Non dimittã te, nisi benedixeris mihi. Dimittitur enim id, quod quasi alligatum tenetur. Nihil igitur prohibet, quo minus dicamus; Spiritum sanctũ alligatũ esse prælatis. Magdeburgenses quidem compilatores & corruptores historiæ ecclesiasticæ, totam Trinitatem ad baptismum sese alligasse, asserere non dubitant. Et rectè. Quibus autem vinculis? Nempe illis Christi verbis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et illis; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ad eundem modum etiam ad Eucharistiam, & ad cætera sacramenta verbis & promissis suis Christus cum patre & Spiritu sancto sese alligauit. AVL. Quod est autem istud verbum aut promissum, quo Spiritus sanctus alligatur prælatis? MON. Iam dixi: Nempe, quòd Christus dominus, qui cum eo, & cum patre suo cælesti vnum est, promisit, eum cum cooperarijs suis mansurum esse in æternum, & docturum eos, ac suggesturum eis omnia, non modò quæcunque ipse dixerit, sed etiam multa illa, quæ adhuc eis dicere habuit;

Deut. 9.

Gen. 32.

Cent. 1. li. 2 cap. 4. Sacramentis alligatus Deus.

Matt. 28. Ioan. 3.

Matth. 28.

buit, sed illi capere tunc non poterant. Et se-
Matth. 28. ipsum autem promisit cum eis futurum esse, non certo aliquo tempore, sed omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Fidelis autem est, qui hæc promisit: fallere non potest, etiam si cælum terræ misceat tragicis suis verbis Brentius. Sic igitur Christus seipsum & Spiritum suum sanctum prælatis alligauit (quãdo quidem isto verbo vti istis per irrisionem libet) diuidentem singulis prout vult ad ædificationem & vtilitatem ecclesiæ. AVL. Verum spiritus, ait Christus, vbi vult spirat. MON. Licet istud de aëreo hoc spiritu, quem auram ventumq; vocamus, dictum esse videatur; verissimum tamen est etiam de Spiritu sancto. Neque enim dicimus, eum inuitum alligatũ esse cooperarijs suis, sed vltro seipsum alligasse: Atq; ita alligasse, vt ex ijs tamẽ, quos vult, & quando vult, & quomodo, quantumq; vult, inspiret: Nonnunquam autem & idiotas & mulierculas inspiret, veritatisq; non solum participes, verumetiam
Socr. hist. eccl. li. 1. ca. 19. & 20. prædicatrices faciat. Extant in historijs ecclesiasticis exempla dè Frumentio & Edesio, ac de captiua quadam apud Iberes muliercula: de Maria quoque Magdalena: Quarum opera & prædicatione nonnulli populi ad fidem Christi conuersi esse memorantur.

Sed

Sed non temerè illi, & si qui alij præterea priuati idem feciſſe feruntur, docendi munus vſurparunt: Sed Spiritu ſancto incitante, & miraculis per eos edendis præſentiam virtutemque ſuam conteſtante. Paucorum autem priuilegia, ſicut aiunt iureconſulti, immò & theologi, non faciunt legem communem. Neque tamen illi ipſi ſacerdotalem interpretandi ſcripturas aut de reconditioribus religionis capitibus definendi, quibus de rebus hîc nunc agimus, authoritatem ſibi ſumpſerunt: Verum elementis modo fidei tradendis, barbaros & infideles profundioris & abſolutioris doctrinæ & veritatis à ſacerdotibus perdiſcendæ capaces reddiderunt. Itaque iactis fundamentis & Frumentius ab Athanaſio ordinatus epiſcopus cum clericis ad Indos remiſſus eſt, & Iberes ab imperatore Conſtantino itidem epiſcopum & preſbyteros ſibi mitti petiuerunt, & Gallis Lazarus atque Maximinus Mariæ ſocij, epiſcopi ac doctores præfuerunt. Manet ergò nihilominus ratum fixumque id, quod Brentius improbè exagitat de alligatione Spiritus ſancti ad cooperarios ſuos & prælatos. AVL. At quàm multi ſunt inter cooperarios iſtos & prælatos, qui hypocriſi, flagitijs, & ſceleribus ſuis effugant & repellunt à ſe Spiritum ſanctum?

Spiritus ſanctus etiam indignis & malis adeſt.

ſanctum. MON. Bene habet, quòd non omnes, ſicuti videri vult Brentius: qui Papiſticos pontifices & prælatos (vtar enim verbis eius) multis iam annis horribilium criminum, blaſphemiæ, Magiæ, & Idolomaniæ manifeſtè conuictos, eſſe aſſeuerare non reformidat. Nimirum iudicibus ijſdem, quibus teſtibus, & accuſatoribus, ſeu veriùs criminatoribus: documentis autem partim calumnijs, partim ex archiuo veterum hęreticorum & ſchiſmaticorum petitis, & cum verbo Dei pugnantibus, quemadmodum à me prius demonſtratum eſt. Equidem negare nō poſ-
Matth. 24. ſum, nouiſsimis hiſce temporibus ſuperabundante iniquitate, & refrigeſcente charitate multorum, in tanta prælatorum multitudine, eſſe non paucos varijs vitijs, flagitijs, & ſceleribus etiam fortaſsis inquinatos. In
2. Tim. 2. magna enim domo, ait Paulus, vaſa ſunt quædam quidem in honorem, quædam autem in
Sap. 1. contumeliam. Nec ignoro Sapientis illud dictum: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Verū hæc ab iſtis obijci nobis non oportet, qui fide ſola & nuda ſe iuſtificari gratos Deo fieri, & ſalutem conſequi aſſeuerant, & quibus reſponderi ſcripturæ verAugu. ep. 48. bis illis, quibus vtitur Auguſtinus aduerſus

Dona-

Donatistas, rectè queat: Filius malus ipse se iustum dicit: Exitum autem suum non abluit. Nunquid autẽ incredulitas vel iniquitas talium cooperariorum fidem Dei euacuauit? Nunquid enim inter apostolos non fuit Iudas Iscariotes? Nunquid inter sacerdotes non scelestus Cayphas? nunquid non aua ri, hypocritæ, & increduli tempore Christi nati principes sacerdotum & scribæ? Nec tamen defuit ijs Spiritus sanctus, quando illi quidem prophetarunt; hi vero scisciranti Herodi latentem veritatem è propheticis scripturis aperuerũt. Quid illi, quos Christus in illa die, nempe extremi iudicij, sibi dicturos esse ait: Domine, domine: Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Se verò tunc ipsis confessurum esse: Quia nũquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatẽ. Num autem sine Spiritu sancto fiunt illa, quę illi iniquitatis operarij tunc scrutatori cordium falso obtendere nõ poterunt, nempe quòd prophetarint, quòd eiecerint dęmonia, quòd virtutes multas fecerint? Paulus certè hęc inter dona spiritus sancti connumerat. AVL. Falsa est igitur illa Sapiẽtis de Spiritu sancto sentẽtia, quã dudũ recitasti. MON. Nec falsa, nec

Rom. 3. Lu. 16. Matt. 23. Ioan. 5. Ioa. 11. Matt. 2. Matth. 7. 1. Cor. 12.

pugnat cũ illis alijs ſcripturis. Non ſunt enim eiuſdẽ modi omnia dona Spiritus ſancti: Sed ſunt quædam, quæ priuatam cuiuſque accipientis ea vtilitatem & ſalutem reſpiciunt. Qualia ſunt, charitas, remiſsio peccatorum, acceptatio perſonæ, & munerum, ac operum eius: qualis fuit Abelis. De talibus intelligenda eſt illa Sapientiæ ſcriptura. Neque enim habitant ea in corpore ſubdito peccatis: Sed vel effugant peccata, vel ab ijs effugantur. Alia ſunt dona Spiritus ſancti, quæ non tam ad priuatam & peculiarem eorum, qui ipſis præditi ſunt, quàm ad aliorum hominum, vel eccleſiæ totius vtilitatem, & ad poteſtatem ſapientiamque Dei declarandam non modo bonis, ſed nonnunquam etiam malis & infidelibus admirabili Dei conſilio conferuntur, quemadmodum dudum oſtendi. Qualia ſunt prophetia, miraculorum patratio, interpretatio ſermonum, gubernatio populi, & alia id genus. Quibus quidem rectè quis, & perperam vti poteſt. Itaque etiam malis iuxta ac bonis, dignisque ac indignis ea conferuntur. Atq; hæc gratuita, illa alia gratum facientia diſcriminis cauſſa theologis recẽtioribus appellare mos eſt. Libet aũt hîc nonnulla ad hanc rem facientia ex authore grauiſsimo Chryſoſtomo recitare.

Spiritus ſancti dona varia.

Gen. 4.

Chryſo. in 1. Cor. hom. 8.

re. Qui in explicatione Paulinæ ad Corinthios prioris epistolę, cũ locum illum tractat, (Adhuc enim carnales estis) ita quęrit. Et, quonã pactu, qui tantũ assecuti sunt spiritũ, & quorum tantas laudes initio narrauit, eos carnales appellat? Ipseq; respondet. Nam & illi carnales erant, ad quos inquit dominus: Discite à me, non noui vos, qui operamini iniquitatem. Atqui & dæmones eiecerũt, & mortuos suscitarũt, & prophetias locuti sunt. Itaq; potest etiam, qui signa facit, carnalis esse. Etenim in Balaam operatus est Deus, & Pharaoni futura reuelauit, & Nabuchodonosori: Et Caiphas prophetauit: Et alij quidam dæmonia eius nomine, à quo longe aberant, expulerunt. Hoc enim non eorum duntaxat gratia, qui operantur, fit, sed aliorum quoq;: & sæpe ab indignis hominibus hæc fiunt. Et quidnam admiraris, si indigni homines aliorum gratia huiuscemodi faciunt, vbi & sanctorum? Etenim Paulus, inquit: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors. Et rursum: Quòd ipse dedit alios quidem apostolos, alios autem prophetas, alios vero magistros & pastores ad purgationem sanctorũ, in opus ministerij. Nã nisi sic se res haberet, nihil prohibuisset, quin omnia corrũperẽtur.

Contingit enim principes quidē malos esse & sceleribus coinquinatos, subditos autē mā suetos, & modestos: & laicos religiose viuere, sacerdotes vero impiè. Neq; debuisset aut baptisma esse, aut corpus Christi, aut oblatio, quę per eos administrarētur, si vbiq; gratia meritum exquireret. Nunc autem per indignos consueuit Deus operari, & nihil propter sacerdotis vitam baptismatis gratia lædi tur. Hactenus Chrysostomus. Vides igitur, quàm non solum non secundum prophetic as & apostolicas scripturas, quas plenis buccis crepant idētidem, sed contra eas prorsus isti Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, à cooperarijs suis, atque ita ab vniuersa ecclesia segregant. Ad eius enim vtilitatem dona illa, & perpetuum Spiritus sancti magisterium per eos, qui linguarū vicem in ea obtinent, refertur, quemadmodum & sacramentorum administratio. Quam tamen isti flagitiosis, & sceleratis, & hypocritis non adimūt: Neque hîc indignum facinus esse clamitant, certis personis, & quidem talibus, alligatum esse Spiritum sanctum. Atqui ne hîc frustra sibi blandiatur Brentius, eadem est vtriusque ministerij ratio. Sicut enim non homo, sed Christus est, qui baptizat, & panem verum dat de cælo per ministerium hominis:

Matth. 3. Ioa. 1. & 6

ita

ita Christus idem est vnus ille magister noster, qui itidem per hominum, malorum iuxta ac bonorum, ministerium docet. Spiritus sanctus est, qui per homines apostolos, & apostolorum successores cooperarios suos, bonos iuxta ac malos, loquitur, ecclesiamque Christi in omnem inducit veritatem. Et quamuis Paulus plantet, Apollo riget, immò Iudas Iscariotes vtrumque faciat; Dei tamen adiutores sunt, nosque non ipsorum, sed Dei agricultura sumus, Dei ædificatio sumus. Nō magis igitur deest Spiritus sanctus indignis ecclesiæ ministris in docendo & explicando scripturas, omnemque veritatem religionis, quàm in administratione sacramentorum, quàm in prophetia, edendisque miraculis. Proinde Chrysostomus quoque ad ea, quæ dudum à me recitata sunt, addit. Hæc dico, ne quis præsentium sacerdotis vitam pensiculando circa religionis nostrę doctrinam se scandalizatur. Eo vero amentiæ prouehitur Brentius, vt non solum posterioribus, & quasi gregarijs ecclesiæ rectoribus perpetuum Spiritus sancti magisterium detrahat, verum ipsis etiam ducibus & fundatoribus apostolis. Itaque ipsum etiam Coryphæum eorum Petrum errasse asseuerat, cum à Paulo Antiochiæ reprehensus est. De errore autem dog-

Matt. 23. Io. 3. & 31.

1. Cor. 3.

Apostoli an errarint in fide.

matis & fidei necesse est id accipi, si modo nō extra chorum saltat Brentius. De eo namque oppugnat non modo Petri Sotti, sed communem omnium SS. Patrum sententiam, qui dicunt disertè: Ecclesiam in ijs duntaxat, quæ fidei sunt, errare non posse. Quî minus autē in suis epistolis Petrum, quàm in eo, quod ibi Paulus de eo memorat, erroris coarguere licebit? Quî minus autem ipsum Paulum, aut Ioannem, quàm Petrum? Deniq; qui minus Christū ipsum, cuius illi linguæ ac digiti fuere, quemadmodum tu quoque dixisti, & spiritum sanctum, quem Christus in ipsis loqui affirmat? Hócne latentis & abiectæ per multa sæcula veritatis, euangelij, verbi Dei in æternum manentis, & propheticarum atque apostolicarum scripturarū vindices contendunt? Nihil igitur mirum quòd Brentius idē traditus in sensum reprobū, alibi negat Deū ecclesiam suam facere ἀναμάρτητον, hoc est, quę errare nō possit. Quod quid est aliud, quàm Paulum, immò Spiritum sanctum per Paulum loquentem, & Christum ipsum, cum Iudæis & Turcis mendacijs coarguere? Ille enim ait. Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis: Hic autem promisit, portas inferi non prævalituras esse adversus eam. Quod si vno aut altero in loco admittimus,

Eccelsia an erret.

1. Tim. 3.

Matth. 16.

mittimus, non intelligo, quomodo reliqua earundem scripturarum ab eodem mendacij crimine vindicabimus. Quid igitur obstat, quo minus isti tandem præclara illa patris sui Satanæ mysteria promant, & aperte profiteantur? Nugas esse euangelium: Seductores fuisse Mosen, Paulum, & Christum: Et ad extremum illud, quod Dauid insipientem in corde suo dixisse ait. Non est Deus. Huc sanè videntur collimare, dum contra manifestas scripturas, & verbum Dei, errori, hoc est falsitati, & portis inferorum ecclesiam Christi cum moderatoribus & primis fundatoribus eius apostolis obnoxiam esse volunt. Absit à Christianis pectoribus tantus furor, vt in dogmatibus fidei, & quibus nititur salus nostra, errorem aliquem vel ecclesiæ, vel fundatoribus eius apostolis quis impingat. AVL. At Paulus tamen ait: Petrum non rectè incessisse ad veritatem euangelij. MON. Mirum est istos, qui omnem scientiam sibi arrogant, ignorare: Affectus, non mentes hominum esse pedes eos, quibus in diuinis rebus inceditur, & quibus Paulus, Petrum non rectè incessisse ad veritatem euangelij non obscurè ostendit. Quos deflectere nonnunquam à recto tramite, vel quasi in lubrico titubare, vel prolabi etiam

Gal. 2. Petri à Paulo reprehensio.

quamlibet sanctis & perfectis hominibus (quæ est humana imbecillitas) non insolens est: non inutiliter hoc ita Deo permittente, cum mens tamen rectam de rebus sententiam retineat. Quale hoc fuit, cum Petrus
Act. 15. non ignarus, abolitam esse per Christum legalium observationem (quemadmodum ipse in concilio Ierosolymitano palam ostendit) pio quodam studio, ne Iudæos fideles offenderet atque alienaret, ab ethnicorum conuictu sese subducebat. Quale illud quoque, cum Paulus & Barnabas inter se dissidentes propter Marcum, diuersi discessere. Sed nos totam hanc disputationem viris grauissimis, ac doctissimis Hieronymo & Augustino relinquamus. Et refutarunt abundè has, & alias Brentij gregaliumque eius ineptias cũ Petrus ipse Sotus vir optimus ac doctissimus, nuper in concilio Tridentino vita defunctus, quem Brentius sibi nõ tam refutandũ, quàm scurriliter insectandum suscepit; tum singulare Poloniæ nostræ, aut, si mauis, ecclesiæ catholicæ decus, Cardinalis Hosius. Ridiculè autem cauillatur Martinus Kemnitius, concilij Tridentini Aristarchus,
Kemn. in Exam. concil. Tridé. parte 1: dum pro ecclesia Christi catholica, eiusque hierarchia, fingit nobis nescio quem cœtum veritate doctrinę vacuum, & similem illi pharisai-

risaico, qui Christum & Apostolos scripturæ testimonijs contra consensum suum pugnantes condemnauit. Quod Brentius itidem facit. Quasi verò cœtus ille Pharisæorum, Scribarum, & sacerdotum ijsdem prorsus prerogatiuis præditus fuerit, quas ego ecclesiam Christi diuinitus accepisse ostendi: Aut quasi is, luce euangelij per Christum & Apostolos eius ex oriente (repetendum est enim id, quod paulò ante dixi) & legis, sacerdotij, sacrificiorumq; vmbris finem imponente, non iam amisisset illud certæ veritatis priuilegiũ, quod nos eidem ecclesiæ catholicæ, eiusque hierarchiæ perpetuum iure optimo secundum Christi promissionem vendicamus: ita vt mirum non sit veritatis personam vnà cum discipulis eius ab eo cœtu reprobatam atque damnatam esse, cuius verba non recipiebat. Nec tamen sine obtentu scripturarum cum aliarum, tum de interficiendis blasphemis, seductoribus, violatoribus & euersoribus legis diuinæ ille id fecit. Quemadmodum isti quoque pseudeuangelici omnes, licet dissidentes inter se de præcipuis fidei capitibus, seq; inuicem condemnantes, scripturas dogmatibus suis, quãuis absurdis & impijs prætendunt, & nos, ipsumq; adeo Christum dominum in corpore ipsius ecclesia cum funda

Pharisaicus cœtus quis

Brent in proleg.

toribus eius apostolis condemnant. Se igitur cum suis Kemnicius, & Brentius rectius cum pharisaico illo cœtu composuerint, qui cum à corpore Christi ecclesia, columna & firmamento veritatis, discesserint, atq; ob id veritatem doctrinæ prorsus amiserint, & ipsi scripturarum perperã intellectarum siue detortarum obtentu, quamuis minus inter se consentientes, eam oppugnant, oppressamque & extinctam prorsus, quemadmodum olim scribæ & pharisæi Christum atque doctrinam eius, cupiunt. Verum ea altius & firmius in ecclesia catholica defixa est, quàm vt portis istis inferorum conuelli queat. Certum igitur habeamus cum Irenæo, vbi ecclesia, ibi & spiritus; & vbi spiritus Dei, illic ecclesia, & omnis gratia. Spiritus autem veritas. Vtrunque autem id, Spiritus inquã, & veritas, nõ in theca aliqua aut vase est reconditum, sed in ijs membris repositum, quæ capitis, oculorum & linguæ vicem in ecclesia obtinent, & penes quæ est docendi authoritas, hoc est in pastoribus, doctoribus, & episcopis: Non singulis quidem, sed omnibus pariter, quemadmodum iam dudum, & prius etiam ostendi. Eorum igitur consentiens doctrina pro certa ecclesię voce ac doctrina habenda, & reuerenter suscipienda

Iren. lib. 3. ca. 40.

da est. AVL. Quinam aũt scire possumus, quę sit consentiens doctorum & episcoporũ doctrina? MON. Partim è conciliorum decretis & canonibus ea petitur, partim è singulorũ patrum scriptis dictísve sparsim colligitur. Vnde existunt duo distincta inter se genera doctrinæ ecclesiasticæ. AVL. De vtroq; genere accuratius aliquid abs te expecto. MON. Dicam quod potero. Prius autẽ de Patrum scriptis ac placitis agamus: deinde de conciliorum decretis: Quæ licet ipsa quoque Patrum doctrina sint, distinguendi tamẽ gratia adstringamus hoc nomen ad id genus tantum, quod non à cœtu multorum patrum constitutum esse, sed è singulorum, locis temporibúsque disiunctorum, scriptis dictisq;, vt dixi, colligitur. Et quidem eò succinctius, quod pleraque ad hæc duo genera doctrinæ pertinentia iam dudum persecuti sumus. In patrum verò nomine cum ętas spectari debet, tum officium: tum autẽ dignitas & merita. Ac debent quidem ij commendationem antiquitatis habere. Sed non mox tamẽ in patribus numerandi sunt prorsus omnes ij, qui nos quamlibet multis sęculis anteceſſe runt. Doctrina & pietas præstans, deinde officiũ quoq; accedat oportet: Nempe vt per euãgeliũ (verbis Pauli vtar) ij nos maiorésve nostros

Doctrina consentiẽs vnde petenda.

Patrum doctrina.

Patres qui,

1. Cor. 4.

nostros genuerint, siue ecclesias administrando ac docendo, siue litterarum monumentis rectam religionem propagando, eiq; inimica praua gentilium, Iudæorum, & hæreticorum dogmata refellendo. Postremo non nostro ipsorum, aut priuati cuiusquam iudicio hæc in ijs æstimanda sunt, sed bonum rectè fidei, sanctimoniæ, doctrinæq; testimonium in ecclesia habere eos oportet. Proinde priuati homines & idiotæ, patrum dignationem & authoritatem non habent: Neq; indocti & obscuri: Neq; hæretici, quamlibet multa scripserint ac docuerint, atq; ecclesijs etiã præfuerint: Ne schismatici quidem dispergentes, non colligentes, quamuis vigilanter & religiose alioqui publicis in ecclesia functi muneribus. Quî enim tales inter patres, & pro lingua ecclesiæ eius haberi possunt, qua pręcisi sunt, vel ipsi se præciderunt? Sed ij demum, qui cum antiquitatis, tum doctrinæ pietatis, & muneris ecclesiastici prærogatiua præditi, pro patribus ab ecclesia agnoscuntur & approbantur, ac doctrina eorum recipitur. Vel, vt Vincentij Lyrinẽ. verbis vtar: Qui in fide & communione catholica sanctè, sapienter, constanter, viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.

Vincen. aduersus prof. hæres. non.

runt. Nonnullorum tamen idiotarum antiquitas, & eximia, quamuis tenui, vel nulla doctrina subnixa pietas, & cum probata varijs exercitationibus & periculis martyrioq; vita, tum patrata miracula meruere, vt & ipsi patrum authoritatem obtineant. Quales fuere Paulus, Antonius, Ephrem, & alij nonnulli prisci monachi & anachoritæ: Quorum actæ vitæ exempla sensusq; de religione pro doctrina sunt. Talium igitur patrum doctrinæ magna est & salutaris authoritas in ecclesia, ac perinde habenda, ac si ipsa eam ecclesia voce & lingua sua prodidisset, præsertim si omnes per omnia loca ac tẽpora cõsentiant. Tum demum enim ij verè & indubitatè sunt lingua & vox ecclesiæ catholicæ. Quin scribit Hieronymus: Eos, qui possunt dicere: An experimẽtum quæritis eius, qui in me loquitur, Christus? Et; Viuo autẽ iam non ego, viuit autem in me Christus, non tam ipsos docere, quàm in ipsis Deum, qui ad sanctos loquitur: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Et mox. Qui aũt dij sunt, tradũt Dei euangelium, & non hominis. Huc pertinere videtur & illud sapientis Solomonis in Ecclesiaste: Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His

Hieron. in 1. cap. ad Gal.

Eccl. 12. Hier. ibid.

am-

amplius fili mi ne requiras. Quæ verba expo
nens idem Hieronymus: Exceptis, inquit,
his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, &
concilio atq; consensu prolata sapientium,
nihil facias, nihil tibi vendices. Maiorum se
quere vestigia. Ab eorum authoritate non
discrepes. Qua de re multa præclarè prodi-
dit Vincentius Lyrinensis, qui sub Theodo-
sio & Valētiniano imperatoribus floruit. In-
ter cætera verò scribit is: Si qua noua exurge
ret quęstio, recurrendum esse ad SS. Patrum
sententias, eorum duntaxat, qui suis quique
temporibus vel locis in vnitate communio-
nis & fidei permanentes, magistri probabi-
les extitissent. Et quidquid ij vno sensu
atque consensu tenuisse inuenirentur, id ec-
clesiæ verum & catholicum absque vllo scru-
pulo iudicaretur. Ante hunc autem Athana-
sius. Sufficiunt quidem, inquit, per se, tum
sacræ, & diuinitus inspiratæ scripturæ ad
veritatis indicationem, tum plurimi de ea-
dem re libri à sanctiss. magistris conscri-
pti. Et alibi: Quod citat etiam Epiphanius;
Hoc verò solum ad talia (nempe praua &
contentiosa dogmata) respondere ac dicere
satis est. Quod non sunt hæc catholicæ ec-
clesiæ, neque Patres hæc docuerunt, aut
senserunt. Cyrillus verò Alexandrinus:

Vbiq

Lir. aduer. hæreses.

Atha. in orat. contra Idola.

Id. ad Epict. Epis. Cor. Epiph. contra hær. li. 3 to. 2. in dimœritis.

Vbiq;, inquit, sanctorum Patrum sententijs adhæremus. Et ad Nestorium. Adhærentes autem vbique SS. Patrum confessionibus, quæ spiritu sancto in ipsis sunt loquente factæ, & scopum sensuum, qui in ipsis sunt spectantes, ac veluti regia via ambulantes, dicimus, quod ipse vnigenitus Dei sermo ex ipsa patris substantia genitus, verus Deus ex Deo vero, &c. Et rursus: Non sufficiet autem pietati tuæ, symbolum tantum fidei, quod olim à sancta ac magna synodo, in Nicæa in spiritu sancto congregata, est expositum, nobiscum confiteare. Non enim rectè illud intelligis & interpretaris, sed magis peruersè, licet dictionem illius voce confitearis: Sed conueniet, vt & scripto, & iureiurando confiteare, cum quòd scelesta tua & profana dogmata anathematizes, tum quòd sensurus sis, & docturus eadem, quæ & nos omnes, & qui in Oriente sunt & Occidẽte episcopi, & doctores, & populorũ præsides. Atq; ita eius ipsius Nestorij hæresis in sancta Ephesina synodo, eodẽ Cyrillo præsidente refutata ac damnata est, quemadmodũ paulò ante memoratus Vincẽtius Lyrinensis tertio post anno memoriæ prodidit. Scribit aũt is ad hunc modũ. Vbi? Ephesi nimirũ cum de sanciendis fidei regulis disceptare-

Cyr. in lo. li. 10. ca. 13: Id. ep. 10.

Ibid.

Hæreticis conuersis quid faciẽdum.

Ephesini concilij progressus

Lirin.

tur,

tur, ne qua illi forsitan profana nouitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc catholicissimum, felicis. atque optimum factu visum est, vt in medium SS. Patrum sententiæ proferentur; quorum alios martyres, alios confessores, omnes verò catholicos sacerdotes fuisse, & permansisse constaret, vt scilicet ritè atq; solemniter ex eorum consensu atq; decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ nouitatis blasphemia condemnaretur. Et rursus. Concilio enim Ephesino diuinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibi consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas. Enumeratque eos Patres nominatim. Quæ quidem vt nunc acta sunt, in Chalcedonensi 630. episcoporum concilio postea reuerenter, & cum approbatione repetita sunt. Ad eundem modum Eutychetis hæresis ab ipso Chalced. concilio Leonis Papæ authoritate egit sexta synodus Oecumenica adtem sequente condamnata est. Recitanturq; à Leone nonnullorum patrum scripta. Eodē uersus Monothelitas, Agathonem Papam cum Romana synodo secuta. In cuius actis extat etiam præclara illa & catholica Sergij hære-

Chalc. concil. act. 1. & sequen.

Leo in tomo ad Flauian. ep. & epist. ad Leon. Au. Agatho Heracl. & Ty. Augg.

hæritici sententia, è scripto eius publcè recitata. Omnino necesse est, non solum secundum sensum sequi sanctorum Patrum dogmata, sed eiusdem vocibus vti cum illis, nihilque penitus innouari. Sic hæreticus etiam non putauit se dogma nouitium in amplis. illo concilio tueri posse, nisi Patrum consensum mentiretur. Quod nostri etiam temporis hæreticis familiare est. In septima quoq; synodo, quæ fuit Nicæna altera, itidem enumerantur patres, qui venerandas esse imagines SS. senserunt: Et profitentur patres illius concilij, Diuini loquorum patrum doctrinis se correctos esse: Ex illis se fidem & veritatẽ hausisse: Illos sequentes, mendacium persecutos esse. Ad eundem modum in Florentino concilio cum Græcis actum, ac de Spiritu sancti processione definitum est. Ad eundem egit & Augustinus aduersus Donatistas & Pelagianos. Sic & Hieronymus Heluidium, & Basilius Magnus Pneumatomachos confutauit. Scribit etiam de hac ipso Basilio & Gregorio Nazanzeno Ruffinus: Eos per annos tredecim solis diuinarũ scripturarum voluminibus operam dãtes, intelligentiam earum è maiorum scriptis haurire solitos esse. Homines tardos & stupidos, & minime comparãdos cum istis Euangelicis,

Sexta syn. act. 12.

Nic. 2. syn. act. 5. & 6.

Ibid. act. 1.

Florent. concil.

Bas. ad Amphiloch. de spir. S.

Ruff. hist. eccl. lib. 2. ca. 9.

qui percurso verius, quàm perfecto vno atq; altero noui testamenti libro, nec vllo è patribus interprete adhibito, derepente summi existunt theologi. AVL. Mitte istos, & ad ré-
Socr. li. 5. ca. 10. redi. MO. Age. Hoc etiam Theodosium Augustũ, synodo ad reuincendas hæreses instituta, consilio Nectarij patriarchę Constantinopolitani secutũ esse, Socrates in ecclesiastica historia memorat. Iam Clemẽs quoq; eius ne-
Vienn. concil. minis quintus pontifex max. in cõcilio Viennensi controuersiam quandam definiens ita orditur. Nos ad SS. Patrum & doctorum communem sententiam apostolicæ considerationis aciem conuertentes, sacro approbante concilio declaramus, &c. Sic frequentissima ac celeberrima omnium temporum concilia de SS. Patrum doctrina senserunt, & ad eorum normam decreta sua accõmodarunt.
Cõc. Cõst. 5. Can. 19. Quin extat canon sexti vniuersalis concilij, ita præscribens: Quòd oportet eos, qui præsunt ecclesijs, omnibus quidem diebus, sed præcipuè Dominicis omnem clerum & populum docere pietatis ac rectæ religionis eloquia, ex diuina scriptura colligentes intelligentias, & iudicia veritatis, & non transgredientes iam positos terminos, vel diuinorum Patrum traditionem. Sed etsi ad scripturam pertinẽs controuersia aliqua excitata fuerit,

fuerit, ne eam aliter interpretetur, quàm quo modo ecclesiæ luminaria & doctores suis scriptis exposuerunt. Quod itidem Laterannensis quoque synodus sub Leone decimo pontifice, & nuper adeò Tridentina præcepit. Extat & in secunda Nicæna synodo anathematismus Basilij Ancyrani episcopi his verbis editus. Qui doctrinas SS. Patrum, & traditionem ecclesiæ catholicæ contemnunt, quique caussantur, voces Arij, Nestorij, Eutychis & Dioscori iactant dicentes: Quòd nisi satis ex veteri & nouo testamento instructi essemus, sanctorum patrum, sacrarum sex synodorum doctrinas, & catholicæ ecclesiæ traditiones sequeremur, execratio. Sic igitur de consentiente SS. Patrum doctrina sentit omnium temporum ecclesia, eamque pro sua agnouit & agnoscit, & ab ea cuiquam dissidere fas esse negat. Quibus tamen hac lege credendum est, vt Vincentij verbis rursus vtar, vt quidquid vel omnes, vel plures vno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. AVL. Atqui errarunt etiam nonnunquam Patres SS. non solum singuli, vel

Later. syn. act. 11. Trid. syn. sess. 4. Con. Nic. 2. act. 1.

Patres errarunt.

nonnulli, verumetiam plurimi, ne dicam. Non potest autem inde colligi certa veritas, vbi error aliquis deprehenditur. MO. Vtrunque tibi dabo, ac erroris plerorunq; omnium antiquiorum correcti vel reprobati à recentioribus proferuntur nonnulla documenta. Quale est de conceptione sanctiss. Christi matris Mariæ. Creditur enim ea sine peccato concepta esse, licet nemo ferè sit antiquiorum Patrum, qui non contrarium senserit, vel nihil duntaxat certò & apertè definiuerit. De creatione quoq; mundi partium cõuenit inter eos, sex diebus eas singillatim esse conditas. Recentiores tamen Augustinum sequentes simul omnes partes ac totum opus mundi creatum esse contẽdunt. Verum ego non de multorum huius vel illius temporis, sed de vniuersorum, antiquiorum iuxta ac recentiorum, consensu loquor. Vniuersitas enim tempora, & loca complectitur. Deinde verò alia est ratio eorum dogmatum, quæ saluo fidei fundamẽto ignorari, aut falso credi, siue existimari possunt, alia eorum, quorum certa fides ad salutem hominum necessaria est: Vel vt Augustini verbis idem eloquor. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiã doctissimi atq; optimi regulæ catholicæ defensores salua fidei compage non consonant: Alia verò, quæ

Aug. ad uer. Iu. lib. 1. cap. 2.

quę ad ipsa fidei pertinẽt fundamenta. In his enim nunquam patitur errare ecclesiã suam is, qui cum ea est vna caro, & vnus spiritus, quemadmodum audisti antea. In cæteris verò, quæ his ancillãtur, & humana ratione cõprehenduntur, saluaq́; fide ignorantur, alius alio melius aliquid dicit & verius, vt Augustini verbis rursus vtar. Quin permittit Deus ipsam ecclesiam nonnunquam suo sensu & humana ratione nitentem, ignorare quædã ad tempus, aut opinari, vt indies ea magis ac magis proficiat, & crescat in eo, qui est caput eius, perpetuæq́; pręsentiæ & gratiæ eius non obscura habeat documenta. Qualia sunt, quę dudum exempli gratia commemoraui. Non periclitatur enim fides catholica, siue hoc, siue aliud de ijs sentiamus. Proinde rectè addit idem Lyrinensis. Sed hæc tamen SS. Patrum consensio non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solum certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio & inuestiganda est, & sequenda. AVL. Ergo in dogmatibus tantum SS. Patrum doctrina sequenda, & pro ecclesiæ catholicæ doctrina habenda est? Et quidem ijs modo, quæ ad regulam fidei pertinent: MON. Immò & in rebus agendis, ijs duntaxat, quæ parem vim obtinent ad salutẽ. AVL. Quid in interpretatione & exposi-

Aug. ibid.

Lyrin.

Patrum doctrina in quibus amplectenda est.

positione scripturarũ. MO. Perinde, vel magis etiam. Hanc enim disertis verbis exprimunt pleraq; dudũ a me prolata testimonia.

Clem. epi. 5. Clemens quoq; Petri apostoli discipulus & successor: Diligẽter, inquit, obseruandũ est, vt lex Dei non secundũ propriam intelligentiam doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quę possunt trahi ad eum sensum, quem sibi quisq; sponte pręsumpsit. Quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleritis alienũ & extraneum, debetis quęrere, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligẽtiam discere scripturarũ, quicam à maioribus secundũ veritatẽ sibi traditã seruat. Et Dionysius Areopagita: Ad sanctissimarũ scripturarum intelligẽtias, prout illas à patribus accepimus, contuendas pro viribus pergamus. Augustus vero: Si vna quęq; disciplina, inquit, quanquã vilis & facilis, vt percipi possit, doctorẽ aut magistrũ requirit, quid te merarię superbię plenius, quã diuinorũ sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere? Igitur & in expositione scripturarũ sacrarũ vel maximè Patrũ authoritas nobis sequẽda est. Sed satis habuit Vincẽtius hic dicere: In fidei regula: Quia & in scripturis ijs, quibus fidei regula non continetur, exponendis

Dion. de cæl. hier. ca. 1.

Aug. de vtil. cred. ad Honor. ca. 17.

dis minus est piaculi, à sensu & consensu SS. Patrũ discedere. Quin sunt eæ similes piscibus Christi benedictione multiplicatis: Nã vt de illis sumebat sibi quisque, quantum volebat, quemadmodũ scribit Euãgelista; sic & in scripturarum intelligentia nihil prohibet exercere quenq; ingenium suum, modo vt fidei fundamentũ, analogiamq; ne labefaciat, néve cum sensu & consensu ecclesiæ catholicæ pugnet. Quod Vincentius idem omnibus catholicis præscribit illis, quæ prius etiam recitaui, verbis: Nempe vt diuinũ canonem secundum vniuersalis ecclesiæ traditiones, & iuxta catholici dogmatis regulas interpretẽtur. Quòd ita demũ fit, ait Lirinensis, si sequamur vniuersitatẽ, antiquitatẽ, cõsensionem. Sequeremur aũt vniuersitatem hoc modo, si hanc vnã fidẽ verã esse fateamur, quam tota per orbẽ terrarũ confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos Maiores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoq; itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certè pene omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Ergo in expositione scripturarũ iuxta ac in dogmatibus fidei consentiens SS. Patrum doctrina sequenda, &

In scripturis exponẽdis licet à consensu patrum discedere. Ioa. 6.

Lir. ibid.

Lir. aduersꝰ prosa. nouat.

De patrum singulorũ vel paucorum doctrina quid sentiendum.

pro doctrina ecclesiæ catholicæ habenda est, AVL. Quid si nobis non constet aliqua eiusmodi de re, an Patres inter se consentiant? Aut si quid pauci aliqui definiuerint vel explicauerint, à cæteris prætermissum? MON. Confitere eos omnes existimandũ est, quoad non constat, aliquos dissentire. Nihil autẽ prohibet etiam paucos, atq; adeo singulos, immò & vnumquemq; pastorem ac doctorem linguã esse ecclesiæ. Sicuti vniuersi quidem, qui Christo nomina dedimus, sumus vna sponsa Christi, & templum Dei viui, nihilominus tamen singuli quoq; sponsæ eius sumus, desponsi ei per fidem in baptismo, & non solum omnes pariter, sed etiam vniuscuiusq; nostrum membra templum sunt spiritus sancti. Verum tantisper quisq; nostrum sponsa Christi est, ac templum Dei, quoad se à toto corpore ac domo eius in ecclesia vniuersa non diuellit. Ad eundemq; modum pastor ac doctor quilibet tantisper est lingua ecclesiæ, quoad ab ecclesia segregatus non est, nec à communi cæterorum doctrina dissentit: Ita vt secundum Christi verbum, vbicunq; fuerit corpus, illuc congregentur & aquilę. Quod si quis vnus, aut pauci Patrũ ac doctorũ numero seiunctum aliquid, & alienũ à sensu & consensu cæterorum, & ecclesiæ totius

Pastores & doctores etiam singuli linguæ sunt ecclesiæ.

Apoc. 21.

2. Cor. 11.

1. Cor. 6.

Matth. 24. Luc. 17.

Patribus dissentientibus quid agendum.

totius docent, qualescunque & quanticunque ij sunt, desinunt in eo duntaxat esse linguæ ecclesiæ: Nec eorum doctrina pro ecclesiæ doctrina habenda est, etiamsi ij cum sanctimonia vitæ tum doctrina pietatis præstare videantur, & magna sit alioqui eorum authoritas in ecclesia. Quin multorum quoq; non prorsus irrefragabilis est authoritas, si qui aliter sentiant: videturque ibi locum habere posse illud Euangelicorum istorum axioma: Ne quis alieno credat iudicio sine suo: Dummodo modestiæ memor, doctiores & pios in consilium adhibeat, & analogia fidei catholicæ rationeque certa, non temeritate nitatur. Nempe, vt secundum Pauli doctrinam, non plus sapiat, quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem. De quo sic Augustinus: Sicut multa erant, inquit, quæ doctus Cyprianus doceret, sic erat & aliquid, quod Cyprianus docibilis disceret. Et libro 2. eiusdem operis. Quis nesciat, Episcoporum litteras, quę post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum episcoporum grauiorem authoritatem, doctorumque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, si quid fortè in eis à veritate deuiatum est. Et ad Hiero-

Augu. de bapt. con. Dona. li. 5. ca. 26.

Ibid. li. 2. ca. 3.

Id. de bapt. contra Donat. li. 2. ca. 3.

Id. ad Hier. ep. 19. nymum. Ego enim fateor charitati tuæ, solis ijs scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem habere, honoremque deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. At si in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Et ad Fortunatum. Neq; quorumlibet, inquit, disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atq; respuere, si fortè inuenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet diuino adiutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: Tales volo esse intellectores meorum. Sic igitur de patrum singulorum vel paucorum, & complurium etiam authoritate sentien-

Id. ad Fort. ep. 3.

tiendum est. Rectè autē & ordine fecerimus, quando dissentiunt inter se Patres, si facta cō tentione, famæ celebritate, consensione, vetustate roboratæ, vt Augustini verbis vtar, credamus: Hoc est, si plurium, & pręstātiorū, & vetustiorū sententiam amplectamur: quos credibile est puriores ex ipsis fontibus, apostolis, inquā, & proximis eorū successoribus ecclesiarum pręsidibus aquas doctrinę salutaris hausisse. Nonnunquam tamen vsu venit, si non idē omnes sentiant Patres, vt pauciorū, vel vnius etiam aut alterius, sed præstantiorum & magis illustriū, vel posteriorum concors sententia obtineat in ecclesia. Exempli gratia. Attigi paulò ante de partium mundi creatione, & de conceptione S. matris Christi Mariæ non conuenire inter Patres. In horum altero vnius ferè Augustini sentētia plurimorum vetustiorum eo iuxta ac posteriorum opinioni anteponitur: Nimirum, omnes partes mundi simul creatas esse: In altero vero vicit recentiorum sententia. Sine peccato originali conceptam esse Mariam, licet veteres plerique omnes secus sentire videantur. Patitur enim (quod prius etiam memini me ostendere) certa prouidentia ac dispensatione Spiritus S. latere nonnulla ad tēpus in ecclesia, aut obscure ambiguēvè promi & conscribi

Aug. de vtil. cred. ca. 17.

scribi a SS. patribus, cum ea non exagitantur ab hæreticis, vt sit, in quo se exercet iuniorũ industria. Quæ definita vel explicata postea, faciunt, vt minus liberum esse incipiat deinde cuiquam dissentire. Quale est, quòd Augustinus & alij quidam è veteribus, Angelos corporeos esse opinati sunt. Quorum reiecta est opinio. Possent & alia nonnulla eiusdem modi enumerari. Verum ea talia ferè sunt, quorum ignoratio vel hallucinatio nullum affert fidei salutiq; humanæ periculum: quemadmodum prius etiam dixi. Nec tamen desunt etiam periculosi quidam antiquiorum & illustriorum Patrum lapsus. Quales ego aliquot prius perstrinxi. Sed ij præclaris alijs eorum virtutibus & meritis compensati & obscurati, vel fuso pro fide sanguine eluti sunt, ita vt ipsis non obsint: Obsint autem ijs, qui post agnitam certius in ecclesia veritatem, idem sibi sentiendum esse existimauerint. Proinde Lyrinensis: O rerum, inquit, mira conuersio. Authores eiusdem opinionis catholici, consectatores vero hæretici iudicantur: Absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: Conscriptores librorum filij regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet. De SS. Cypriano & Agrippino, ac de Donatistis, horum de rebaptizando

dogma

dogma secutis, loquitur. Igitur non consentibus patribus ita demum plurium, & antiquiorum, ac celebriorum authoritati standū est, si posteriorum consentientium iudicio, synodali præsertim contrarium diuersúmve definitum non sit. Qua de re ita Lyrinensis: Et si quando, inquiens, pars contra vniuersitatem, nouitas contra vetustatem, vnius vel paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certè multo plurium catholicorum consensionem rebellauerit, præferant partis corruptioni vniuersitatis integritatem, inque eadem vniuersitate nouitatis profanitati antiquitatis religionem: Itemque in ipsa vetustate, vnius siue paucissimorum temeritati primum omnium generalia, si qua sunt vniuersalis concilij decreta præponant. Tunc deinde si minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus adiuuante domino fideliter, sobriè, solicitè obseruatis, non magna difficultate noxios quosque exurgentium hæreticorum deprehendemus errores. His armis Augustinus cum Iuliano Pelagiano exultante, & sibi, vt ipse scribit, quasi victore insultante, tanquam non inueniret is, quid faceret, quo cōfugeret, si iudicium premeretur potestate, si

Lir. aduer. prof. hær. nou.

Aug. aduers. Iul. li. 1.

in

in medio eruditorum cum ipso consisteret, si veræ rationis tuba, si auditorum arma circumstantium, & ipsi Iuliano fauentium con creparent: his inquam armis congressus est:
Li.2. Talibus iudicibus cum eo disceptauit, sanctis videlicet, & in sancta ecclesia illustribus antistitibus Dei, alijs atque alijs temporibus & regionibus ab oriente & occidente congregatis, qui omnes sacris litteris eruditi fuissent, in quibus nō ipsos, sed illum, qui sibi eos vtilia vasa formauit, & sancta templa cōstruxit, timeri oporteret. Qui tunc de illa caussa iudicarint, quando eos nemo potest dicere, perperam cuiquam vel aduersari, vel fauere potuisse, cum nondum extitissent ij contra quos conflictum ipse susceperat. Nec eos cœcos, quorū multitudo ad aliquid inueniendum nihil prodesset, dici potuisse. Nec sola nomina, sed prudentiam in ijs electam esse, & honoratam paucitatem quam ratio eruditio, libertasque sublimaret: Nimirum episcopos doctos, graues, sanctos, veritatis acerrimos defensores aduersus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona in iudicibus requirerentur, nihil inueniri posset, quod spernendum esset. Si episcopalis, inquit, synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si ta-

si tales possent illic facile sedere tot, quia nec isti vno tempore fuerunt. Sed fideles & multi: Excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diuersas ętates, temporum lo corumq́; distantias, sicut ei placet, atq; expedire iudicat ipse, dispensat. Et paulo post. Talibus post apostolos sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit. Vides, quantum hic sanctus doctor, & ecclesiæ catholicæ lumen ac decus, SS. Patrum authoritati in controuersijs ac dogmatibus ecclesiasticis tribuat? Adeò, vt eorum doctrinam conciliorum decretis æquet, ac propemodum anteponat. Est autē & illud hoc loco tibi animaduertendū, duobus modis docere solere Patres. Vel enim docent ij tanquam doctores, quid ipsi vnaquaque de re, aut loco scripturæ sentiāt; vel tanquam testes, qui sit sensus aut mos ecclesiæ catholicæ. Atque illud quidem ad hunc, quem nunc tractamus doctrinæ ecclesiasticæ locum propriè pertinet, hoc ad eum magis, quem prius tractauimus, vbi sententiæ Patrum, vti certa & indubitata testimonia sensus & consensus vniuersæ tēporum illorum, vel etiam superiorum ecclesiæ proferuntur: quem illi & probè nosse, & verè ac fideliter posteris prodidisse credendi

Doctrina patrum duplex.

Aug. cont. Iulia. lib. 2. di sunt. Qui, vt ait Augustinus, quod inuenerunt in ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nec minus autem credendum est, quando ipsi suo iudicio docent aliquid ad fidem, mores, aut sensum scripturarum pertinens, ob eas, quas exposui causas. Valet autem hoc genus doctrinæ in expositione scripturarum, & in ijs quæstionibus potissimum, quæ sunt abstrusiores, & à vulgi intelligentia remotiores: illud in apertioribus, & in ijs præsertim, quæ ad mores & instituta, ritusque externos religionis pertinent. Exempli gratia. Si quæratur de ritibus baptismi, vel missæ sacrificio quid sentiendum sit, rectissimè spectatur publicus sensus & consensus ecclesię, qui Patrum testimonijs probè deprehenditur. Sin de Dei, angelorũ, aut animarum natura, aut qui sit huius vel illius scripturæ sensus, ipsorum patrum concors sententia id rectè definiuerit. Neq; enim fieri potest, vt aliud ecclesia sentiat, quàm quod ab eis traditum acceperit, quos diuinitus pastores & doctores, ac dispensatores mysteriorum Dei ad consummationem sanctorum, & in ædificationẽ corporis Christi accepit. Sed iam de conciliorum quoque decretis & canonibus, & pontifi-

Ephe. 4.

pontificum max. sanctionibus nobis agendum est: Quæ sunt reliqua duo genera doctrinæ ecclesiæ catholicæ. AVL. Quid agis? Súntne etiã decreta pontificia doctrina ecclesiæ? MON. Quid ni? Sed de conciliorum ratione & authoritatate prius nobis agendum est. AVL. Tuo arbitratu. Verum differamus vtrunque, si videtur, in tempus pomeridianum, siue adeò ad mensam. Volo enim vt aliquando tandem mecũ prandeas. MO. Age: Obsecundabo. AVL. Soli erimus: Nisi tu fortè vmbram aliquam tecum vis adducere. MON. Vnum de fratribus & socijs meis mecum adducam. AVL. Placet. MON. I prę: Sequar illico. Neque enim decet, te aulicum Regium in publico cum cucullatis monachis incedere. AVL. Melius iam mihi olet ista cuculla, quàm dudum MON. Quid autem dicerent, vel quid non dicerent æquales & congerrones tui, si te ita comitatum viderent? AVL. Minus iam moror, & morabor deinceps eorũ sermones, sannas, ac dicteria. MON. Bene facies. Sed iam mihi prius introeundũ est, & euocandus frater. Nõ erimus in mora. AVL. Præibo igitur, vt parata sit mensa. Tu puer hîc mane, donec redeat intus pater, vt eum ad nos deducas.

COLLOQVIVM OCTAVVM DE CONCILIORVM ET PONTIFICVM *Romanorum decretis.*

AVL. Nescio quàm benè pasti estis. Boni consulite familiarem apparatum. Equidé nunc magis, quàm dudum, esurio, & lautitias mensæ tuæ, mi pater, auidè expecto, conciliorumque & pontificiorum decretorum vim & rationem sicut promisisti, explicari mihi abs te cupio. MON. Vtinam commodè & rectè id nunc præstare possim, tam benè abs te pastus & potus. AVL. Quin tu pergis. Ne me rideas. MON. Non defugiam authoritatem tuam, quandoquidem boni consulis tenuem apparatum meum. Ac multa quidem à multis magnis & præstantibus viris, iureconsultis iuxta ac theologis, de vtroque hoc genere doctrinæ ecclesiasticæ accuratè & luculentè scripta atq; tractata sunt. Ego nunc tibi vtrunq; tenui penicillo deliniabo. Exactiorem & absolutam picturam ab illis petas, censeo. AV. Istuc ego videro postea. Tu perge. MO. De concilijs siue synodis (vtrunq; enim nomen idem significat) & authoritate eorum variè pseu-

Pseudeuãgelici illi sentiunt, quemadmodũ nudius quartus audiuisti. Sed mittamus eos, non simpliciter, atque ob id non confidenter, vt ait Salomon, ambulantes. Cæterum ipsa nobis scriptura sacra, & antiquissima perpetuaque ecclesiæ Christi praxis cum originem conciliorũ demonstrat, tum vim, vsum, & authoritatem commendat, & sancit quodammodo. Scribit enim Lucas euãgelista in actis apostolorum: Quòd exorta inter Christianos Antiochiæ disceptatione de circumcisione, an videlicet oporteret circumcidi ethnicos siue gentiles religionem Christianam suscipientes, missi sunt Paulus & Barnabas, & alij quidam ex aduerso Ierosolyma ad apostolos & seniores: Et quòd conuenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc, id est, vt discuterent id negocium siue quæstionem. Additque: Re diligenter examinata, definitam ab eis esse controuersiam decreto seruatu necessario, de Spiritus sancti & ipsorum sententia: Et cum Antiochiæ id promulgatum esse, tum in Syria & Cilicia à Pauso & Sila, præcipientibus custodire ea ipsa præcepta apostolorum atque seniorum. Habes igitur fontem conciliorum, ab apostolis profluentem: Habes materiam, controuersiam de rebus ad religionem & ecclesiæ

Prouerb. 10.

Conciliorum origo & authoritas.

Act. 15.

Conciliorum fons.

Materia.

Forma. statum & concordiam pertinentibus exuſcitatam: Habes formam, diligentem examinationem, diſcuſsionem, ac definitionem negotij, non ab incondita turba & vniuerſa credentium multitudine, neque à ſcribis & Act. 6. legiſperitis, quorum multa turba, vt ait Lucas, iam tunc obediat euangelio, ſed ab ijſdem apoſtolis piſcatoribus, & alijs ſenioribus ſiue presbyteris, & moderatoribus eccleſiæ inſtitutam & abſolutam: Ad eum autem finem inſtitutam, vt recta doctrina explicaretur, praua extirparetur, & concordia, conſenſus, atque tranquillitas in eccleſia conſeruaretur, & vt Paulinis verbis vtar, vt omnes idem ſaperent, & in eadem regula permanerent. Habes denique vim & authoritatem, quæ Chriſto initiatis & eccleſiæ ſeruandi placita concilij legem & neceſsitatem imponit. Et quidem à Spiritu ſancto profectam: quam Iudæi iuxta & gentiles fideles ſine vlla detrectatione amplexi ſunt, licet horum quidem libertatē imminuere, illorum verò legem diuinam & ſacroſanctam labefacere ea videretur, & neutri in cōſilium eſſent adhibiti. Hanc autem rationem definiendi de controuerſijs in religione ſubinde ſuborientibus, ſchiſmata ac diſsidia tollendi, & refellendi praua contentioſorum hominū & hæreti-

Finis.

Phil. 2.

Authoritas.

Vſus.

hæreticorum dogmata semper deinceps tenuit omnium temporum ecclesia Christi catholica, & quasi, quod ipsa lingua sua prolocuta esset, pro suis placitis ac decretis agnouit, quidquid in legitimis episcoporũ & sacerdotum concilijs cõstitutum esse de rebus eiusmodi, quæ Christi & apostolorum doctrina proditæ, & satis explicatæ non essent; aut explicatæ quidem, sed contentiosorũ hominum importunitate in dubium postea reuocatæ. Primis tamen centum quinquaginta annis post primũ illud, aut si quod aliud Ierosolymis vel Antiochiæ ab apostolis habitum est, concilium, non constat vllum aliud vsquam esse habitum: Non quòd nullæ tunc extiterint in ecclesia de religione controuersiæ: (Epiphanius quidem propè triginta hæreses per illud tempus exortas recẽset.) Sed quòd post dispersionem discipulorum Christi, vigente ac durante impiorum in Christianos persecutione cogi cœtus è diuersis locis & regionibus non facilè poterant. Et tanta autẽ erat apud primos Christianos singulorũ apostolorũ & apostolicorũ virorũ eccle siæ moderatorũ authoritas, diuinitus infusa doctrina, integritate sanctimoniaq; vitæ, & miraculis collecta, vt in ea libẽter acquiescerent, deuitantes profanas verborum & opi-

Cõcilia rara in primitiua ecclesia.

Epiph. aduersus hæres. li. 1. 2. & 3.

Concilia antiquissima.

nionum nouitates. Donec sub Cõmodo imperatore, pace ecclesijs, quemadmodum scribit Cęsarienſis Euſebius, per omnem terram propagata, cũ exorta esset inter Christianos de die Paschę cõtrouersia, & Asiatici episcopi, Pij, Aniceti, Soteris, Eleutheri, & Victoris Rom. põtificũ authoritati Christi exemplũ, & Ioannis euangelistæ, aliorumq; apostolorum & apostolicorum virorum, ecclesię sicut ipsi dicebant, luminum traditionem, ecclesiarumq; suarum morem perpetuum contentioſe obtenderent, eiusdẽ Victoris prȩcepto institutæ sunt per varia loca synodi: Nimirũ Cęsareæ in Palęstina, Romę, in Ponto, in Gallia, in Achaia, in Asia. Valuitque deinceps id, quod eæ synodi missis inter se inuicem epistolis vno consensu, excepta Asiatica, conuenienter Rom. pontifici constituerunt. Subsecutę sunt deinde aliæ: Velut Romana aduersus Nouatianos, primùm sciſmaticos tantũ, mox etiam hęreticos: Romana alia, & Africana tẽpore Cornelij & Cypriani de baptiſmo hęreticorum: Antiochena aduersus Paulum Samosatenum, distinctionem personarum in Deo negantem: Rursusque Romana & Ancyrana sub Marcellino, & Næocæsariensis, vsq; ad Nicænam: Quæ post trecentesimum à Christo nato annum trecentis decem &

Euſ. hiſt. eccl. li. 5. ca. 21. & ſequent.

Euſe. li. 6. ca. 33.

Id. li. 7. ca. 2. li. eod. ca. 24.

Cõcil. to. 1. Concilium vnicum fale primum Nicænum.

& octo episcopis è toto orbe Christiano Constãtini Magni imperatoris Rom. studio & opera coactis, ad tollendum Arianũ dogma, & schisma illud de die paschę, ad id vsq; tempus in ecclesia durãs, instituta, prima fuit vniuersalis siue Oecumenica. Post quã deinceps per multæ aliæ, partim vniuersales, partim prouinciales, partim inter has mediæ: Diœcesanæ aũt innumerabiles celebratæ sunt, rectæ fidei, pacis, tranquillitatis, disciplinę & ordinis in ecclesia conseruandi gratia. AVL. Est igitur salutare ecclesiæ Christi istud conciliorum institutum. MON. Maximè: Hæreticis autem & refractarijs terribilis est in primis castrorũ hæc acies ordinata. Etenim conciliorum decretis & canonibus vel maximè & expeditissimè eorum dogmata refelluntur & profligantur, licentiaq; & audacia frenatur. AVL. Audiui genera aliquot synodorum siue conciliorum abs te enumerari. Velim eorum rationes atque discrimina mihi explices. MO. Fiet. AVL. Notio quidem nominum, quibus ea genera appellantur, & vsus eorum præbet mihi nonnullam discriminis suspitionẽ. Nimirum quod diœcesana sint, quę in vnaquaque diœcesi: Prouincialia, quę in singulis prouincijs coguntur: Vniuersalia quoque quænã sint, videor mihi intelligere.

Hæreticis concilia terribilia sunt

Conciliorũ genera.

Diœcesana

Prouincialia.

Vniuersalia.

Oecumenica. Plenaria. Generalia. Nationalia

MON. Nempe quæ ex vniuerso orbe Christiano coguntur: Quæ etiam Oecumenica, & plenaria, & generalia nonnumquam vocantur. AVL. Quænã autem sunt medij generis: Nationalia hæc vocãtur, opinor. MON. Minime gentium. AV. Cur igitur omisisti nationalia? MO. Quoniam ea, si qua sunt, prouincialibus continentur, quemadmodum & Patriarchalia: Primatialia autem ea, ni fallor, non malè dici possent, propterea quòd à primatibus ea, sicut patriarchalia à Patriarchis, in sua cuiusque ditione cogantur & habeantur. Quale fuit Carthagineñ. tempore Cypriani, & alia quædam Africanarum prouinciarum à Carthagineñ. Episcopo Africæ primate: Et Toletana nonnulla Hispanicæ nationis, à Toletano Archiepiscopo primate Hispaniæ coacta. Nam Alexandrinum tempore Athanasij, ex illius ipsius patriarchatus prouincijs congregatum fuit, quemadmodum & Constantinopolitana quædam, & Antiochena. Quæ omnia vnà cum diœcesãnis, & ijs, quæ ab archiepiscopis siue metropolitis in sua cuiusque prouincia instituuntur, & propriè prouincialium appellationem obtinent, particularium nomine comprehẽduntur. In quibus eæ modò caussæ tractantur, disceptantur, ac definiuntur, quæ ad

Primatialia. Patriarchalia.

Particularia.

fin-

singulas dioceses, aut prouincias, vel plures etiam, sed vnum primatem patriarchámve agnoscentes, earumque administros ecclesiasticos & plebes priuatim pertinent: nimirũ vt rectè & ordine suum quisque officium faciat, sua cuiq; genti & regioni conueniens politia ecclesiastica conseruetur, pax & concordia administrorum ecclesiasticorum inter ipsos & cum cætera multitudine alatur aut redintegretur. Vniuersalium verò synodorum caussæ partim eædem sunt, quæ superiorum, non tam angustis tamen finibus concluse, sed vniuersam toto orbe terrarum diffusam ecclesiã cum suis administris respicientes, partim diuerse, & quæ à particularibus illis rectè explicari ac definiri non possunt. Vt est fidei caussa & schismatis si de ecclesia, vel capite & præside eius existeret controuersia. Nam & hanc, si soluat vnitatem ecclesiæ, omnium iudicio tractari oportet, & fides à paucis, quamuis pijs, doctis, & sapientibus, disceptari & explicari non debet, neque potest. Immò neq; à quamuis multis vnius alicuius aut alterius gentis aut nationis hominibus: cum sicut vnus est Deus, sic vna fides, & vnum baptisma omnium esse debeat. Alioqui non obstaret quidquam, quominus suam sibi quisque populus, aut natio, quæq;

Vniuersalium conciliorum caussæ.

Fidei caussa in vniuersa. lib. concil. tractanda.

prouincia, quæque ciuitas, quæque domus, deniq; homo quilibet fidem comminiſcere tur & ſtatueret. Quod nunc, proh dolor, nimis licenter & impunè fit cum alibi, tum in noſtra Polonia. Sic autem eccleſia Chriſti ne que vna eſſet, neque catholica: Ne ſancta qui dem & apoſtolica: Atque ita ne eccleſia quidem omnino. Qua de re heri à nobis diligen ter pertractatũ eſt. Medij verò generis ſynodi ſunt, quæ cum complures prouincias & gentes, neq; tamen vniuerſum orbem Chriſtianum complectãtur, cauſſas tamen habent vniuerſalibus quàm particularibus conueniẽtiores, hoc eſt, nõ ad particulares aliquas, ſed ad vniuerſam eccleſiam pertinentes, & vim authoritatemque vniuerſalium, ab ijſdẽ authoribus profectam. Quas etiam generales dicere, ni fallor, poſſumus & ſolemus. De his poſtea fortaſsis dicam aliquid enucleatius. AV. Vnde autem tanta eſt vis & authoritas concilijs, vt eorum placita ac decreta Chriſtianis hominibus libertate à Chriſto donatis, & qui precio eius empti, vetantur ſerui hominum fieri, creditu & ſeruatu neceſſaria fiant? MON. Vnde putas, niſi ex eccleſiæ catholicæ, cuius ſunt linguæ & interpretes, prærogatiua, & Chriſti & ſpiritus S. præſentia? Quam cum exemplum illud apoſtoli-

Medij generis concilia.

Conciliorum vis & authoritas vnde.

stolicum ex actis paulo ante à me commemoratũ, tum ipsius Christi promissio spondet. AVL. Quænam est ea promissio? MON. Iterum dico vobis, ait Christus: Quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quãcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est: Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. AV. Atenim ista Christi promissio non magis ad vniuersos vel multos, quàm ad paucos videtur pertinere. MON. Immò non minus ad duos tréve, eosq; priuatos quoq; homines & idiotas, ac non episcopos, quàm ad plures. Quin ad schismaticos etiã fortassis atq; hæreticos. Sed quomodo intelligendum sit illud; Duo vel tres; audi non me, sed S. martyrem Cyprianum. Dominus enim, inquit, cum discipulis suis vnanimitatem suaderet & pacẽ: Dico, inquit, vobis: Quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis à patre meo, qui est in cælis Vbicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. Ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecãtiũ plurimũ tribui. Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra. Vnanimitatẽ prius posuit, cõcordiã pacis ante præmisit, vt cõueniat nobis fide-

Matth. 18.

Cyp. de vnitate eccles.

fideliter & firmiter, docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Et interiectis nonnullis: Quando ergo in præceptis suis ponit, & dicit: Vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: Non homines ab ecclesia diuidit, qui instituit & fecit ecclesiam: sed exprobans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit, magis esse se cum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum dissidentibus plurimis; plusque impetrari posse paucorum concordi prece, quàm discordiosa oratione multorum. Hæc ille. Excludun-

Hæreticorum & schismaticorum conciliabula.

tur ergo, vt vides, à promisso illo schismatici & hæretici quamuis multi, quibus cum tota ecclesia non conuenit. AVL. At non excludũtur priuati catholici, & qui non segregant semetipsos ab ecclesia. MON. Ex ipsis quidem recitatis à me verbis Christi id non apparet. Verum ex antecedentibus colligitur. AVL. Quænam ea sunt? MON. Amen dico vobis, quęcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: Et quæcunque solueritis super terrã, erunt soluta & in cælo. Quæ peculiariter ad apostolos, eorumque successores episcopos dicta esse, ostendi antea. Quibus

bus illa è vestigio subiungens Christus: Iterũ dico vobis, &c. rationem reddere videtur, cur eorum ligatio & solutio rata futura sit in cælo. Nempe quòd impetrent à Deo, quidquid concordes petierint, & quòd Christus ipse sit in medio eorum, in nomine suo congregatorum. Ac nihil quidem prohibet vtrunque hoc ad idiotas etiam & priuatos referri: Sed tantò efficaciorem in congregatione moderatorum ecclesię illam Christi promissionem esse existimandum est, quantò magis per eam non paucis aliquibus, verum vniuersæ ecclesiæ, quam tantopere dilexit, & cui se totum impendit Christus, consulitur. AVL. Retractantur tamen nõnunquam concilia alia ab alijs. Immò & à Rom. pontificibus. Quod ex te quoq; memini me audire. Sunt igitur errori obnoxia. MON. De Rom. pontificibus postea. Nunc de cõcilijs. Verissimum id est, & euidentiss. alia ab alijs retractari: Nempe infrequentiora à frequentioribus; diœcesana à prouincialibus; Prouincialia à primatialibus & patriarchalibus: Omnia autem hæc, quæ particularia vocamus, à plenarijs, siue generalibus, siue vniuersalibus, & Oecumenicis. Quæ sola verè, & sine vlla dubitatione habenda sunt pro doctrina ecclesiæ catholicæ. Illa enim Dei promissa ecclesiæ

Concilia quæ retractentur.

Concilia vniuersalia sunt doctrina ecclesiæ.

siæ facta, quæ nudiustertius & heri recensui, non ad vnam aliquam pluréſve particulares eccleſias, prouincias, aut nationes, ſed ad catholicam ſponſam & corpus Chriſti pertinent. Cuius oculi & linguæ tantiſper ſunt epiſcopi, tantiſperque certæ veritatis & inerrantis doctrinæ priuilegium retinent, donec idem omnes ſapiunt ac dicunt & in eandem regula permanent. Quod etiam hodie demonſtraui. Igitur & Auguſtinus vniuerſalium ſeu plenariorum conciliorum ſententiam totius eccleſiæ conſenſionem eſſe ait. Non poſſum tamen negare id, quod Auguſtinus idem eiuſdem operis libro ſecundo affirmat: Plenaria quoque ſiue vniuerſalia nonnunquam priora à poſterioribus retractari. Sed audi verba Auguſtini. Quis neſciat, inquit, & ipſa concilia, quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum authoritati, quę fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano ſine vllis ambagibus cedere: Ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidę inuidię, cum ſancta humilitate, cum pace catholica,

Augu. de bapt. con. Donat. li. 1. cap. 18. Ibid. li. 2. ca. 3. Concilia vniuerſalia quando retractentur.

lica cum charitate Christiana? Hæc Augustinus. Verũ hoc sic intelligendũ est, quemadmodum etiam in doctrina SS. Patrum ostendi: Nimirum, vt retractentur vel emendentur vniuersalia concilia alia ab alijs in ea doctrina, quæ non ad fidem, qua salus hominũ continetur, sed ad mores ritusque & politiam externam pertinet: Illa enim omnium sæculorum vna certa, & immobilis est, pro qua etiam peculiariter Christus patrem rogauit, vt ea non deficiat: Hæc pro ratione temporum, locorum & hominum aliquando salua fide & charitate mutari possunt. Quod in ipsa quoque Christi & apostolorum eius doctrina nonnunquam vsu venire demonstraui. Et fit nonnunquam, vt scribit Augustinus, vt aliquo experimento rerum aperiatur, quod clausum erat, & cognoscatur, quo latebat. Quod ipsum quoq; de fide accipi non potest. Neque enim hæc rerum experimento aperitur & cognoscitur, verum diuinitus traditur & infunditur. Nec mihi sanè quisquam ostenderit, dogma aliquot fidei à plenario siue vniuersali aliquo concilio legitimo definitum, ab alio retractatum aut emendatum. AVL. Proferuntur nonnulla emendata & retractata. MON. Scio proferri: Quin à me quoque

Conciliorum decreta de fide emendata.

que heri prolata sunt. Nec diffiteor, ea rectè emendata ac retractata esse. Qualia sunt de ὁμοουσίῳ siue consubstantiali Ariminẽsis sexcentorum episcoporum concilij: de confusione naturarum in Christo Ephesini secundi ducentorum: Item alius cuiusdam Ephesini trecẽtorum, à Leone Imperatore coacti, de vsu & cultu sacrarum imaginũ. Quorum vltimum hoc à secunda Nicæna, secundum à Chalcedonensi: primum autem à Damaso pontifice, ac deinde ecclesiæ vniuersæ Christi consensu reprobatum atque damnatum est. Sed nego, vel vniuersalia, vel legitima illa fuisse concilia. Proinde non vnum aliquod aut alterum decretum eorum emendatum, sed ipsa prorsus cõcilia damnata sunt. AVL. Immò ego negârim, vllum vnquam fuisse aut fieri posse vniuersale concilium. Fieri enim non potest, vt vniuersi omnium populorum episcopi è tam latè patente, mariq; & montibus disiuncto, ac inimicitijs & bellis plerunque dissidente orbe terrarum vnum aliquem in locum conueniant. Quàm multi autem senectute, morbo, aut aliqua alia difficultate priuata impediti venire prohibentur? MON. Vera memoras. Sed non est necesse, vt omnes conueniãt, modò omnes conuocentur. Immò ne hoc quidẽ. Et hoc enim

Vniuersale concilium quodnam sit.

ijsdem

ijsdem de caussis vix fieri potest. Neque vnquam vtrunque factum est in vllo ex ijs concilijs, quæ vniuersalia & Oecumenica iure optimo à nobis appellantur, vt aut omnes ex toto orbe terrarũ episcopi adessent, aut omnes conuocarentur. E primis quidem quatuor, quibus maxima ac prope sacrosancta authoritas tribuitur, in Nicæno 318. in Constantinopolitano 150. in Ephesino 200. in Chalcedonensi vero 630. interfuerunt episcopi. Constat autem, & ego nuper memorau, Africam solam tertiam quidem orbis terræ partem, sed Europa longè incultorem & infrequentiorem, Asia verò multò minorem etiam, plures quadringentis episcopos habuisse. Quin & Europam plures non modo habuisse, verumetiam nunc, tam in angustũ redacta religione Christiana, habere dubiũ non est. Mille quidem, aut non multo pauciores Romanæ cuidam synodo à Gregorio tertio Papa, & Lateranensi ab Innocentio tertio congregatæ interfuisse legimus. Quæ tamen synodi inter vniuersales non numerantur. Constat & illud, cum ad ea ipsa prima quatuor, tum ad posteriora item Oecumenica siue vniuersalia concilia qui conuenere episcopi, Imperatorum Romanorum opera eos conuocatos, & publicè suppeditatis ve-

hiculis & sumptibus aduectos, & reuectos esse. E solis igitur Rō. imperij prouincijs quę solæ ferè quatuor, & mox quinque patriarchalibus sedibus iam inde à Niceno concilio distinctę fuere, & vix vnquam dimidiam orbis terrarum partem complexæ sunt, patres in ijs concilijs adfuisse existimandum est. Nec eos autem ex omnibus, tantum abest, vt omnes. Ex historijs enim & actis ipsorum conciliorum, episcoporumque in ijs subscriptionibus apparet, occidentalium prouinciarum episcopos non interfuisse ferè illis concilijs, sed per idem tempus nonnunquam alijs Romæ, vel in Italia habitis interfuisse. Iam autem in Persas quoque & Iberos, & Indos, & alios multos populos religio Christiana longe lateque propagata erat, nec ij suis carebant episcopis: Qui & ipsi concilijs illis non interfuere. Quæ ex Eusebij Cæsarienſis, & aliorum post eum scriptorum ecclesiasticis historijs cognoscere cuiuis in promptu est. Et tamen ea nihilominus appellata sunt, & fuerunt vniuersalia Oecumenica, & plenaria. Cui rei illud etiam adstipulatur, quòd in quarto Constantinopolitano concilio, quod octauum inter vniuersalia numeratur, cum de quinque patriarchis Alexandrinus, seu vicarius eius po-

Cōcilium octauum, act. 9.

stremus

ſtremus omnium aduenisſet, patres ita dixisſe memorantur. Glorificamus Deum vniuersorum, qui, quod deerat vniuersali synodo, suppleuit, & nunc eam perfectissimam demonstrauit. AVL. Cur igitur vniuersalia siue Oecumenica & plenaria vocantur ea concilia, si non ex omnibus, neque omnium gentium prouinciarúmve episcopis ea coëunt? MON. Eadem, opinor, ratione, qua Lucas euangelista scribit: Exijsse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis: Cum non maior, ne dicam aliquanto minor etiam pars eius Augusti tempore, quàm Constantini Magni & aliquot successorum eius, sub quibus illa concilia peracta sunt, Rom. imperio continueretur: Nec extra id descriptio illa facta sit, aut adeò fieri potuerit. Nimirum, vt in illis duabus vocibus: Vniuersus orbis: subaudiendum est, Quatenus Augusti, & Rom. imperio fuit subditus. Ad eundem modum vniuersalia & Oecumenica concilia appellamus ea, quæ è plurimis, vel præcipuis, & vnum caput agnoscentibus Christianis populis & nationibus non difficulter coire & conuocari potuere, & possunt, licet nõ omnes conuenerint. Nec multum refert, si eæ gentes quinque illis patriarchatibus,

Luc. 2.

Vniuersus orbis.

Vniuersalia concilia vndedicta.

Patriarchæ quinque.

nempe Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Ierosolymitano contineantur, necne, quemadmodum neq; an Romano imperio. Nam & hoc vehementer accisum est, ne dicam succisum & extinctum: plurimæ autem & maximæ gentes, quę neque sub eo, neque sub vllo de quinque patriarchatibus censentur, ad fidem & vnitatē ecclesiæ Christi accesserunt: Et noui patriarchatus in remotissimis Aethiopum & Indorum populis instituti sunt. Et verò patriarchatus illi antiqui pleriq; omnes ab vnitate ecclesiæ sese præciderunt, & à barbaris occupati, vel prorsus aboliti sun, tvel in eam seruitutem redacti, vt si qui in ijs adhuc supersunt Christiani, ad concilia conuenire vel nolint, vel nō ausint, nec possint: Ac ne euocari quidem tuto & commodè queant. Quo fit, vt etiamsi non conueniant ij, vel non euocentur, itidem ac illi, qui in extremis terrarum partibus & nouo orbe nuper cōuersis ad religionem Christianam populis præsunt, nihilominus vniuersale & plenarium concilium habeatur. Cōfirmat id epistola Orientalium episcoporum ad Cæsarium Constantinopolitanum patriarcham, actis septimæ Oecumenicæ synodi inserta. Cuius hæc sunt verba. Si volueritis celebrare synodum, ne molestia

Rom. Imperij status.

Patriarchæ noui.

Nic. 2. synod. act. 3.

lestia vobis appareat, trium apostolicarum sedium patriarchalium, & sanctiss. episcoporum, qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex dominatium illis terribilibus minis, & mortiferis pœnis. Hoc autem subtilius est considerandum, etiam ab ipsa sacra & vniuersali sexta synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus episcopi erant, conuenisse repertus est, propter obscœnorũ obtinentiam, (hoc est, nequã Imperatorum vim & potẽtiam.) Sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit synodo præiudicium: Nec vires habuit prohibitio aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis: Præcipue cum sanctiss. & apostolicus papa Romanus concordauerit, & in ea inuentus sit per apocrisarios suos: Et nunc sanctissimè hoc cum Dei adiutorio similiter fiet. Sic illi. Non obstat igitur, vt vides, quominus vniuersale sit concilium, etiamsi non omnes patriarchę, eisque subiecti episcopi intersint, dum modò id papæ Romani & summi ecclesiæ vniuersæ pastoris authoritate, ob causas ad vniuersam ecclesiam pertinentes, omnium populorum & ecclesiarum episcopis aperiatur. Danda est tamen opera, vt qui euocari commodè possunt, euocentur: & qui ex ijs adesse, Episcopi concilijs frequentandis obnoxij.

adsint, vel certè, si quam legitimam excusationem habent, vicarios & mandatarios pro se mittant. Hoc enim officium eorum siue, vt ait Augustinus, ecclesiastica necessitas, & iusiurandū in consecratione datū requirit. Quod si quid neutrum fuerit, quāuis ij multi sint, nihilominus reliqui, qui affuerint, (dū modo nō valde pauci, & ex vna aut altera gēte sint) vniuersale cōcilium constituūt. Cuius legibus, decretis atq; canonibus etiam cæteri, qui absuerunt, eorumq; curæ commissi populi obnoxij tenētur. Proinde exempli caussa, non minus vniuersale, nec minoris authoritatis fuit Ephesinum primum ducētorum, vel Constantinopolitanum primum 150. patrum concilium, quàm Chalcedonense sexcentorum triginta. Carthaginense verò quartum, & quę dudum memoraui, Romanū tempore Gregorij tertij papæ, ac Lateranēse à Iulio 2. inchoatū, & à Leone decimo nostra ferè memoria absolutū, pro vniuersalibus non habentur, licet primū 214. secundum & tertium mille propemodum patrum numerum habuerit. Non enim numerus episcoporum, sed vniuersitas ecclesię & nationū vniuersale facit concilium. Dices fortassis: Tertiam Constantinopolitanam synodum tempore Agathonis pontificis & Constantini Imperatoris in

Augu. ep: ad Optat.

Comitium vniuersale quid faciat.

Quid efficiat vtile concilium.

in Trullo peractam, inter vniuersales siue Oecumenicas haberi sextam in ordine: Et tamen canones eius reprobatos esse vel omnes, vel quosdam duntaxat. Respondeo: Primum, Nō omnes eos damnari: Deinde, Eos qui damnantur, ad fidē non pertinere. Quod patet è secundo, tredecimo, triceſimo sexto, 55. 62. 67. Postremo, Falso eos omnes adscribi sextæ synodo. Constat enim, vel illorum ipsorum, qui eos conscripserunt, episcoporum testimonio, Quintam & sextam Oecumenicas synodos nullos canones condidisse. Illos autem ab alia quadam synodo quinto vel sexto anno post sextam absolutā, Iustiniani Imperatoris ambitiosi & leuis hominis authoritate eodem in loco congregata, nec legitima, nec vniuersali, (quam erraticam vocat Beda presbyter) conscriptos esse. Quam rem diligenter scriptis persecuti sunt Albertus Pighius, Melchior Canus Canarieñ. episcopus qui præclarum de locis theologicis opus nuper edidit, & alij nonnulli è recentioribus viri docti & pij. AVL. Quid tu autem de Tridentino nuper peracto dicis? Euangelici quidem isti id aspernati sunt, nec pro vniuersali aut legitimo agnoscunt. MON. Immò etiā nunc atrocibus conuitijs, contumelijs, & calumnijs

De Canonibus sextæ synodi quid sentiendum.

Alber. Pig. theol. li. 5. de actis sextæ syn. Can. de locis cap. vlti. Tridentinum concilium.

insectantur. AVL. Quamobrē? MON. Equidem non intelligo, quid in eo concilio requiratur, quominus pro plenario & vniuersali habeatur. Conuocati sanè ad id sunt magna cura primū Pauli tertij, deinde Pij quarti Rom. pontificum, omnium ferè Christianorum populorum, qui quidem tuto adiri potuêre, patres. Et adfuêre propè ducēti plures nimirum, quam in Constantinopolitano primo: nonnulli etiam è Græcia, oriente, & vltima barbaria. Sibi imputent, qui adesse, cum tutò ac securè possent, renuerunt. AVL. Negant id fuisse legitimum. MON. Nihil mirum. Sontibus & maleficis nullum iudicium satis legitimum est. Ne Marcolfus quidem vt est in fabulis, optione à Salomone rege obtenta, vllam in silua arborem inuenit, de qua suspendi vellet. Tale isti cōcilium flagitant, quale nec fuit vnquam, nec fieri potest. Atque vt possit, turri Babilonicæ, quàm ecclesiæ Dei construendæ vel instaurandæ esse conuenientius: leges partim iniustas & inusitatas, partim ineptas & absurdas nescio quo dictatorio iure ei præscribentes. AVL. Quænam autem sunt eę leges? MO. Aliâs alię & pauciores: In Augustanis verò anni Christi 1559. comitijs Imperij hæ sunt exhibitæ optimo & pientiss. Imperatori Ferdinando.

Euangelici quale concilium expetant.

Euangelicorum protestantium leges concilio præscriptæ.

Vt

Vt celebretur liberum Christianum concilium in Rom. imperio Germanicæ nationis. 1.

Ne id à Papa indicatur: 2.

Nec Papa sit eius præses: 3.

Sed ei subijciatur, vt subiectus. 4.

Vt Archiepiscopi & episcopi à iureiurando, quo se papæ obstrinxerunt, soluantur, & liberè sint eorum sententiæ. 5.

Vt omnia non secundum suffragiorum multitudinem, sed secundum scripturam definiantur, eaque sit iudex controuersiarum. 6.

Vt theologi protestantium non solum audiantur, sed etiam voces decisiuas habeant. 7.

Vt ijdem à Cæsare protegantur, & saluum conductum habeant. 8.

Vt acta & definitiones concilij Tridentini rescindantur. Hæc illi. AVL. Quid igitur? An hæc tu omnia reprobas? MON. Non ego solus: Præsertim si sic intelligantur quædam, vt isti ea volũt intelligi. Nam vt Christianum fiat concilium, ne petendum quidem fuit. Nisi fortè à Turcis & Mahometanis, aut Iudæis id petebatur, aut aliter id quisquam institui volebat, quàm hactenus apud Christianos iam inde ab initio & à temporibus apostolicis vsitatum fuit, & est legitimum. Eiusmodi autem liberum quoque est, & fuit semper in ecclesia catholica, episcopis, atque ip- 9.

Christianũ concilium.

Liberum concilium.

Concil. 6. Oecum. act. 4.

lis adeò Rom. pontificibus non modo non impedientibus, verumetiã fauentibus & contendẽtibus. Extat etiam in Actis sextæ Oecumenicæ synodi epistola Agathonis papę ad Constantinum Imperatorẽ, & Heraclium ac Tyberiũ Augustos, qua petit is ad extremũ, vt ij in concilio, quod tunc cogebatur verbũ impunitatis cõcedant, & liberã loquendi facultatem vnicuiq; loqui volenti, & verbum impẽdere pro fide, quã credit & tenet: quatenus ab omnibus manifestissimè cognosca tur, quòd nullo terrore, nulla potestate, nulla cõminatione vel auersiõe quisquã pro veritate catholicæ atq; apostolicæ fidei loqui volens, prohibitus aut repulsus est. Quin irrita facta sunt quædam quãuis frequentia concilia, propterea, quòd ea minus libera fuissent, patriarchis quibusdã vel Imperatoribus Rom. terrore vel factionibus cæterorũ episcoporum libertatẽ premẽtibus. Qualia fuere Ephesinũ secundum, & tertium, & Ariminense. Fuerunt igitur antiquitus, & sunt etiã nũc libera cõcilia: Non ita tamẽ, vt cuiuis de promiscua & incõdita multitudine, vel de face plebis sellulariorũ, vt ait ille, ea paterẽt, & vt in ijs cuilibet quidlibet audẽdi, garriendi & obstrependi potestas esset. Talis enim libertas Ephesinæ illi confusæ ecclesię, de qua

Conci. to. 2. 2. 3.

Cicero.

in

in actis Apostolorum Lucas, atq; adeò popinis, ganeis, & lupanaribus aptior & istorum conuenticulis magis consentanea est, quam concilijs: In quibus omnia decenter & ordine fieri debent, & non nisi certum genus hominum ex vniuerso orbe Christiano admitti, & in consiliũ mitti oportet. AVL. Quodnam id genus hominũ est. MO. Ij nimirum, qui oculorum vicẽ gerunt in ecclesia, & quorum est id præstare, quod agitur in concilijs; Scilicet vt quæ latent, quęq; obscura, vel ambigua sunt in religione, exquirantur & explicẽtur: Quemadmodum oculi in homine reliquo corpori, qua incedere debeat, prospiciunt ac præmonstrant. Ijdem autem linguæ loco sunt, sicuti prius ostendi, quatenus, quid facto opus sit, reliquæ multitudini enunciant. Ij verò sunt sacerdotes & episcopi: Vel, vt Pauli verbis vtar, pastores & doctores ecclesiæ: Proinde & in primo illo Ierosolymitano apostolico cõcilio, nõ alios conuenisse scribit Lucas ad videndum siue dispicien dũ de verbo illo siue negotio cõtrouerso, an circumcisionẽ & cætera legalia seruare Christianos oporteret, quàm apostolos, & seniores. AV. Hem. Nónne ecclesię quoq;, & omnis multitudinis mentionem facit ibi Lucas? MO. Facit: Sed ita, vt Paulum & Barnabam

Ad concilia qui admittendi.

Act. 15.

Antio-

Antiochia venientes, ab ecclesia susceptos tantum esse, & tacuisse omnem multitudinem narret: Cæterum ad videndum de verbo hoc, hoc est, ad proprium concilij actionem, non nisi apostolos & seniores conuenisse memorat. Seniores autem ijdem sunt, qui græcè dicuntur presbyteri: Apostolis verò in regenda ecclesia successerunt episcopi. Quod luculentè tibi his diebus à me demonstratum & explicatũ est. AVL. Memini. Atenim posterioribus concilijs etiam laici, siue profani homines cum alij, tum imperatores interfuisse memorantur. MON. Sic est. Et in octaua vniuersali synodo proditum est: Non interfuisse sæculares principes synodis, exceptis vniuersalibus. Verum in ijs quoque non vt actores, sed vt testes & spectatores eorum, quę agebantur, interesse ij soliti sunt: Quemadmodum illi quoque apostolico multitudo interfuisse videtur, verum tacuisse scribitur. AVL. Immò vt iudices etiam. MON. Fit quidem iudicum mentio in actis Chalcedonensis concilij, & Constantinopolitani tertij: Sed id modò curabant & agebãt ij iudices, vt ordine omnia fierẽt in concilio, tumultus prohiberetur, decreta patrũ executioni mandarẽtur. Quod indidẽ constat. Cæterum iudiciũ de dogmatibus, ac rebus, personis.

Laici in cõcilijs.

Octa. syn. ca. 17.

Iudices cõciliorum.

Concil. to. 2.

sonisq; ecclesiasticis nullum sibi sumebant: Non magis, quàm ipsimet imperatores, à quibus mittebantur, & quorum vices gerebant. De Cõstantino quidem Magno memorant Eusebius, Socrates, ac Theodoretus, eum in cõsessum episcoporũ Nicænę synodi ingressum, non prius consedisse, quàm illi annuissent, ipsisque, vti patribus, quemadmodũ ait Theodoretus, disquisitionẽ ac disceptationẽ dogmatum & cõtrouersiarum permisisse. Quod itidem fecit Martianus in Chalcedonensi concilio. Fecit & Theodericus rex Gotorum licet hæreticus: Qui vocatus vltro ab episcopis ad synodũ, respondit. In synodali esse arbitrio, in tanto negocio sequẽda præscribere: Nec aliquid ad se prętер reuerẽtiam de negotijs ecclesiasticis pertinere. Constantius aũt & Valẽtinianus iunior Imperatores, cũ præter morẽ tentarẽt ecclesiasticis sese immiscere tractatibus, acriter hic quidẽ ab Ambrosio Mediolanẽs. ille vero ab Hilario Pictauiensi, & Hosio Cordubẽs. episcopis obiurgati sunt. Ne te misceas ecclesiasticis Imperator (ait Hosius, quẽadmodũ recitat ex epistola eius Athanasius) neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potius à nobis ea disce. Tibi Deus imperiũ cõmisit. Nobis, quæ sunt ecclesiæ, concredidit. Acerbius etiam in eundẽ Imperato-

Imperatoris in concilijs officiũ.

Euſ. in vita Conſt. li. 3.

Socr. li. 1. hiſt. eccl.

Theo. li. 1. ca. 7.

Chalc. concil. a&. 1. & 6.

In concil. Rom. ſub Symmacho papa.

Athan. ad ſolit. vitam agentes.

peratorem inuectus est Hilarius, libro vno & altero ad eum scripto. Ambrosius verò Valentinianũ Theodosij patris lege redarguit: Quã ita recitat. In caussa fidei, vel ecclesiasti ci alicuius ordinis iudicare eum debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Vide aũt mihi, quid scripserit post ad synodum Ephesinã ille ipse iunior Theodosius, cum adultiore ætate maturiori consilio rem expendisset. Recenset autem id Nicolaus papa, ad Michaelem Imperatorẽ scribens. Deputatus est igitur, inquit, Candidianus magnificentiss. comes strenuorũ domesticorũ transire vsq; ad sanctiss. synodum vestram: Ac in nullo quidem quę faciendæ sunt de pijs dogmatibus quęstiones, seu potius expositiones, cõmunicare. Illicitũ nanq; est eum, qui nõ sit ex ordine sanctissimorum episcoporũ, ecclesiasticis immiscerì tractatibus. Idẽq; Theodosius Elpidio Comiti sacri consistorij, quẽ cum Eulogio ad Ephesinam alteram synodum mittebat, ita scribit: Ideo igitur tam tuã claritatem, quàm Eulogium virum spectabilem tribunũ & notarium ad ministerium elegimus fidei, sicut probatos, tam in alijs rectissimos, quàm circa Dei cultum opinatissimos, & valẽtes nostris diligenter iussionibus ministrare de his, quæ in Epheso à sancta synodo

Hil. ad Cõstant.
Amb. li. 5. ep. 32.
Theodos. Ephes. synodo.
Nico. papa 1. Mich. Imp. Cõcil. to. 3
Chal. syn. act. 1.

nodo fuerint constituta, & nullum fieri tumultum permittere. Sed etsi quem videritis conturbationis & tumultui studentem ad lęsionem sanctæ fidei, hunc custodiæ mancipare, & ad nostram perferre notitiã. Et caussam quidem ordine prouenire: Interesse aũt iudicio, & operam dare, celerem & circumspectam probationem à sancta synodo fieri, & nobis cognitam facere. Vides præscriptum Imperatoris pij, quod fuerit officium sęcularium illorum iudicum in cõcilio: Nec aliud eos, Martianúmve Imperatorem egisse in Chalcedonensi concilio, Constantiúmve & glorioſissimos item iudices in Constantinopolitano tertio, exactis eorum conciliorum apparet. In quarto aũt Constantinopolitano extat allocutio Basilij Imperatoris ad eos, qui aderant, his verbis. De vobis aũt laicis, tã qui in dignitatibus, quàm qui absolutè versamini, quid amplius dicã non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de ecclesiasticis caussis sermonem mouere, neq; penitus resistere integritati ecclesiæ, & vniuersali synodo aduersari. Hęc enim inuestigare & quærere, patriarcharũ, pontificũ, & sacerdotũ est, qui regiminis officiũ sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi & ligandi potestatem habẽt, qui ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claues,

Concil. to. 2.

Octaua Oecumenica synodus act. 10.

claues, nõ nostrũ, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Et paulo post. Oportet ergo cum timore & fide syncera hos audire, & à facie eorũ vereri, cum sint ministri domini omnipotentis, & huius formam possideant, & nihil amplius, quàm ea, quæ nostri ordinis sunt, requirere. Audiui piorum Imperatorũ iudicia, & antiquæ ecclesiæ praxin, quinã ad concilia pertineant, & quod sit in ijs laicorum, siue ij sint priuati, siue magistratus & iudices, siue ipsi deniq; principes & imperatores, officiũ. Nec alias ob caussas nũc etiam Imperatores, reges, & principes, aut eorũ, & rerũpub. legati cõcilijs vniuersalibus interesse solẽt. AVL. Mitto laicos. Verũ sacerdotes quoq; & cęteros episcopis inferiores clericos ad iudicãdũ de caussis fidei nõ admitti in cõcilijs intelligo. MO. Id equidẽ heri tibi ostẽdi, nõ modo nõ solere fieri, sed neq; debere. AV. Atqui admittit Basilius Imperator, cuius verba modo recitasti, sacerdotes. In Ierosolymitano quoque illo, quod Lucas describit, cõcilio, seniores cũ apostolis, hoc est, vt tu ipse interpretatus es, presbyteri cũ episcopis interfuisse legũtur. MO. Verũ nõ vniuersale illud cõciliũ fuit. Modo quoq; in prouincialibus ac diœcesanis, vbi alijs quã fidei de rebus agitur, in con-

Oratores Imperator. & regũ in concilijs.

Presbyteri an pertineant ad vniuers. cõcil.

consilium mittuntur presbyteri. Cæterũ vniuersalia solorũ episcoporũ sunt, quemadmodũ audiuisti dudũ è verbis Theodosij Imperatoris. Chalcedonẽsis etiã frequentiss. illa synodus, vt est in actis eius, semel atq; iterũ succlamauit: Synodus episcoporũ est, nõ clericorum. Adhibentur tamẽ in ijs quoq; ad disputandũ & consultãdũ presbyteri ac doctores, non etiã ad iudicandũ & definiendũ. Nec in illo autẽ Ierosolymitano, necin vllo opinor, vniuersali cõcilio presbyteri iudicasse, aut iudicatis tanquã iudicessubscripsisse leguntur, exceptis ijs, qui legati & vicarij patriarcharũ vel episcoporum affuerunt. AVL. At Basilius Imp. in vniuersali cõcilio loquẽs, sacerdotes non excludit. MO. Sic est. Verũ tu audisti ex me prius, Sacerdotũ nomine non raro episcopos designari. Et Theodosius aũt is, qui illicitum esse ait, eum, qui non sit ex ordine sanctissimorũ episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus, ad Cyrillũ Alexãdrinum patriarchã scribit, dijudicandę doctrinę præfici oportere eos, qui circumquaque sacerdotio præsident. Sacerdotum igitur nomine vterq; episcopos intelligit. Quod planius memorat octaua synodus: In cuius 17. canone scriptum est: Quod nusquã sacri canones cõuenire sæculares principes in concilijs sanxerint, sed

Chalc. syn.

Inter Cyr. epistolas 4.

Oct. syn. ca. 17.

solos antistites. Quin & ipsi Euangelici isti in confessione sua Augustana profitentur, (quod antea quoq; nõ semel memoraui) Secundũ euangeliũ, seu, vt loquũtur, de iure diuino, illã iurisdictionẽ peculiariter cõpetere episcopis, vt episcopis, cognoscere doctrinã: & doctrinã ab euangelio dissentientẽ reijcere, & impios, quorũ nota est impietas, excludere à cõmunione ecclesiæ. Id aũt potissimũ & rectissimè fit in cõcilijs. Iniustè igitur & ambitiosè ij faciunt, dũ cõtẽdunt, vt theologi sui, qui non sunt episcopi, ac ne presbyteri quidẽ, quod etiã heri demonstraui, non solũ audiantur, sed etiam voces decisiuas habeant in cõcilio: Quos, nec si essent episcopi, admitti oportet, cum segregarint se ab ecclesia, cuius est iudiciũ in concilijs, & de ipsorũ dogmatibus agatur, nec possint ijdẽ esse iudices & rei. AV. Idẽ ipsi de nostris episcopis causificãtur: eos videlicet in cõcilio contra se non rectè iudicum simul & actorum personas sustinere. Itaq; requirunt nõnunquam iudices, viros pios, prudentes, & neutri parti addictos, vt suspectos. MO. Ridiculè: Perinde ac si peculatores & falsarij cõpilati ærarij & adulteratæ monetę publicę rei iudiciũ magistratuũ publicorũ detrectẽt, asserentes eos sibi suspectos esse iudices de rebus ijs, quæ ad

Hæretici & schismatici nõ admittendi in consessum concilij.

Euangelici quos velint esse iudices in cõcilijs.

ad curationem ipsorum pertineant. Quinam autem inuenientur iudices non suspecti ijs, qui atrocium scelerum patratorum rei agun tur? Aut, vt de dogmatibus fidei solis loquamur, quinam producentur, qui in controuersia neutri, vel nulli parti addicti aut suspecti sint, & qui non necesse habeant de quouis dogmate proposito vel aiere, vel negare? Exẽpli causſa. Cõtendũt noui Ebionitę cõtra doctrinã ecclesiæ catholicæ & episcoporum eius, Christũ nõ esse Deũ: Caluiniani, In Eucharistia nõ esse verũ, & vt ita dicã substantiale corpus Christi: Lutherani cum his: Hominem carere libero arbitrio. Soli: In eadẽ Eucharistia cum corpore & sanguine Christi manere panẽ & vinum. Quinam hic inuenientur, qui nihil referre sua putent, negẽtne horũ quidlibet, an aiant, vt in cõsessum iudicum deligãtur? Nisi fortè indocti & rudes omnino earũ rerum, quę sunt in cõtrouersia: vel Epicurei, vel Pirrhonij, vel Academici, à religione Christiana prorsus alieni. Idonei sanè ac religiosi iudices, digniq; nouo isto euãgelio. AV. At viri pij, graues, & eruditi deligẽdi sunt. MO. Scilicet ita actũ est in primo illo Ierosolymitano concilio: Cui siue interfuerũt, siue non interfuerunt scribæ & legis periti, quorum magnã turbam obedisse euangelio

Neutrales & non suspecti.

An pij viri & eruditi deligendi.

scribit Lucas, ad iudicium quidē & suffragia adhibiti non sunt, licet doctrina anteirent apostolis, & pietate grauitateq; essent conspicui proculdubio. Quis aūt statuet, quinā tales sint, ac digni, qui de tātis rebus iudicent? Ipsíne sese obtrudent? Quis aūt de seipso satis idoneus iudex est? Scioli quidē præclarius etiā de seipsis sentiunt, quàm qui re vera docti sunt: Itēq; hypocritæ magis, quàm qui verè pij sunt. Inter dissidentes aūt nunquam de eo conuenret. Nam neq; doctrinam, neq; pietatem ijsdem rebus ij metiuntur. Erit igitur is delectus nō dissimilis illius Marcolfici, de quo dudum dixi. Videntur autem isti protestantes iam temeritatem & stultitiam suam, vt sæpe in multis, in hoc quoque damnare, & in archiepiscorum episcoporumq; iudicio velle acquiescere, dummodo ij à iuramentis pontifici datis soluantūr, quo liberæ sint eorum sententiæ. Hīc tamen ij non iniquum postulare videri possint, si quo eiusmodi iureiurando pontifici max. obstringuntur episcopi, quominus liberæ reddantur eorum de fide & religione sententiæ. Proferant autem si quid habent eiusmodi. Equidem neque in bullis, neq; in ijs libris, quos pontificales vocant, ad quorum præscriptum initiantur siue consecrātur episcopi, tale quid quam inue-

Episcopi à iuramentis an absoluēdi. 5. articulus expugnatur.

inuestigare potui. Quòd si illud impedimento esse putant episcopis, quominus liberæ sint eorũ sententiæ, quòd ij recipiunt, rectã & catholicã fidem se seruaturos, doctu ros, ac defensuros esse: Mirum: ni baptismi quoq; sponsione & voto eos solui oportere contendant. Nam id quoq; obstat, quominus, quid quisque velit, sentiat ac dicat: Vides igitur, quò spectet omnis illa eorum de libertate concilij petitio. Nempe vt pro ecclesia Christi Babylon extruatur, & ne vllum vnquam peragatur concilium. AVL. Quid illa, vt in Romano imperio Germanicę nationis id instituatur? MO. Si hoc volunt, vt nationale in Germania conciliũ cogatur, & in eo de caussa fidei definietur, iam id à me superius refutatum est. Non modò iniquè, verumtiam inutiliter, vt pleraque omnia, id postulant. Cur enim magis in Germania quàm in Polonia, aut Gallia, aut Hispania? Quid autem inde consequeretur, nisi vt vna fides & vna ecclesia catholica in multas discerperetur, & fieret id, quod Christus dixit de Satana? Si in seipsum diuisus est, non stabit regnum eius? Sin locum isti tantum designant congregando generali concilio; Cur hoc sibi præ cæteris Christianis populis arrogant, vt in alijs præscribant, & vt ad ipsos alij se-

In Germania an instituendum concilium. 1. Articulus.

se conferant? Si imperij causſa: Desinant somniare, aut certè Italos quoque & quosdam alios Europę populos ad Rom. imperiũ pertinere existiment: Sin propterea, quod parti corporis maximè laboranti succurrendum, & medicina offerenda est: Non iniquum postulant. Et bene nobis de ijs sperandum est, quandoquidem agnoscunt tamen morbum suum. Quanquã sunt & alij populi, quibus itidem nec scio, an magis, subueniendũ fuerit. Sed non est necesse, vt semper medici ad domum ęgroti conueniant. Furiosi quidem plerunque etiam ab aspectu eorum abhorrent, & impetum in eos visos faciunt. Nec semper autem vetera cõcilia in ijs locis instituta fuere, quę curatione & medicina potissimum opus habebant. Immò alibi plerunque. Olim Ariana labes Aegyptum in primis infecerat, & inde sanè extiterat. Et tamen Niceæ in Bitynia, non Alexandriæ, vel in Aegypto vsquã institutum est eius morbi curandi causſa concilium. Nestoriana vero & Eutychiana hęreses apud Cõstantinopolim & in Thracia exuscitatæ sunt. Et tamẽ Ephesi in Asia vtriusq; causſa bis habitũ est cõciliũ. Quorũ alterum cum nõ ritè actum esset, Niceã iterũ indictũ, indeq; Chalcedonẽ Bityniæ, viciniore Thraciæ, translatum est, non tamen in Thracum laboran-

Concilia non in hæreticorum locis instituta.

borantium gratiam, sed propter commoditatem Imperatoris Marciani, quò magis ordine ac tranquillè id ipso præsente, vel non longè absente perageretur. Nõ satis igitur causſæ est, cur extra Germaniam concilium hoc tempore haberi rectè non possit aut non debeat. Nisi fortè illa satis iusta est causſa, quod gens & natio Germanica quasi media est inter Christianos populos, qui Europam tenent, & qui commodè ad concilium hoc tempore connenire possunt. Itaque indultum hoc ei est, vt Tridentinum, quæ vrbs Germaniæ est imperio Romano obnoxia, id indiceretur. Indultum & illud, vt protestantibus & euangelicis de securitate fide Imperatoris & ipsius concilij publica arbitratu ipsorum caueretur. Tametsi quorsum attinebat, id postulare, cum ij domi suæ, & in patria nõ modò tuti essent, verum alijs potius securitatem prestare deberent. Quomodo autem quodam tempore eam præstiterint, non ignoramus, quando & imperatori cedere, & patribus Tridẽto dilabi necesse fuit. Omnia tamen petentibus concessa sunt, quę concedi rectè potuere, ne quam ij haberent conçilij detrectandi causſam. AV. Cur aũt illa eis concessa non sunt? Ne papa id indiceret, néve ei præsideret: sed vt subesset potius. MON.

Fides & securitas præstanda hæreticis.

Cõcilium Tridentinum ab hæreticis dissipatum.

2.3.4. articuli refutantur.

Conuocandi concilij ius penes quem sit.

Quia rectè concedi non potuere. AV. Cogẽdorũ certè conciliorum & conuocandorũ ad ea episcoporũ ius penes imperatores est antiquitus. MO. Possum id negare. Nec sine authoritate. Nã de Valentiniano maiore scribit Sozomenus in historia ecclesiastica: Eum nõ nullorum episcoporum nomine rogatum, vt cogeret synodum corrigẽdi dogmatis caussa, respondisse. Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari. Sacerdotes, quorum ea cura est, inter se, vbi volũt, conueniant. AV. Atenim antiquitus à Romanis imperatoribus vniuersalia concilia congregari solere constat. Tute adeò dudum id fassus es. MO. Fateor etiam nũc. AV. Hoc ipsum igitur etiamnum iurè contendunt Euangelici. MO. Contendunt quidẽ: Sed nescio, an ij modò qui in Rom. Imperij ditiõe sunt, vel esse videri volunt. Aut si omnes: Quã rectè & cõueniẽter nescio; Cum neq; ipsi imperatoribus pareãt, neq; vllos ferè nũc populos, vno aut altero fortasis excepto, legibus eius imperij teneri sciãt. Ridicula sanè esset ea indictio siue conuocatio, cui vel nemo, vel pauculi quidã obtemperarent. Ne deberent, quidem, vel auderẽt fortasse, sui quisq; regis, aut principis, aut magistratus metu. Cur aũt istipsi imperatorię Maiestatis vindices optimo

Sozo. li. 6. ca. 7.

Imperatores an conuocare possint concilia.

&

& sapientiss. Imperatori Ferdinando, ad Tridentinum cõcilium se suppliciter propemodum inuitanti, obsecuti nõ sunt? Quod si penes Imperatorem cogendi concilij potestas non est, cui regum vel principum eam attribuemus, ita vt cęteri vnà cum Imperatore æquis animis eam ferant, eiq; se & suos subijciant? AV. At ij re inter se constituta de caussis, necessitate, tempore, ac loco celebrandi concilij suis quisque præcipient, vt conueniant. MON. Quo iure? quóve exemplo? Vt ne dicam, Quo verbi Dei præscripto? Quod isti ferè in omni re à nobis exigunt. Quis autem adducet eos, vt ijs de rebus inter se consentiant? Suorum quilibet commodorum, suarumque opportunitatum rationem habe ri volet. An non experti autem id sumus ante paucos annos, cum Gallus & Germanus inter se belligerarẽtur? Fingamus autem, vel omnes, vel complures ex ijs esse hæreticos: (Quod nunc dare nobis necesse habent isti Pseudeuangelici, in tot sectas dissecti, & pro hæreticis se inuicem damnantes.) Existimamúsne eos de re tota facilè conuenturum esse? Parebúntne autem ijs episcopi? Theodorico quidem regi Gotorum olim nõ paruerunt, donec cognouerunt id Symmachum quoq; papam velle. Fuit sanè hæreticus Act. syn. Rom. 4.

Episcopi superiores principib.

ticus Theodoricus: Sed ne catholicis quidē principibus ij parere necesse habēt: quandoquidem eos pastores gregū spiritus sanctus posuit, regere ecclesiam Dei, quemadmodū ait Paulus, In gregibus autem sunt & principes, licet eximij, & quasi arietes. Et omni ecclesiæ memoria paruerūt ij episcopis ijs in rebus, quæ ad religionem pertinent. Quod antea quoq; dixi, & idoneis non solum historicorum atque theologorum, sed maximorum etiam & laudatorum principum & imperatorum testimonijs & exemplis demonstrare possum, & nuper nonnulla obiter attigi. AVL. Episcopi igitur de causis, loco, ac tempore instituendi concilij inter se constituent, quemadmodum tu dudum è Valentiniani Imp. sententia memorasti. MON. Scilicet facilius inter eos, quàm inter reges & principes conueniet. Cur autem nos in Polonia compluribus annis synodum prouincialem desideramus? Meministín', quæ nuper de Græcorum & Orientalium episcoporum disidijs inter ipsos dixi? AVL. Antiquæ sanè illa Oecumenica concilia ab Imperatoribus indicta & coacta sunt. MON. Id quidē dubium non est. Verum non suo id illi arbitrio & authoritate (quamuis ea tūc esset maxima & pateret latissimè) fecerunt, sed pontificum

Act. 20.

Concilia qua authoritate congregata ab Imperatoribus.

tificum max. siue Roma. assensu & permissu.
AVL. Hoc tibi probandum est. MO. Facilè probauero nõ vno & altero, sed pluribus testimonijs & exemplis. Liberatus quidem Carthaginensis Archidiaconus scriptor ecclesiasticus vetustus, Cœlestini papæ cõsensu atque authoritate, Theodosij imperatoris instantia & opera sacerdotale concilium apud Ephesum congregatum esse, memoriæ prodidit. Hoc ipsum Leo papa de posteriori Ephesino, ad ipsum cõcilium scribens, significat, cum dicit: Religiosam excellẽtiss. principis (Theodosij nimirum) fidem, hanc reuerentiam diuinis detulisse institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectum, authoritatem sedis apostolicæ adhiberet. Extat inter epistolas eiusdem Leonis fragmentum, quo is de Chalcedonensi quoque concilio memorat, id ex præcepto Christianiss. principum, Martiani videlicet & Valentiniani, & ex consensu apostolicæ sedis fuisse congregatũ. Quod itidem ex alijs eius ad ipsum Martianum, & ad Pulcheriam Augustã epistolis cõstat. Sixtus quoque tertius ad Orientales episcopos ita scribit. Valentinianus Augustus nostra authoritate synodum congregari iussit. Atq; ea contra ipsum papã congregabatur. Damasus verò Stephano archiepiscopo Carth. & tribus

Lib. in breuiar.

Leo ep. ad Ephe. syn.

Leo ep. 16.

Sixt. 3. ad episcopos Orient.

Damasus ad Steph.

bus Africanæ prouincię concilijs reſcribens, negat eſſe catholicum ſine authoritate ſedis apoſtolicæ ſiue Romanæ ſynodum fieri: Neque vlla concilia rata legi, quæ non ſint fulta apoſtolica authoritate. Quod Socrates, eccleſiaſtica regula & Nicæni concilij canone ita præceptum eſſe, memorat: Quem canonem à Volfgango Muſculo in vertēdo Socrate corruptum eſſe, ante quartum diem oſtendi. Nimirum præter Rom. pontifices ſententiam non licere celebrari concilia: Atque id Alexandrina Aegypti, Lybiæ Thebaidosq́; epiſcoporū ſynodus præſidente Athanaſio Alexandrino patriarcha ad Felicem papam ſcribens, non decretum vel conſtitutum, ſed roboratum ibi eſſe teſtatur: Vtneq; de eo dubitādum ſit, quod ſcribit Iulius papa ad Antiochenum hæreticorum conciliabulū: Hoc priuilegium euangelicis & apoſtolicis atq; canonicis inſtitutis primæ, hoc eſt Romanæ ſedis eccleſię, conceſſum eſſe. Quod etiam antiquior eo Marcellus itidem memoriæ prodidit. Proinde Damaſus Arimineſem ſynodum frequentiſsimam, authoritate Conſtantij Imperatoris coactam, irritam fecit, quod ei ipſe conſenſum non præbuiſſet. Sic autem is vnà cum ſynodo Romana ſcribit. Nec enim præiudicium aliquod

Socr. hiſt. eccl li. 2. cap. 8.

Alex. ſyn. Felici papæ.

Iul. papa ad Antioch. concil.

Marcel. ad Antioch. prouin. epiſcopos.

Dam. ad epiſ. Illyr.

quod fieri potuit per numerum episcoporum Arimini congregatum, quando constat Rom. pontificem, cuius ante omnia decebat expectare decretum, talibus non præbuisse consensum. Rescidit etiam Constantinopolitanæ cuiusdam synodi, à Ioanne eius vrbis episcopo fauentibus Imperatoribus, sede contradicente apostolica, congregatæ, cuncta acta Pelagius secundus, quemadmodum scribit successor eius Gregorius. Ipse autem Pelagius reddit facti sui rationẽ, ita scribens. Relatum est ergo ad sedem apostolicam, Ioannem Constantinopolitanum episcopum, vniuersalem se suscribere, vosq; ex hac præsumptione ad synodum conuocasse generalem. Cum generalium synodorum conuocandorum authoritas, apostolicæ sedi beati Petri singulari priuilegio sit tradita. Et nulla vnquam synodus rata legatur, quæ apostolica authoritate fulta non fuerit. Quapropter quidquid in prædicto vestro conuenticulo (quia synodus taliter præsumpta esse nõ potuit) statuistis, ex authoritate S. Petri apostolorum principis, & domini saluatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi atque soluendi ipse saluator dedit, (quæ etiam potestas in successores eius indubitanter transiuit) præcipio, omnia, quæ ibi statuistis, & cassa

Greg. epi. lib. 4. ad Elog. & Anast. epis. Pelag 2: ad Cõsta. syn.

cassa & vana esse. Iam verò Adrianus papa certis conditionibus Constantino imperatori septimam synodum, quæ fuit Nicæna altera, indicere & instituere permisit. Quod ipsius ad Imperatorem epistola planum facit. Et damnauit autem ea synodus aliam quandam synodum multorum episcoporũ à Leone imperatore coactam: quoniam non habuit cooperarium Romanum papam. AV. Quid si papa, quamuis periclitãte religione, nollet cogere concilium? aut si nullus certus esset papa? essétve hęreticus? MON. Idem totidem verbis quæri posset de Imperatore, aut si cui alij congregandi concilij ius istud tribuunt. Respõdebo autem tibi ad id quod quæris de papa. Ac de eo quidem, num quis papa fuerit, aut esse posit hæreticus, dicam fortasse postea. Sed fac esse hæreticum: desinet esse papa: nec habebit ius cõuocandi cõcilij: Non magis, quàm si duobus tribúsve electis, ambiguum sit, quis eorum sit papa iustus & legitimus. AVL. Quis igitur tunc conuocabit concilium? MON. Eorum, qui secundum papam proximi sedent ad gubernacula reipub. Christianæ, erit, communicatis inter se, & cum alijs primoribus, cum quibus commodè poterunt, consilijs, cæteros episcopos euocare, aut per principes euocari curá-

Adr. papa ad Constant.

Sept. concil. act. 6.

Cõcilium quando sine papæ authoritate congregatur.

curare. Atque ita cognita ritè schismatis vel hæreseos caussa, certoq; & legitimo papa cõstituto, eius authoritate concilium peragere, & controuersa dogmata definire: Vt factum est in Constantiensi concilio: Vbi sublato trium de pontificatu contendentium schismate, Martinus quintus põtifex creatus est: Et quamuis antequam id fieret, decreta sint in eo multa, tamen ea modo rata sunt, & pro legitimi concilij decretis habentur, quæ ipso pontifice præsidente decreta sunt, vel duntaxat prius quidem decreta, sed eius authoritate postea approbata. Ad eundemque modum fieri oporteret, si nullus eligatur pontifex ab ijs, quorum id ius est. Cæterùm si esset quidem certus & legitimus pontifex, nollet autem cogere synodum, non intelligo, quisnam alius eam cogere queat. AVL. Quomodo igitur tunc depelletur imminens ecclesiæ periculum? MON. Nimirum, quomodo depulerunt olim in summa tempestate Christi discipuli, fluctuante & iamiam mergente nauicula. Contentis non tam vocibus, quàm animis publicè omnibus clamandum esset: Domine, Salua nos. Perimus: Vt is imperet ventis & mari, vel animum gubernatoris, ipsúmve gubernatorem mutet. Sed nos quod reliquum

Constantiensis concilij vis & ratio.

Papa nolẽte instituere concilium quid agendum.

reliquum est de illis pseudeuangelicorum istorum legibus, quas ij concilio præscribũt, persequamur. AV. Probè. Volunt ij, vt prophetica & apostolica doctrina sit iudex controuersiarum: Et vt omnia non numero calculorum, sed secundum scripturam definiãtur. MON. Tenes. AVL. Nónne hoc rectè? Equidem accepi, Euangeliorum codicẽ antiquitus in medio poni solere in concilijs, non ob aliud proculdubio, quàm vt secundum ea iudicaretur. MON. Ergo excludebantur propheticæ, & aliorum, præter euangelistas, apostolorum scripturæ ab eo iudicio? Non opinor hoc velle istos euangelicos. Non expedit quidem eis ad peruincendum quidquid contendunt contra ecclesiã, quippe qui plus ferè præsidij petant ab epistolis Pauli, quas propter difficultatem facilius torquere ac deprauare possunt, quàm ab euãgelijs. AVL. At per euangelia, vniuersa vtriusque testamenti scriptura intelligitur. MO. Nempe per synecdochen. Quàm libenter isti ad figurarum præsidium confugiunt in SS. scripturarum interpretatione, quorum es disertis earum verbis coarctantur. Alioqui proprietatem verborum impense vrgentes. Nobis verò non idem ius permittunt. Verũ donemus hoc eis, quòd non tantum euangeliorum.

Scriptura S. an sit iudex in concilijs.

Euangeliorum liber in concil. propositus.

Ad figuras confugiũt hæretici.

liorum, sed vniuersæ scripturæ sacræ codex in concilijs in medio collocari soleat, num propterea necessarium est, vt is iudicis locũ obtineat? At Cyrillus Alexandrinus ille patriarcha eximius instituti huius mentionem faciens, aliam, ac longè diuersam eius causam reddit, ita scribens. Venerandum enim euangelium in sancto throno collocauit, (de synodo Ephesina loquitur) tantum non in aures sanctorum sacerdotum clamans. Iustũ iudicium iudicate. Iudicabitis inter sanctos euangelistas, & Nestorij voces. Vides euangelia hîc non vt iudices, sed iudicibus sacerdotibus proponi. AVL. Nimirum, vt secundum ea tantum ij iudicent. MON. Tametsi verba Cyrilli sacerdotes etiam ipsorum euãgelistarum iudices constituere videntur, rectè tu tamen exaudis, non de ijs euangelistis inquam, siue euangelijs, sed secundum ea iudicari à sacerdotibus oportere. Alioqui non collocaretur codex in throno. Quanquam de ipsis quoque euangelijs, ac cæterorum apostolorum scriptis, eorundem sacerdotum est iudicium: Sed iam tũc semel peractum, cum ea pro genuinis & canonicis ab ecclesia recepta sunt, nunquam repetendum. Deinceps autem accusatorum vicem euangelia tenent in concilijs aduersus hæreticos:

Cyr. in apolog. Theodos.

De scriptũris sacerdotum iudicium.

Scriptura S. in cõcil. quem locũ teneat.

reticos: Sed talium, quales esse solent domini, quando aduersus contumaces & improbos seruos apud delegatos à se ipsis arbitros, seruos itidem vel subditos suos, iudicio disceptant: Aut quales sunt leges, cum quis in eas commisisse apud legitimos iudices & magistratus arcessitur. Vnde & Christus dominus aduersarium nostrum legem intelligit, quando nos operam dare iubet, vt cum eo cito in via consentiamus, ne ab eo trahamur ad iudicem. De talibus enim aduersarijs siue accusatoribus non iudicant iudices & magistratus, sed secundum eos, vbi ipsis constiterit, reum in eos commisisse: Quod satis est ad eum condemnandum. Ad eundem igitur modum in concilijs secundum euangelia, non de euangelijs iudicatur ab ijs, quos Christus ipse euangeliorum authores rectores & iudices in ecclesia sua esse voluit. Euangeliorum autem nomine nihil prohibet hic non modò prophetica & apostolica scripta, verumetiam omnem Christi doctrinam accipere, siue ea scripta sit, siue scripta non sit. Secundum quam etiam lex & prophetæ intelligendi sunt. Eam enim & prophetæ, & apostoli, & Christus ipse euangelium appellauit. Qua de re luculentè nudiustertius

Matth. 5. Luc. 12.

Euangeliũ quid.

tius egimus. AVL. Cur igitur soli euangelistarum quatuor libri in concilijs in medio collocantur? MON. Quia traditiones non scriptæ, quæ & ipsæ sunt pars euangelicæ doctrinæ, proponi nequeunt; & quia euangelia quasi fons sunt vniuersæ Christi doctrinæ, & verbi Dei, apostolicis & propheticis etiam scriptis, atque traditionibus comprehensæ. AVL. Placet. Atqui patres secundum SS. scripturas tantum vel certè potissimum in concilijs iudicandum esse censent. MON. Martinus quidem Kemnicius etiam exemplo apostolicæ illius synodi, à Luca in actis descriptæ, id confirmat. Hoc, inquit, modo prima apostolica synodus actorum 15. controuersiam de operibus legis ex verbo DEI definiuit. O profligatam hominis impudentiam dicam, an improbitatem. Ad tale videlicet verbum Dei, quod ipse sibi pro libidine sua fingit, & nullum tamen profert, homo elegans, ac censor concilij Tridentini prouocat. Arbitratúrne is micam rationis ineſſe cuiquam homini præter se? Mirum verò, in gregales ipsius rosis (quando quidē lauro caret ea, quę eum tenet, regio) coronent tā sapientem patronum causſæ suæ, qui bellum tam facilè, tela non vibrando, sed sufflando,

Euangeliorum codex in cōcilijs cur proponatur.

An è scripturis tantum iudicādum in cōcilijs.

Kem. in 2. parte exā. cōcil. Tri. in epistolas Apostolica synodus an è verbo Dei definiuerit.

conficit. Proferat, proferat is verbum vnum è loco citato actorum apostolicorum, quo tenuem modo suspicionem eius rei, quam persuadere nititur, vel pueris ac deliris aniculis faciat: hoc est, Controuersiam illam de operibus legis ex verbo Dei definitam esse. An illo, quòd scribit Lucas de magna conquisitione? At coquisitio non est definitio. Viam tamen definitioni præstruit. Fateor. Verum non è solis scripturis ea fieri solet. Quænam igitur ibi mentio fit verbi Dei? Primus dixit sententiam Petrus, vertex & os, vt Chrysostomi verbis vtar, apostolorum. Negat is iugum legis imponendum esse ceruicibus discipulorum. Quo verbo Dei id confirmat? Requisiuitne autem id ab eo multitudo, nolens credere Petri iudicio sine suo? At ea tacuit, inquit Lucas: Nimirum acquiescens in decreto Petri, & audiens Barnabam & Paulum. Disputantésne autem, an fundamenta sententiæ Petri explicantes? Non: Sed narrantes, quanta Deus feciſſet signa & prodigia in gentibus per ipsos. Subsequitur Iacobus, Petro adstipulans. Et ait quidem is Petro cõcordare verba prophetarum. Nec tamen vlla profert, vt multitudini Kemnicij arbitratu satisfaciat, eiúsve iudicio, an ita sit, permittat. Quanam

vero

vero de re ait is Petro concordare verba prophetarum? Num de definitione illius controuersiæ? Nequaquam. Sed de eo, quòd Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo. Quonam autem verbo Dei confirmari illa Petri & Iacobi sententia potuit? Luce quidem meridiana clarius est, si non contrà, certè præter scripturas & verbum Dei eam controuersiam definitam esse. Extant, fateor, nonnulla in epistolis Pauli de abrogatione legis: Sed scripta posterius. Et non iudicis authoritatem, sed vnius, ni fallor, ex ijs, de quorum controuersia iudicatum est, locum in eo concilio Paulus tenuit. Christus quidem ipse nusquam circumcisionem abrogasse legitur. Immò commendauit exemplo suo, circumcisus octauo die. Quid autem legis veteris scriptura? Anima, inquit, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo. Hócne igitur ibi definitum est, quod contendebant quidam de hæresi pharisæorum, verbo Dei & scriptura freti, an potius huius contrarium? An autem illud duntaxat è sacra scriptura definitum est, quod Iacobus addidit, de abstinendo ab idolothytis, sanguine, suffocato, & fornicatione? Audeat hoc casus ille patronus contendere, vt seipsum

cum suis omnibus pseudeuangelicis, ipsumque adeò Paulum apostolum simul cum Christo condemnet: Illum quidem dicentem, Omne quod venit in macello manducate: Et, Omnia munda mundis: Hunc vero: Non quod intrat in os coinquinat hominem. Quale est autem illud, quod de eadem synodo addit idem Kemnicius? Et postea definitionem suam non obtruserunt ecclesijs nuda authoritate, quasi prætoria, sine explicatione fundamentorum, & confirmatione ex verbo DEI: Sed ideo Iudas & Silas cum decretis apostolicæ synodi missi sunt ad Antiochenam ecclesiam, vt dogmatum illorum rationes redderent, & verbo Dei confirmarent. Ita enim ecclesia certa redditur, Se non hominum placita, sed ipsius Spiritus sancti iudicium amplecti & sequi. Extat apud Lucam decretum & epistola apostolorum & seniorum ad fratres Antiochiæ in Syria, ac Cilicia degentes. Quo, quæso, verbo ea significat de illa Kemniciana fundamentorum explicatione, & confirmatione ex verbo DEI? Nónne nudam potius authoritatem apertè præ se ferunt illa, quæ scribunt ij? Visum esse sibi, nihil vltra oneris eis imponere, quàm hæc necessaria?

Quid

Quid autem illa, quæ addit Lucas, & diſertè pro ſe facere videri vult Kemnicius, de Iudæ & Silæ legatione? An quia ſcriptum eſt: Ipſos, cum eſſent prophetæ, verbo plurimo conſolatos eſſe, & confirmaſſe fratres? Scilicet: Confirmationis verbum id oſtendit. Non opinor tam bardum & illitteratum eſſe Kemnicium, vt id ita exiſtimet. Sed tamen tanti facit is illum, ad quem ſcribit, & quoſuis lectores, vt eis vel illo verbulo fucum ſe facere poſſe arbitretur. Verum non decretum apoſtolicum, ſed fratres confirmaſſe Iudam & Silam ſcribit Lucas: Nimirum in fide Chriſti, vel certè in aduerſorum tolerantia. Quomodo autem eccleſia certa reddatur, ſe non hominum placita, ſed ipſius Spiritus ſancti iudicium amplecti & ſequi, docent ipſi apoſtoli melius, quàm Kemnicius, ita ſcribentes. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. Neque ex eo fides noſtra fluxæ & inſtabili arenæ humanæ authoritatis innititur, vt vult Kemnicius, verum fundamento apoſtolorum, qui illa ſic decreuerunt & promulgarunt, & ipſo ſummo angulari lapidi Chriſto Ieſu; qui dixit; Qui vos audit, me audit. Et: Qui non audierit eccleſiam, ſit tibi ſicut ethnicus &

publicanus. At non omnes congregationes, inquit Kemnicius, sunt concilia iustorum Noui: Et dixi de eo satis abundè, nisi fallor, antea. Non opinor autem, eum velle, propterea habendam esse fidem concilijs, quia iustis hominibus constant: (Nisi vult maledictus esse, confidens in hominibus, & ponens carnem brachium suum. Quod isti se maximè fugere præ se ferunt.) Sed quia sacerdotibus: qui sunt linguæ & rectores ecclesiæ. AVL. Apud Hebræos quoque inquiunt isti, principes sacerdotum, scribæ, & pharisæi fuerunt rectores ecclesiæ: Et tamen ij aduersus Christum collegerunt concilium, & cogitarunt, seu statuerunt eum interficere: Nec multo post, condemnarunt eum in concilio suo. Apostolis etiam interdixerunt, ne doctrinam eius diuulgarent. Sed fuerunt illa concilia malignantium, quia non nitebantur verbo Dei. MON. Quid est igitur illud, quod ipsi apud Pilatum iactant? Nos legem habemus: Et secundum legem debet mori. Lex certè verbum Dei est. Verum cessabant iam illi esse sacerdotes, translato in Christum sacerdotio, quo iam is fungi incipiebat, offerens seipsum pro redemptione mũdi hostiã immaculatam Deo. Translato autem sacerdotio,

Concilium Pharisaicũ.

Ioan. 11.

Mar. 14.

Act. 4.

Ioan. 19.

Sacerdotio cessante, nec verbum Dei habuere Iudæi.

dotio, legis quoq; translationem fieri neces-
se erat, quemadmodum ait Paulus. Itaque Heb. 8.
non habebant ij iam legem & verbum Dei:
hoc est, germanum sensum eius: Quemadmo
dum neq; nunc habent hæretici, & quicunq;
segregant semetipsos à corpore Christi eccle
sia, & capite eius, quãuis crepent plenis buc-
cis verbum Dei & euangelium, perinde ac
tunc scribæ & pharisæi, Nos legem habe-
mus. AVL. At de eo controuersiam isti di-
cunt esse inter se & sacerdotes siue episco-
pos põtificios, quæ ab ecclesia dijudicari de
beat. MON. Nempe quia spiritualis dijudi- Ecclesia an
cat omnia, inquit Kemnicius. O lepidum ca- iudicet de
put. Planè ad rem, De tribus capellis. Quæ- concilijs.
nam autem est ista spiritualis ecclesia? Num
vnusquisque sibi ea est, vt cum Brentio Kem
nicius consentiat? An nautarum, taberna-
riorum, cetariorum, coquorum, laniorum,
& aliorum opificum, baiulorumque & mu-
liercularum colluuies, vel, vt ait ille, plebeia
fex sellulariorum? Huc certè spectare vide-
tur Kemnicius, Paulinam illam sententiam
subijciens. Cæteri de ijudicẽt. Spiritualis sa-
nè cœtus ouium, vel hircorum & caprarum
verius, qui de decretis pastorũ suorum, ac de
ipso verbo Dei iudicet. A V. Quomodo de
verbo Dei? MON. Quia de sensu verbi Dei,

quo nitantur oportet ij, qui diuersum vel contrarium de controuerso dogmate sentiunt, & vtrique, vel omnes vocem boni pastoris se audire, alienum autem non sequi contendunt. Equidem satis euidenter demonstrasse mihi videor decreta conciliorum legitimorum & vniuersalium, esse decreta ecclesiæ catholicæ, ita vt in ea inquiri ab aliqua alia ecclesia (quæ nulla est) necesse non sit. Num autem ita actum est in synodo illa apostolica Ierosolymitana? Lucas quidem post Petri sententiam nullis scripturis suffultam, tacuisse scribit omnē multitudinem. Neque in Iacobi sententiam inquisiuisse eam ostendit. Antiochenus etiam accepta & lecta epistola, qua decretum synodi illius continebatur, gauisos sine vlla disceptatione acquieuisse in eo significat. Quod de Syris quoque & Cilicibus, quando Paulus eis tradebat custodire (non executere) ea ipsa præcepta apostolorum & seniorum, itidem planum est. At in capitula Ephesini concilij inquisiuerunt multi viri doctissimi, & in his Theodoretus ille sapiens. Sit ita sanè: (Tametsi nullum testem citat Kemnicius.) Mirum ni Eusebium quoque Nicomediensem iuxta ac Cęsarienſem Theogonium, & multos alios, ipsos quoque doctos

In concilia quis inquirat.

Ruff. hist. eccl. li. 10. cap. 5.

Hist. trip. li. 4. cap. 1.

doctos viros producat, qui cum Ario in decreta Nicæni concilij inquisiuerunt. Ecclesiáne autem illi fuerunt, an potius hæretici ab illis ipsis concilijs & ecclesia catholica anathemate percussi? Qui partim reuersi ad cor cesserunt authoritati conciliorum illorũ: qualis fuit Theodoretus: partim perstantes in pertinacia, ab ecclesijs suis, quibus præfuerant, eorundem conciliorum authoritate summoti sunt. Verum Constantinus Imperator exigit rationẽ gestorum à synodo Tyria. Et Cõstantius eadẽ cõditione synodum indicit. Noui. Testatur hoc Sozomenus, illud Socrates. Scilicet Constantius Arianus, fuit ecclesia. Potuit Kemnicius Zenonem quoq; cõmemorare, cuius imperio non solum dijudicata, sed etiam damnata sunt decreta magni illius Chalcedonensis concilij. At Constantinus magnus pius princeps è Tyria synodo rationem exegit. Verum ea synodus neque Oecumenica fuit, neq; legitimè congregata, neq; ritè peracta, cuius temeritas & improbitas apparuit in condemnãdo sancto & catholico episcopo Athanasio: Ita vt mirãdum non sit, exegisse ab ea rationẽ pium imperatorem. Et quidem rationem gestorum, quæ non iuris, sed facti fuerunt, nempe de iniustè ob conficta quædam crimina condemna-

Soz. hist. eccles. lib. 4. cap. 16. Socr. lib. 1. cap. 34.

demnato Athanasio: Quorum ratio aliunde potius, quàm ex verbo Dei petitur: nimirum ex testimonijs, aliísve documentis, vel rei confessione, factíve euidentia. Sed Kemnicio magistro nihil interest, per quemnam, & à quali synodo ratio gestorum ac decretorum exigatur; & quomodo, quibúsve de rebus exigatur. At Hieronymus non veretur pronunciare: Spiritus sancti doctrina est canonicis litteris prodita: Cõtra quam si quid statuant concilia, nefas duco. Libenter hoc damnamus Kemnicio. Fatemur cum Hieronymo nefas esse, si quid statuant concilia contra doctrinam canonicis litteris proditam. Num autem ex eo consequitur: damnãdum esse quidquid ijsdem litteris proditum non est? Verum sic damnaret Hieronymus, & quicunq; à patribus aliquid eiusdem modi litteris prodiderunt, cum prima illa atque adeò cuncta Oecumẽnica concilia, tum semetipsos. Et illa enim, & ipsi quædam nobis credenda & seruanda prodiderunt, quæ hæretici sacris litteris prodita esse, ipsis etiam patribus assentientibus, negabãt: Quod ego antea certis exemplis demonstraui: Illud tantum contendunt, vt quidquid siue scripto, siue moribus institutíve proditum, ex professo cum scripturis SS. & verbo Dei pugnat,

Concilia an contra verbũ Dei statuant, & quænam.

gnat, id demum mox vti reprobum & adulterinum reijciatur, etiamsi à concilio profectum sit. Quænam autem concilia in eiusmodi suspitionem veniunt? Num vniuersalia & legitima? At iam ego ostendi contrarium. Cuius autem erit iudicium de eo, num contra doctrinam canonicis litteris proditã statutum sit à concilio? Certè neq; vnius cuiuslibet, neque paucorum quorumuis temerè concurrentium, neque imperitæ multitudinis. Nosti opinor, in rhetorum scholis, immò & in foro, quoties de legibus earumq; sensu & intelligentia agitur, disceptari solere cum de diuersis & cõtrarijs legibus, siue scriptis, tum de scripto & sententia. Nempe quod sensus scriptorum nonnunquam longè alius sit, quàm verba ipsorum prima facie indicant. Vtrobique autem interpretandi authoritas est penes iudicem. Neque is scriptura esse potest, cùm de ea sensuque eius sit controuersia, dũ ea in diuersum trahitur ac torquetur à disceptantibus: quẽadmodum nudiustertius à me ostensum est, nec explicare ipsa per se sine interprete sententiam suam potest. Cæterum legitimi talium, & omnium de fide & religione controuersiarum interpretes & iudices à Deo constituti sunt episcopi siue sacerdotes. Quod ipsum quoque certis documen-

De scriptu rarum sensu iudicatur in concilijs.

Concilio-rũ iudicia vnde petãtur.

cumentis, & ipsorum etiam Pseudeuangelicorum adstipulatione probatum est. Ac secundum euangelium quidem ac doctrinam Christi siue scriptam, siue non scriptam ij iudicare debent, quatenus fieri potest. Sic tamen, vt ipsius quoque doctrinæ interpretatio ad eorundem sacerdotum iudicium pertineat. Sin autem inde explicari ac definiri non possit, ad præscriptum tamen eius ipsius doctrinæ & euangelij id fieri existimandum est, quod analogiæ fidei euangelicæ in ecclesia catholica perdurantis consentaneum est: Idque non cuiusuis, sed eorundem sacerdotum siue episcoporum consentientium, & linguæ ecclesiæ repræsentantium iudicio, vt fit in concilijs. Ad quæ cum multi iudicaturi conueniant, non intelligo, quomodo id iudicium aliter peragi queat, quàm si in concilium ij iudices

Suffragiorũ ratio in concilijs.

mittantur, ac singuli dicant sententias, eaque demum obtineat, in quam vel omnes, vel plurimi certè consenserint. Aut dicant

1. Cor. 14.

isti nobis Euangelici, quid sibi velit Paulinum illud: Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent: etiamsi illud (cæteri) ipsi non ad prophetas, sed ad imperitam multitudinem perabsurdè referant. Proferant autem ij exemplum aliquod ex

actis

actis priscorum legitimorum conciliorum, vbi aliter, quàm suffragiorum, vt ita dicam, pluralitate de doctrina iudicatum sit. In Nicæno quidem Arius decem & septem, ni fallor, episcopos adstipulatores habuit, alterius à patre substantiæ, & minorem eo filium Dei esse scripturarum obtentu asserentes. Sed vicit contraria plurium reliquorum sententia, licet ὁμοουσίου verbum in scripturis non extaret. Sic in Constantinopolitano primo de Spiritu sancti diuinitate & eadem cum patre & filio substantia. Sic & in Ephesino primo de duabus naturis in vna Christi persona, ac de theotoco. Quod itidem de cæteris concilijs ostendi potest. Num autem isti in conuenticulis suis Osiandri, vel Stancari, vel Ochini, vel Valentini Gentilis, vel Serueti cum paucis adstipulatoribus, quàm totius reliqui cœtus sui sententiæ vnquam stare maluerunt? An non multitudine suffragiorum eos neequidquam ad scripturas prouocantes, & scripturis dogmata sua defendentes damnarunt potius, & vel exegerunt, vel capitalibus etiam supplicijs affecerunt? Ita ipsis quod volunt, & quoad volunt, sanctum ac rursus peruersum & impium est. AVL. At in Nicæno concilio vnius

Paphnu-

Socr. hist. eccl. li. 1. cap. 11.

Paphnutij sententia de coniugio sacerdotum obtinuit. MON. Nempe quia in eam à cæteris omnibus vel plurimis duntaxat, itum est. Videris non tenere rationem ineundorum suffragiorum ac dicendarũ sententiarũ in concilijs & consilijs publicis. Certè cũ ordine dicuntur sententiæ, nec idẽ omnes sentiunt, vnum aliquem cuiuslibet sentẽtiæ authorem esse oportet, quocunque is loco dicat, siue primo, siue vltimo, siue intermedio.

1. Cor. 14.

Docet autem Paulus: Quid si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Fit igitur nonnunquam, vt priores pedibus eant in posterius dicentis sententiam, de suis decedentes. Siue autem omnes, siue multi eam sequantur; iam ea non vnius illius, qui eam primus dixit, quocunque loco dixit, sed eorum omnium, qui eam amplectuntur, esse existimanda est. AVL. Quid autem tibi videtur de illo decreto. MON. Istorum hic pseudeuangelicorum disserẽdi ac disputandi mos est, Non perstare in re proposita, sed de vna quæstione in aliam transilire. AV. Bene mones. Persequamus ergo institutum nostrum. Equidem ex te audiuisse mihi videor, Concilia nonnunquam alia ab alijs retractata esse.

Concilia an retractẽtur

MON. Augustinus hoc scribit. Et est euidens, ecclesiasticam historiam, & acta concilio-

ciliorum priscorum legentibus. AVL. Num igitur infrequentiora tantum à frequentioribus? An etiam frequentiora ab infrequentioribus? MON. Etiam frequentiora ab infrequentioribus. AVL. Cur autem non itidem in vno atq; eodē concilio cedant plures pauciorum rectiori sententiæ? MON. Neq; hoc absurdum, aut insolens est. Quin constat, vniuersa nonnunquā concilia vnius Rom. pontificis aut legatorum eius sententiæ cessisse, vel ab eo solo ea retractata esse. AVL. Quo iure? MON. Quia præsidet is, & moderatur concilijs. AVL. At hoc quoq; negant fieri oportere, aut solere antiquitus isti Euāgelici. MON. At confirmant superius à me recitata Damasi, Pelagij, & Niceni secundi concilij testimonia. Nam & hoc Leoninam illam synodum irritam esse pronūciat, quoniam Rom. pontificem, non conuocatorem, sed cooperarium non habuit: Et illi rata negant esse cōcilia, quæ apostolica authoritate fulta non fuerint. In præsidendo autem magis, quàm in conuocando existit & eminet authoritas. Itaq; in omnibus legitimis concilijs ea semper eminuit, ita vt eis Ro. pōtifices, si non per se ipsi, per legatos certè suos præsiderēt, quē admodum heri exposui. AV. Honoraria fortasse præsidētia, quæ eis primi tantum loci &

Papa præsidet concilijs.

sententiæ dicendæ prærogatiuam, non etiam in decernendo summam authoritatem tribueret. MON. Immò vt ex eorum sententia omnia agerentur & peragerentur, siue constituerentur. Nam honoraria præsidentia & Imperatores nonnunquam concilijs præsediſſe leguntur, ita vt actionibus, non etiam iudicijs ac decretis eorum moderarentur, vt in actis tertij Constantinopolitani concilij, quod sextum est inter vniuersalia, apparet. Quod alios itidem iudices ab ipsis delegatos in alijs quibusdam concilijs feciſſe paulò ante ostendi. Cæterum agendorum ac decernendi authoritas omnis penes solum semper fuit Rom. pontificem. De primis quatuor generalibus concilijs non est operæprecium repetere ea, quæ heri demonstraui. Illud tantum hîc addam quòd Chalcedonense apertè profitetur ad Leonem papam scribens: Eum sibi, sicut membris caput præfuiſſe: Et quod Nicænum quoque primum à Sylvestro papa petiuit, itidem atque Chalcedonense à Leone vt is acta ac decreta sua confirmaret, quibus tamen agendis ac decernendis legati vtriusque præfuerant. Quinta autem Oecumenica synodus cum in alijs tum in deponendo Authemio Constantinopolitano patriarcha (in

Præsidētia honoraria Imperatorum.

Papa concilijs moderatur.

Chalc. concil.

Nicænum.

Chalc. concil.

Quin. syn. Oecum.

(in qua vrbe ea habita est) Agapeti papæ præscriptum secuta est, nec quidquam aduersante Iustiniano imperatore. In sexta etiam, in qua præsedisse præscribitur Constantinus imperator cum quibusdam magistratibus suis, valuit potissimum Agathonis papæ epistola, placita, & authoritas: quod ex actis eiusipsius synodi, & prosphonetico ad imperatorem sermone satis constat. Quin præscripsit is, Agatho inquam, ei synodo per legatos suos agendorum ac decernendorum rationem, vt apparet ex epistola eius ad eundem imperatorem scripta. Sic autem is scribit, legatos suos, quos ad eam synodum mittebat commendans: Licentiam proinde eis siue authoritatem dedimus, apud tranquillissimum vestrum imperium, dum iusserit eius clementia, simpliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat iniunctum est, (Attende) vt nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius apostolicæ sedis, vt à prædecessoribus apostolicis pontificibus instituta est, syncériter enarrare. In altera vero epistola, cum fidē suā vnà cū synodo Romę à se coacta exposuissent: Personas autē, inquit, de nostrę humilitatis ordine præuidimus dirigere ad vestræ à Deo protegendę fortitudinis vestigia,

Sexta syn.

Agatho ad Constant. Sexta syn. act. 4.

quæ omnium nostrum, id est, vniuersorum per septentrionales vel occiduas regiones episcoporum suggestionem, in qua & apostolicæ nostrę fidei cõfessionem prælibauimus, offerre debeant. Non tamen tanquam de incertis contendere, sed vt certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre simpliciter, obsecrantes, vt à Deo coronato vestro imperio fauente hęc eadẽ omnibus prędicari, atque apud omnes obtinere iubeatis. Et rursus. Quicunq; proinde sacerdotũ hæc, quę in hac nostra humilitatis cõfessione continentur, nobiscum synceriter prędicare desiderant, vt nostræ apostolicæ fidei concordes vt consacerdotes, vt comministros eiusdem fidei, & vt simpliciter dicamus, vt spirituales fratres, & coëpiscopos nostros suscipimus. Qui vero hæc confiteri noluerint, vt infestos catholicę & apostolicę cõfessioni perpetuæ condemnationis reos esse censemus: Nec aliquãdo tales in nostrę humilitatis collegio, nisi correctos, suscipere patimur. Nẽ transgredi nos quis quidquam eorum arbitretur, quod à prædecessoribus nostris accepimus. Vide quanta authoritate præscribat non solum agenda ac definienda, verum etiã definiendi formam. Nec est existimandum, fiduciam illam & authoritatem, synodi esse

cum

cum pontifice congregatæ ac non ipsius pontificis propriam. Aliter, cur magis Romana Constãtinopolitanæ præscriberet, quàm hæc illi? Præscripsit & Adrianus itidẽ septimę synodo, vt ex epistolis eius ad Imp. Constantinum & Tarasium Constantinop. patriarcham, & ad ipsam synodum apparet. Vbi is sedem Petri siue Romanam caput omnium ecclesiarum appellat. Nec discessit ea synodus à præscripto eius pontificis, quod ex actis eius satis constat. Octaua quoque Nicolai papæ, & successoris eius Adriani secundi sententiam secuta est, nec quidquam contraueniente Michaele Imperatore, qui cum legatos pontificios corrupsisset, ac in suam sententiam adduxisset, frustra contendit, vt pontifex ipse legatorum suorum & pseudosynodi, Phocij patriarchæ arbitratu Constantinopolitani peractæ, iudicium approbaret. Indicant hæc partim acta illius synodi, partim ipsius Nicolai epistola liberrima ad eundem imperatorem missa. Idem ad clerum ecclesiæ Constantinopolitanæ ita scribit. Hæc sunt, quæ sedes apostolica statuit: hæc sunt, quę vos tanto studiosus oportet amplecti, tanto solertius obseruare, quanto scitis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc vniuersalem ecclesiam semper tenuisse. Adrianus ve-

Sept. syn. act. 2. &c. Adri. papa ad Constãtinum & ad Tarasium.

Octaua syn.

Nic. papa 1. ad Clerũ Constã.

Act. 1. & 7.

ro ad Basilium Augustum scribens: Volumus, inquit, per vestrę pietatis industriã Constantinopoli numerosum celebrare concilium: Cui nostri quoque missi præsidentes, & culparum personarumque differentias liquido cognoscẽtes (iuxta quod in mandatis acceperunt) singulorum liberè discretiones exerceant. In quo sacrato cœtu execrandi vanitatis cõcilij, quod aduersus hanc sedem actum est, cuncta decernimus exemplaria à possessoribus suis ablata, contemplantibus cunctis igne cremari nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltẽ vnum iota, vel vnum apicem, nisi quis totius clericatus, immò totius nominis Christiani honore, anathemate percussus, carere voluerit. Hæc ille & alia plura ad ipsam quoq; synodum: Quæ lecta publicè, & ab vniuersis approbata sunt. Itemq; Adriani primi epistola, in qua is sedẽ Petri caput omnium ecclesiarum appellat, vt dixi dudũ. Florẽtinum etiam concilium, cui Ioannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator interfuit, Nicolai quinti papę arbitrio peracta est. Cuius concilij sanctionẽ de principatu Rom. põtificis in ecclesia Christi nuper tibi recitaui. AV. Memini. MO. Ex his igitur planũ fit, quę & quãta sit authoritas põtificia in cõcilijs. Planius etiam ex Ephesino

Florent. concil.

poste-

posteriori concilio, cuius paulo ante mentionem feci: Quod Leonis, quidem pontificis voluntate & assensu, sicut ostendi, à Theodosio Imp. congregatũ, irritum tamen non modo eius ipsius Leonis, verũ etiam Chalcedonensis magni concilij decreto fuit, propterea quòd in eo prẽter ipsius pontificis & legatorũ eius sententiam nonnulla acta ac decreta essent. Quod ex actis eius ipsius Chalcedonẽsis concilij, & epistolis Leonis patet. Sic autẽ scribit Leo ad Constantinopolitanam ecclesiam, damnans conciliabuli illius sententiã. Quippe cum vox illic contraditionis à nostris emissa sit, quam Alexandrinus antistes, qui totum solus ibi potentiæ suę vendicauit, audire contẽpsit, in consortium suæ voluntatis inuitos protrahẽs sacerdotes &c. In Chalcedonensi quoq; quamuis frequenti, & è sententia eiusdem Leonis peracta, tamen illud is reprobauit, quod præter sententiam legatorum suorum decretum erat de Constantinopolitanæ sedis prærogatiua. Nec adduci is se vel Imperatorũ, vel ipsius concilij repetitis precibus & cõsensu, neq; Cõstantinopolitani cõcilij vetustiori simili decreto, quo illi se tuebãtur, passus est, vt decretũ illud confirmaret: Negatq; aliud ibi agi potuisset, quàm de quo concilium id coactum esset. Testan-

Ephes. 2. conciliabulum cur retractatum.

Leo ep. 21.

Chalcedonen. concilij acta quædam retractata à papa.

Leo in epist. & in actis cõcil. Chalce. Tridentinum concilium.

tur id Leonis ipsius ad Anatholij patriarchæ, Imperatorum, & patrum concilij illius epistolas rescripta. Proinde non sine exemplo, nec sine ratione idem factum est nuper, vt post absolutum concilium Tridentinum, confirmatio decretorum eius à Pio quarto pont. max. peteretur: Quemadmodum nec illud, quòd patres eius ipsius concilij plerisque omnibus de rebus, priusquam publicè decerneretur, ad eum ipsum, & qui ante eum fuere pontifices referre soliti sunt. Nec fuit, cur id elegantiorum quorundam, etiam principum, sarcasmo exciperetur: Quasi Roma concilio Spiritus sanctus peteretur. Tanta est igitur, & fuit antiquitus pontificum Romanorum in concilijs cogendis & gubernandis authoritas. Nec mirum. Petro enim, & in eo successoribus eius Rom. pontificibus totus grex ecclesiæ Christi ab ipso Christo pascendus commissus est: Eisdem claues regni cælorum, & eximia ligandi & soluendi potestas collata. Eisdem ab eodem Christo prærogatiua illa impetrata ac data est, vt ne deficiat fides eorum, & vt confirment fratres suos, siuæ cæteros episcopos, siue vniuersos, qui vnum cum ipsis patrem cælestem agnoscunt & profitẽtur, quemadmodũ heri à me demonstratum est. Cum igitur tanta

sit

sit authoritas Rom. pontificis in concilijs, tamque necessaria præsidentia, nullo modo fieri potest, vt eis subsit. Alioqui caput fieret in caudã, vt scripturæ verbis loquar, & quod supra esse debet, subter. AV. At contrarium decreuerunt, vt audio, Constantiense & Basilienſe Concilia. MON. Fateor. Basilienſe quidem etiam hæreticum esse statuit, sentire, Papam esse supra concilium. Verum illa concilia neque vniuersalia, neque per omnia legitima fuere. Quod luculente à Ioanne de Turrecremata, & Thoma Caietano, Cardinalibus, Alberto Pigghio, Melchiore Cano, & alijs viris doctis demonstratur: Et cum in alijs quibusdam placitis ac decretis, tum in hoc ea reprobata sunt à posterioribus legitimis concilijs, Florentino & Lateranensi. Et vetustiorum quoque actis, antehac à me commemoratis constat, Pontifices Rom. semper concilijs agenda ac decernenda cum authoritate præscripsisse, actaque eorum ac decreta iam quædam, iam omnia arbitratu suo confirmasse, vel infirmasse, & in eorum iudicijs ecclesiam catholicã semper acquieuisse. AVL. Quod si papa sit hæreticus? MO. Quid si cælum ruat? Ac vt ruat: Cælum, inquit ipsa, quæ mentiri non potest, veritas, & terra transibunt, verba autem mea nõ transibunt.

Papa non subest concilio.

Deut. 28.

Const. concil. sess. 5.

Basil. sess. 2. 3. & 18.

Turrec. in summa li. Caie. de autho. papa & cõcil. ca. 8. & in apolog. Pigg. hier. eccle. li. 6. ca. 3.

Can. de loc. theol. li. 5. cap. 6. Florent. concil. & Lat. sess. 11.

Luc. 21.

ibunt. Heri demonstraui euidentissimè, ea, quæ Christus Petro promisit, quòd portæ inferorum non essent prævalituræ aduersus eum, Nō magis, vt affirmat Origenes, quàm aduersus ecclesiam super ipsum ædificatam, & ipsius curæ commissam, & quòd ipse rogauerit pro eo, vt non deficiat fides eius, etiam ad cathedram Petri, & ad omnium temporum in ea successores eius pertinere: Ita vt verisimum sit illud, Sedem illam siue ecclesiam apostolicam matrem omnium ecclesiarum per omnipotentis Dei gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam erasse, nec hæreticis nouitatibus deprauatam succubuisse: Sed vt in exordio normam fidei apostolicę perceperit ab authoribus suis apostolorum Christi principibus, illibatam fine tenus manere: Et quidem secundum ipsius domini saluatoris nostri diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est euangelijs: Petre, inquiens, ecce satanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quæ sententia licet sit Lucij Papæ, tamen quia martyr Christi fuit ille, & publicè ad Galliæ Hispaniæque episcopos scripsit, nequaquam

Rom. pontificis & ecclesiæ firmitas in fide. Orig. hō. 1. in Matt.

Luc. ep. ad Gall. & Hisp. episcopos.

quam leuis & vana existimanda est. Nec diuersum longè post Agatho ad Cõstantinum Imperatorem, & Heraclium Tyberiumque Augustos tempore sexti Oecumenici concilij scribit: Apostolicam Petri ecclesiã nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexã esse. Huius, inquit, authoritatem, vtpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia, & vniuersales synodi fideliter amplectentes in cũctis secutæ sunt, omnesq; venerabiles patres apostolicam eius doctrinã sunt amplexi, per quam vt probatissima Christi luminaria claruerũt: Quam & sancti doctores orthodoxi venerati & secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odijs insecuti. Hæcne autem ille scriberet ad Imperatores, tam frequens concilium tunc cõgregantes, nisi toti orbi terrarum in confesso essent? Quin approbata est ab vniuerso illo concilio illa ipsa epistola siue suggestio. Et mox repetit Agatho illa ipsa Lucij verba: Sicut & ante eum Felix ad Benignum episcopum, & Eusebius ad vniuersos per Campaniam & Tusciam episcopos scribens. Ante hunc autem Marcus ait, Eam semper immaculatam mansisse, & in futuro mansuram. Adstipulantur his etiam Terraconen. pro-

Aga. ep. ad Constan. Imper.

Sext. syn. act. 8.

Terrac. epi. ad Hilar. papam.

prouinciæ episcopi ad Hilarium papam scribentes, Qui inde se responsa quærere profitentur, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur. Quin & Ioannes Constantinopolitanus patriarcha cum Iustino imperatore, cum ab ea sede se per schisma segregassent, quēadmodum heri ostendi, reuersi ad cor, profitentur, In ea inuiolabilem semper fidem catholicam custodiri. Idem ad eundem modum professus est Eulalius Carthaginensis cum cæteris Africæ episcopis. Eodem pertinet, quod Alexandrina synodus cum præside suo S. Athanasio cum alijs multis pręclaris elogijs eam prosequitur, tum illo, quòd ea firmamentum à Deo fixum & immobile perceperit. Vides plurimarum & primariarū ecclesiarum non cuiusque modi, sed secundum contentionem ferè vi veritatis, & concordi catholicæ ecclesię sensu expressum cōsensum. Octaua autem synodus Oecumenica profitetur, In ea ipsa sede apostolica esse veram & integram Christianæ religionis soliditatem. Atque hæc omnia testimonia, licet de Rom. ecclesia, ac non de præside eius disertè loquantur, de hoc tamen non minus quàm de illa accipienda sunt, cum ea prærogatiuam hanc à præside suo habeat, qui est

Ioan. Const. patr. ad Hormisd.

Alex syn. ad Feli. papam.

Octaua syn.

sue-

cessor Petri, clauiger, caput, fundamentum, pastore moderator nõ illius modo, sed vniuersæ ecclesiæ, & fratrum cõfirmator à Christo constitutus, quemadmodum heri ostendi. Non igitur mirum est, si is moderatur, semperque moderatus est concilijs, caque potestatem & authoritatem eius, diuinitus ei collatam, & omnium temporum ecclesiæ catholicæ consensu roboratam secuta sunt, nec vnquam sibi fas esse duxerunt de placitis ac decretis eius iudicare. Quin & in proprijs eorum causis, & obiectis grauiss. criminibus nulla vnquã concilia iudicium sibi sumpserunt: Immò vltro etiam delatum detrectarunt. Sinuessanum quidem *180.* episcoporum ante *1300.* propemodum annos celebratum, Marcellinum papam crimen idololatriæ à se commissum vltro confitentem, & iudicium flagitãtem, iudicare nefas esse duxit. Quoniam, inquit, prima sedes non iudicabitur à quoquã. Nec aliter in causis Sixti tertij, Symmachi, & Leonis tertij tres Romanæ synodi frequentes, partim ab imperatoribus Valentiniano, & Carolo magno, partim à Theodorico rege coactæ, se gesserunt. Ac Symmachi quidem causa, quamuis rex vt iudicaretur contenderet, non obscuro patrum congregatorum decreto & subscriptionibus

Papa non iudicatur à concilio.

Cõc. to. 1.

Cõcil. to. 1. & to. 3.

Conci. to. 2. in 4. Rõ. syn.

nibus Dei iudicio reseruata est, & accusatores veniã ab accusato petere iussi sunt. Cessitque de sententia sua Theodericus. Non ita Basilienſe concilium ante centum triginta annos. Cuius tamen decretum, quo depositus est põtifex Eugenius, & Felix in locum eius surrogatus, ratum nõ fuit: Ac Eugenius quidem cum deinceps quoque pontifex esse non desijsset, moriens successorem accepit Nicolaum quintum; Felix vero cum se inter suffragatores suos aliquamdiu pro pontifice gessisset, ad extremũ ad Nicolai pedes prouolutus, eum pro vero pontifice agnouit. Ita vt vel inde appareat id concilium non fuisse legitimum. AVL. Constantiense quoq; non solum subijcit pontifices conciliorum iudicijs, sed ipsum etiam de pontificibus iudicauit. MON. Nec illius acta ac decreta omnia rata & legitima sunt, vt dixi dudum. Illud tamen eius iudicium ratum fuit. Amotis enim tribus, Martinus quintus suffectus est, quem vniuersa ecclesia, illis reiectis, pro vero & legitimo pontifice agnouit. Sed cum omnes illi per contentionem dissidentium Cardinalium electi essent, nullus eorum fuit verus & legitimus pontifex, (qui non nisi vnus esse potest.) Itaque partim vltro ij pontificatu se abdicarunt, partim à concilio illorc-

Basilienſis concilij cẽ ſura.

lo rectè iudicati sunt, non vt pontifices, sed vt iniusti vsurpatores pontificatus: Ne dicam vt hæretici, quod ex actis eius constat. Hic autem vnus casus excipitur à plerisque omnibus iureconsultis ac theologis, in quo papa iudicari potest à concilio. Idque fretis authoritate Gratiani, siue adeò citati ab eo Bonifacij martyris: Quò scribit papam à nemine iudicari, Nisi fortè deprehendatur à fide deuius. Quod itidem Anacletus papa, & quinta Romana 218. episcoporum synodus sensisse videtur. Eo igitur demum casu papa à concilio vniuersam ecclesiam repræsentante rectè iudicari posse existimatur. Nec mirum, cum per hæresim quisque ecclesiæ membrum esse desinat. Qui autem membrum ecclesiæ non est, ne caput quidem est: Ac proinde neque Papa. Atque ita quoque non videtur ei abrogari pontificatus decreto concilij, sed declaratur tantum, eum proprio iudicio, secundum Pauli sententiam, condemnatum desijsse esse pontificem. Sed nos hanc controuersiam alijs, qui ocio ingenioque abundant, subtilius expendendam ac definiendam relinquamus. AVL. Vttibi videtur. Vel nunquam ergo, vel in sola caussa hæreseos con-

C. Si papa 40. dist.

Anacl. ep. 3. Concil. to. 1.

Papa in casu hæreseos an iudicetur.

concilij iudicio subiacet pontifex. Quod mihi hucusque perabsurdum esse visum est. MON. Immò plurimis etiam catholicis adhuc videtur. Sed non debet videri. Oportet enim vnum esse supremum tribunal in ecclesia, nullius alius, quàm Christi ipsius ecclesiæ capitis iudicio obnoxiũ, si vera sunt, vt sunt certè, ea, quæ hodie & heri de ecclesia eiusque hierarchia demonstraui. Vides igitur iniustas, & neque moribus & institutis ecclesiasticis, neq; sacris scripturis consentaneas leges ab istis protestantibus & nouatoribus præscribi concilijs. Simul autem ex his apparet, quodnam sit legitimum Oecumenicũ & vniuersale concilium: Nimirum quod à summo vniuersæ ecclesiæ pastore, Christi vicario, Rom. pontifice ex omnium Christianorum populorum episcopis, qui commodè conuocari & conuenire possunt, coactum eiusdem pontificis authoritate & iudicio peragitur. Ac tale demum in Christi nomine congregatur: vt non sit dubium, in medio eius Christum esse, qui via, veritas, & vita est neq; errare id in fide posse. Quamuis enim multi ad id conueniant qui Christi non sunt, & de quibus is aliquando dicturus est, Nunquam noui vos; tamen ij in nomine eius cõgregati esse existimandi sunt, quando secũdum

Legitimũ vniuersale concilium.

In nomine Christi cõgregari quid sit.

Matth. 7.

dum eius institutionem, & eius quem ipse ouilis sui pastorem & vicarium suum constituit authoritate congregantur & iudicant. Quemadmodum in regis nomine coëunt & peraguntur comitia, quæ vel ipse per se, vel per proregem & vicarium suum instituit & peragit, adhibitis ijs, quos ex more aut lege adhiberi oportet, qualescunque ij sunt. Sic autem accipi nonnunquam in scripturis hæc verba: In nomine Christi, vel cuiuspiam alterius, argumenta sunt illa Iudæorum: Benedictus, qui venit in nomine domini: Et illa Christi ipsius apud Ioannem. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis: hoc est, patris, & sua ipsius authoritate. Habes igitur de vniuersalibus legitimis concilijs. Talia vero ex omni ecclesiæ memoria numerantur quatuor illa prima, quibus D. Gregorius, & multi alij pij magnique theologi, parem ferè euangelijs authoritatem tribuunt: Nicænũ videlicet sub Syluestro: Constantinopolitanum sub Damaso, Ephesinum sub Cœlestino, Chalcedoneñ. sub Leone põtificibus. Deinde Cõstantinopolitanum secundum sub Agapeto, Syluerio, & Vigilio; Constantinopolitanum tertium sub Agatone & Leone secundo: Nicænum secundum

Matth. 21.

Ioan. 3.

Vniuersalia legitima cõcilia quæ. Greg. in Regist li. 2. ca. 29.

sub Adriano primo: Constantinopolitanum quartum sub Adriano secundo celebratum. His rectè addiderimus Florentinum sub Eugenio quarto: Et Tridentinum nuper sub Paulo tertio, & aliquot subsequentibus pontificibus. Cui Stanislaus Hosius Cardinalis Varmieñ. singulare ornamentum Poloniæ nostræ cum duobus, & nonnunquam tribus vel quatuor alijs Cardinalibus, viris præstantiss. Pij quarti pont. max. nomine ad extremum præfuit. AVL. Russi nostri, & Bulgari, Græcos vt aiunt, secuti, negant, post septimam synodum, quæ fuit Nicæna secunda, vllam aliam fuisse, aut institui posse Oecumenicam. MON. Quid ita? AVL. Quia canone eius ipsius Nicænæ, vel nescio cuius alius synodi sub anathematis pœna id interdictum sit. MON. Ego canonem istum nusquam inuenio. Audisti autem ex me, octauam quoque synodum postea in Græcia coactam, & ab ipsis Græcis pro Oecumenica habitam esse. Quo autem iure id vlla synodus in posterum posset interdicere? An quia per anteriores synodos omnes prorsus controuersiæ de fide, omnesque aliæ Oecumenicarum synodorum caussæ sublatæ sunt? At extiterunt postea, & existunt etiam-

Stã. Hosius legatus Conc. Tridենt.

Vniuersalia concilia an cessarint.

iamnunc, ſicut oſtendi nudius quartus, nouæ hæreſes, & ex eo ferè tempore grauia ſchiſmata afflixerunt eccleſiam? An quia deſeruit eam Chriſti & ſpiritus ſancti magiſterium, quod idem perpetuum vſque ad conſummationem ſæculi & æternum fore promiſit? An deniq; quia noua aliqua & expeditiore ratione, ac non hac ſuperioribus ſæculis vſitata per concilia Oecumenica deinceps Chriſtus idem ſponſæ ſuæ chariſsimę laboranti ſuccurrit? Edant, edant eam. Ac nos quidem fortaſsis edere poſſumus: Non nouam tamen, ſed antiquitus, perinde atque illam Oecumenicorum conciliorum, vſitatam: Ne dicam antiquiorem etiam, & expeditiorem. Verum ab ea illi, & iſti pſeudeuangelici, atque adeò omnes ſchiſmatici & hæretici magnoperè abhorrent. AVL. Quænam eſt ea? MON. Sunt placita ſiue definitiones cathedræ Petri, cui peculiariter præ cæteris Apoſtolis CHRISTVS dominus oues ſuas paſcendas regendasque commiſit. AVL. Ergóne Rom. pontifex ſucceſſor Petri in cathedra non ſolum moderatur concilijs Oecumenicis, ſed ipſe etiam per ſe quaſi dictatoria virgula eccleſiæ credenda & ſequenda præſcribit? MON. Quid ni? ſi paſtor eſt, & caput eccleſiæ.

Pontificũ placita ſunt doctri na eccleſiæ.

Caput regit totum corpus.

Nam & oues vocem pastoris audire debent, & in corpore humano caput non modo oculis in cernendo, & linguæ in loquendo ac docendo moderatur, verumetiam cæteris omnibus membris sua cuique officia præscribit, ita vt ex eius quasi magisterio totum corpus pendeat, eoque cessante nullum membrum rectè officium suum faciat, ac ne intelligat quidem, quid sibi facto opus sit. An nó videmus, nos aliquando apertis oculis & auribus non videre tamen, quę sunt præ oculis, neque audire, quæ aures pulsant, si caput & animus alia cogitatione vel affectione distineatur? Nec illud animaduertimus, clausis etiam vel caligantibus oculis pedes tamen manusque ac totum corpus eiusdem capitis iudicio ad officia sua actionesque nonnullas dirigi, & ab eo sine linguæ ministerio cũ singulis, tum omnibus simul membris agenda & vitanda præscribi? AVL. Quid si caput deliret, aut data opera peruerse, & nõ ex vsu totius corporis cætera mẽbra regat, & quod dicitur, cum ratione insaniat? MON. Actum fuerit de corpore, siue adeò de homine. Verum hoc metu ecclesiam suam Christus ipse, qui super hanc Petram eam ædificauit, & hoc ei caput reliquit, liberat, pro quo rogauit, vt non deficiat fides eius, & cui confirman-

firmandorum fratrum curam & munus delegauit, largitus ei proculdubio sanam doctrinam ad eam curam munusque rectè fungendum pertinentem. AVL. Rectum est igitur & sanum, quidquid faciunt, & dicunt, præcipiuntque Rom. pontifices? MO. Mane. Docebit te Christus. Dicunt enim, inquit ille, & non faciunt. Nihil enim prohibet ea verba, vniuersè de omnibus in cathedra Moysi, siue Christi, quemádmodum prius ostendi, sedentibus dicta, etiam ipsis cuiuspiam cathedræ præsidibus accomodari. Quid autem præcipit de ijs Christus? Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: Secundum opera vero eorum nolite facere. Duo præcipit: Seruate & facite: Quorum hoc ad mores & præcepta vitæ degendæ, illud ad fidei regulam pertinere videtur. AVL. Nónne autem non raro, vt cæteri episcopi, sic ipsi etiam summi pontifices eadem dicunt, quæ faciunt, non solum vitæ, verumetiam fidei Christianæ, & verbo Dei neutiquam consentanea? MON. Neque hic tecum magnoperè pugnabo. Verum non de quibuslibet dictis illud Christi præceptum intelligendum est: sed de ijs tantum, quæ ij de cathedra pronunciant: hoc est, de placitis siue decretis ac definitio-

Pontificũ doctrina an semper sit doctrina ecclesiæ Matth. 23.

nibus eorum. Nam in his demum ij cum illam cathedræ, tum omnes succeſſorum Petri, & vicariorum Chriſti prærogatiuas obtinent. Cætera & faciunt, & dicunt, vt homines, vt Ioannes Maria, verbi gratia, vel Alexander, vel Thomas, eadem circumdati infirmitate, qua cæteri homines.

In pontifice quid requiratur.

AVL. Si quem habet ſucceſſorem Petrus, ad quem eædem prærogatiuæ irerrantis & indeficientis fidei, confirmationis fratrum, clauium, & eximia illa poteſtas & authoritas ſuper vniuerſam Chriſti eccleſiam pertineant, eum certè ijſdem virtutibus præditum eſſe oportet, quibus præditus fuit Petrus, fide, inquam, & charitate eximia. Quandoquidem ſecundum editam à Petro confeſsionem fidei, ſuper ipſum Chriſtus eccleſiam ſuam ſe ædificaturum pollicitus eſt, & claues regni cælorum, poteſtatemque ligandi & ſoluendi ei promiſit. Oues autem ſuas paſcendas ei committens, eximiam præ cæteris apoſtolis charitatem ab eo ſtipulatus eſt. MON. Non ineptè ratiocinaris. Sed hic mihi obſerues velim; Chriſtum fidem tantum à vicario ſuo Petro, & ſucceſſore Petri, paſtore & capite eccleſiæ exigere. Argumento ſunt illa ipſius

Matt. 16.

apud Matthæum verba, quibus beatitudinis

eius

eius caussam reddit, & promissum subijcit. Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus. Reuelatio enim est rerũ abstrusarum intellectui, qualis est fides, non voluntati, quę charitatẽ cõplectitur. Quemadmodũ autẽ ad id, vt quis Christianus sit, & ad ecclesiã Christi pertineat, sufficit fides, aut, vt significantius dicã, habitus fidei; ita vt quis caput sit eius ipsius ecclesiæ, fides itidẽ requiritur, vt fidelium fidele sit caput. Eiusdem enim rationis & generis caput cum reliquo corpore esse oportet. Charitas vero & cõfessio accedens fidei sicut perfectum Christianum & viuum ecclesiæ membrum, ita omnibus numeris absolutum caput, & bonum rectęque fungentem officio suo pastorem & clauigerum facit. Absque ea tamen nihilominus pastor, clauiger, caput & ecclesiæ minister esse quispiam potest, vt prius ostendi, cum in genere egi de ministerijs ecclesiæ. Nec obstat illa stipulatio charitatis eximiæ, pascendi mandato à Christo præpositа. Non enim tũc Christus pastorale munus & potestatem Petro cõmittebat, quod iam ante mortem suã cõmiserat, cum eum fundamentũ ecclesiæ & clauigerum regni cęlorũ fecit, sed muneris eius, & potestatis opus & sedulã exercitationem commendabat: Nimirum vt pascendis

Christianum quid faciat.

Ioan. 21. Si diligis me pasce oues meas. Matth. 16.

diligenter ipsius ouibus Petrus testatum faceret, quantopere ipsum amaret. AVL. At ipse quoque Petrus post mirificas illas Christi promissiones ter ipsum negauit. MON. Rene mones. Istuc ipsum confirmat sententiam meam. Nam si Petro illa negatio non obstitit, quo minus promissum à Christo munus & potestatem obtineret, ne successoribus quidem eius quippiam eiusmodi obstare debet, quo minus eo ipso munere fungatur. Negando autem Christum Petrus, charitatem amisit, fidem non amisit. Credidit enim nihilominus Christum esse filium DEI viui, sed timore mortis charitatem superante, confiteri eum tunc ausus non est. Et mox eum facti pœnituit, fide videlicet pœnitentiam suggerente, charitatemque amissam reuocante. Quod Marcellino papæ itidem longè post vsu venit. Nec tamen is etiam propterea pontifex, & pastor caputque ecclesię esse desijt. Argumento est, quod eum Sinuessana synodus, vt prius dixi, iudicare noluit: Presbyteros autē, qui eum ad tēplum idolorum euntem deduxerant, condemnauit. Igitur neque in suscipiendo, neque in admistrando eximio illo cathedrę Christi & successoris Petri munere requiritur, vt quis, itidem ac Petrus, charitate præditus, & in

Petrus negans Christum fidem non amisit, nec munus collatum.

Concil. tom. 1.

& in dictis iuxta ac factis irreprehensibilis & sine crimine sit. Alioqui malè cõsuluisset ecclesiæ suæ Christus, cui tãquam chariss. sponsæ & corpori suo optimè consultum voluit. Itaq;, Ego, inquit, pro te rogaui, vt non deficiat: Quid? Integritas vitæ aut charitas? Non. Sed fides, fides tua. Tuáne autẽ ipsius caussa? Nequaquam: Sed ad confirmãdos fratres, hoc est, in cathedra ac doctrina tua. Hac enim ex illa confirmantur fratres lapsi, vel vacillantes? Quod aliunde & aliter non tam cõmodè fieri potest. Nam & vniuersalia concilia congregare in tam latè patenti religione Christiana, & varijs casibus atque incommodis subinde obnoxijs, mutuisq; odijs & inimicitijs conflictantibus inter se populis operosum ac perdifficile est: & sanctorum ac rectè sentiẽtium patrum consentientem doctrinam exquirere non multò facilius: Nec omnia verò, quæ in controuersiam veniunt, aut venire possunt in religione, ab ijs definita & explicata sunt. Quod ad eundem modũ de moribus quoque & institutis ecclesiæ catholicæ tibi accipiẽdum est. A Petri vero cathedra doctrinam salutarẽ petere, non adeò difficile est: Quam in hoc à Christo erectam, & pro Mosis cathedra nobis relictã, eximijsq; prærogatiuis in ecclesia stabilitam esse

Pontificia doctrina necessaria ecclesiæ.

Cathedra Mosi.

ostendi, ne quando portæ inferorum prævalerent aduersus eam. Neq; enim existimandum est, quod prius etiam dixi, Deum minorem habere curam ecclesiæ per totum mundum diffusæ, quàm olim habuit vnius populi Hebraici synagogę. Cui probè is prospexit, si quod difficile & ambiguum iudicium de lege rebusq; & causis ad eam pertinentibus, exoriretur quod domestico iudicum siue sacerdotum iudicio rectè definiri nequiret. Licet autem ad cœtum sacerdotum Leuitici generis, in eo loco, quem ipse dominus elegerit, ministrantium, ambigentes remittat; tamen addit ei & iudicem, legalium videlicet eiusmodi causarum summum sacerdotem siue pontificem, qui eo tẽpore ministrat, vel, vt 70. interpretes interpretati sunt, præsidet ad ministrandum domino Deo, cuius potissimũ, siue adeò solius, vult stari iudicio, mortẽ interminans, si quis superbierit, nolens obedire eius, non aũt illorum imperio. Imperio autẽ dicit, non doctrinæ, vel iudicio, vt authoritatem eius euidentius exprimat ac sanciat. Igitur nos quoque à cathedra Petri, quæ eadem Christi cathedra est, Mosi cathedræ succedanea, difficilium & ambiguarũ atq; controuersarũ causarum definitionẽ, iudicijq; veritatẽ vt faci-

Deut. 17.

Pontificum doctrina an semper vera ac recta sit.

facilè, ita & rectè petimus. AV. Quid si fides quoq; ac doctrina cathedræ Petri & præsidũ eius Rom. pontificũ non semper vsq; quaq; integra & incorrupta permanet? MON. Hoc expectabam. AV. Quin recẽsentur nonnulli pontifices hæretici. MO. Scio recenseri cum ab hæreticis, tum à catholicis etiam quosdã. Nempe Marcellinum, Liberiũ, Felicẽ secundum, Anastasium 2. Honorium primum, Benedictũ vndecimum, Ioannẽ 22. Sed falso & per calumniam hæc eis nota inuritur. AVL. Non est satis hoc ita dicere. Probandum est certis documentis. MO. Immò illis, qui affirmant probãdum est. Et proferunt ij quidem nonnulla assertionis suæ partim argumenta, partim testimonia: Verum ab alijs quibusdam pijs ac doctis viris ea facilè refelluntur: Quæ & ego obiter hic perstringam. Ac Marcellinus quidem ob id, quod metu tyrannorum semel thus dijs adoleuit, non magis pro hæretico aut à fide Christi alieno habendus est, quàm Petrus apostolus, quod eadem de caussa ter Christum negauit. De Felice secũdo nihil prorsus profertur, quod vel tenui hæreseos suspicione eum aspergat. Quin acriter is certauit aduersus hæreticos, & fautorem eorum Acaciũ Constant. patriarcham. Nisi fortè de eo Felice

Papæ qui habentur pro hæreticis.

Marcellinus.

Felix 2.

ce intelligant, quem Constantius Imperator Arianus per vim viuenti Liberio surrogauit. Is vero non fuit legitimus pontifex, cessitq; vltro ab exilio reuertenti Liberio: Qui & ipse tamē catholicus fuisse perhibetur. Nec de Benedicto vndecimo quidquam probabile affertur. Quin is nouem mensibus tantum pontificatu piè & religiosè functus, ab omni hæreseos suspitione fuit alienissimus. Nec minor, minúsve euidēs iniuria fit Ioanni 22. ab illius ipsius tēporis scriptoribus quibusdam venalilitijs in gratiam Ludouici Bauari Imp. ab eo pontifice execrati ac depositi, qui ipsi hæreseos vel schismatis duntaxat damnantur. Quanquam huic tamen certum dogma prauum adscribitur: de quo paulo post fortasse dicendum erit. Vnde liquido constabit, neque hunc pontificem hæreticum fuisse. De Anastasio Gratiani decretorum consarcinatoris fabula est, nullo vetustioris cuiusquam scriptoris testimonio, ac ne probabili quidem cōiectura nitens. Nam quod is occultè voluerit reuocare Acacium, Primum non satis est caussæ, voluisse, si non fecit, vt pro hæretico damnetur. Vulgatum est illud: De occultis non iudicat ecclesia. Deinde nō fuit caussa, cur ille id occultè facere vellet, cū multos haberet in oriente vnà cum Imperatore

Benedictus xi.

Ioānes 22.

Anastasius.

19. dist. c. Anastasius.

tore fautores mortuus etiam Acatius. Postre mo nec verum, nec verisimile est, id eum voluisse, cum Acatius aliquanto ante eius pontificatum excommunicatus obierit. Ipse quidem Anastasius ad Anastasium Augustũ scribens Acacij (mortui nimirũ) nomen propter graues excessus & præsumptiones eius eximi vult è sacris cõmentarijs. Vides igitur, quàm falso ei crimẽ hæreseos ab vno, & eo quidem nouitio, nec raro leuiculo scriptore impingatur. Altera vero caussa, quam adscribit idem, etiam leuior est, videlicet, quod cum Photino quodam diacono Acacij communicatore communicauerit. Quod vt verum esse demus, num in infinitum procedit ista cum cõtaminatis communicãdi contaminatio? Vbi autem locus erit eximiæ illi ligandi & soluendi potestati, quam Petrus & successores eius acceperunt à Christo, si hic nõ est? Quin eos etiam qui baptizati, vel sacris initiati essent ab Acacio, recipi in communionẽ ecclesiasticam voluit Anastasius hic, schismatis tollendi, & pacis ecclesiasticæ redintegrandæ gratia. Id autem secundum ecclesiæ catholicæ cõsuetudinem fieri ipse affirmat. Et constat id ab alijs multis partim factitatum, partim probatum esse, qui tamẽ in suspicionem hæreseos non veniunt. Tametsi nec ipse Gratianus

Anast. papa ad Anast. Imp.

Anast. ibid.

tianus pro hęretico eum habitũ fuisse scribit: Sed multos clericos se à cõmuniõe ipsius subtraxisse, vel, vt ipse loquitur, abegisse. Quod vt rectè fieri potuerit (quod tamẽ negare possum) ita sine hęreseos pręiudicio fieri potuit. Reliqui sunt Liberius & Honorius, contra quos nõ desunt grauia testimonia ac pręiudicia.

Liberius.

Liberio illud impingitur, quod coactus ab Imp. Cõstãtio vel victus exilij tędio hęreticorũ cõmunione se polluerit, vel dogmati Ariano, Athanasiíve dãnationi subscripserit. Nec est incredibile hanc de eo famã ab Arianis sparsam fuisse in oriente, vbi hæc ab Hieronymo & Athanasio de eo scripta sunt, vt solent hęretici magnos viros, quãuis reluctantes, sibi vẽdicare. Et fecerãt longè ante Artemoniani asseuerantes Victorẽ papã secũ sentire, vt est apud Eusebiũ. Vt aũt demus, verũ id fuisse, tamẽ cõmunio cũ hæreticis non statim facit hæreticũ, nisi quis ipse quoq; prauũ & hęreticũ dogma profiteatur. Quod si metu tyrãni subscripsit is hęresi, nec id sătis est causæ, cur habeatur pro hęretico: nõ magis, quã Marcellinus, de quo modo dixi, & Petrus Apostolus pro infidelib⁹. Sed falsam eam famã de Liberio fuisse testãtur Sozomenus & Nicephorus. Liberant etiam hac nota Socrates, Theodoretus, & Ambrosius. Quorum hic

Hier. de vir. illustr. Ath. ad solit. vit. agẽtes.

Euse. hist. eccl. li. 5. ca. 28.

Sozo. li. 4. ca. 15. hist. eccle. Nice. li. 9. ca. 57. Ambr. de virginit. li. 2.

beatæ

beatæ memoriæ Liberium dicit: Theodoritus optimum liberium Romanarum matronarũ precibus ab exilio reuocatũ esse scribit. Addit Socrates Constantiũ præter animi sui sentẽtiam cõsensisse, vt reuocaretur. Fecisset aũt is ex animi sui sententia, siue matronarũ precibus, si ille subscripsisset. Honorij nomẽ prægrauãt quidẽ acta sextæ, septimę, & octauę synodorũ Oecumenicarũ, in quibus id inter alios Monothelitas recẽsetur. Sed vindicat eũ ab hac nota illud, quod is sexaginta fere annis ante illã synodũ, cũ esset põtifex, primus Monothelitarũ hęresim dãnauit, Heracliũ Imp. ab ea reuocauit, &, vt is Pyrrhũ eius assertorem relegaret, perfecit. Et extant duæ ipsius epistolæ, quæ id, quod volunt isti, non probant. Ita vt verisimile sit, posterius à falsarijs Græculis illud de Honorio infartum esse in acta illarum synodorũ. Quemadmodum & in quintam Synodum nõnulla infarta fuisse, legati sedis apostolicæ in ea ipse sexta synodo conuicerunt. Negat is quidẽ in epistolis illis suis vnam vel duas operationes dicẽdas esse in Christo, veritus ne homines vel in Nestorij, vel in Eutychetis cõtrariam hęresim, quę tũc vigebãt, inciderẽt. Hoc si peccatũ est, peccatũ imprudentia est, quę hęreseos crimẽ nõ facit. Certè nõ definit in Christo vnam esse operationẽ, ne voluntatẽ quidem,

Theo. li. 2. ca. 17. Socr. li. 2. ca. 37. hist. eccle.

Honorius.

Sexta syn. Sept. act. 3. 6. & vltima Octaua act. 7.

Sext. syn. sess. 3. & 14.

quòd contendebant hæretici: Immò in contrariam partem magis propendet. Neque hic ergo fuit hæreticus. Non ergo defecit adhuc fides Petri, aut cuiusque successoris eius. Nec portæ inferorum prævaluerũt aduersus eos. Nec quisquam eorum fuit à fide deuius. AV. Quid igitur respondes ad illa, quæ tuipse è Gratiano recitasti, & idem Anacletum papã, & concilium quoddam. Rom. sensisse adiecisti? MO. Nihil ij affirmant, sed cum cõditione, vt aiunt Grammatici atque etiam iureconsulti, enunciant, tunc videlicet posse papam iudicari, si sit à fide deuius. Quanquam Anacletus & concilium illud non de papa disertè scribũt, sed in genere de pastore. Vt aũt demus, papam posse fieri, hæreticum & à fide deuium, propter illa adiecta à Christo ad Petrum verba: Et tu aliquando conuersus, (Quoniam id demum conuertitur, quod auersum fuit.) Nec liberari Honorium dũtaxat eo crimine, propter trium Oecumenicarum synodorum, & vnius atque alterius successoris eius grauissima iudicia, quorum omnium acta tam facilè adulterari potuisse vix credibile est: Vt inquam demus, papam aliquem minus recta, & verbo Dei consentanea fide fuisse, doctrina tamen eorum integra & incorrupta semper fuit. Proferuntur quidem

quidem nonnulla quorundam pontificum dogmata, quasi à verbo Dei & vniuersę eccle siæ Christi sensu aliena. Quale est illud Ioannis 22. Iustorum animas non videre Deum vsque ad diem iudicij: Et illud Gelasij, quod in Eucharistiæ sacramento, post consecrationem, panis & vini substantia maneat. Quod in Lutheranis reprobamus. Illud item Gregorij tertij. Quod si vxor per infirmitatem viro suo debitum reddere non potest, liceat viro, ea dimissa, aliam ducare. Quod quidem pugnare videtur cum doctrina euangelica & apostolica. Quin & illud Innocentij tertij, quod scribit is: Cum Deuteronomium secunda lex interpretetur, debere in nouo testamento obseruari, quod ibi decernitur. Iam & pugnare inter se nonnullorum pontificum placita ostenduntur. Vt cum Nicolaus primus vetat rebaptizari eum, qui in nomine Christi baptizatus sit, Pelagius vero & Zacharias contrarium definiunt: Cum Nicolaus quartus definit, Christum verbo & exemplo abdicationem proprietatis rerum omnium docuisse. Ioannes autem 22. id erroneum esse affirmat. Ita Alexander tertius statuit, Matrimonium per verba de prę senti, vt loquuntur iureconsulti, contractum, nec tamen per copulam carnalem consummatum, per aliud

Pontificum quorundã doctrina notata.

c. à quodã Iudæo. De cõsecra. 4. c. Si reuera, & c. multi, & c. in syn. ead. dist. c. Exijt qui sem. de ver. sign. li. 6. In extraua. Io 22. c. Cũ inter mult. c. licet. De spõsa duor

posterius contractum & consummatum non dirimi, licet aliter quidam prędecessores sui iudicauerint. Ita Innocētius tertius decreuit, Non solui matrimonia si aliter coniugū labatur in hæresim, licet quidā prædecessor eius (Cœlestinus videlicet) aliter sensisse videatur. In his dogmatibus cum diuersę & contrariæ sint Pontificum doctrinæ, certè alteram veram & salutarē, alteram falsam & pestilentem esse oportet. A V. Quid igitur tu ad hęc? Hinc certè errare posse, & errasse aliquando Rom. pontifices conuincuntur. M O N. Dicam quod ex alijs didici. Primum, Ioannes 22. si sensit Sanctos ante diē iudicij Deū non videre, sensit idem quod Irenæus, Chrysostomus, Theophilactus, & nonnulli alij S. Patres ante eum senserunt, re nondum planè per ecclesiam definita. Et sensit priusquàm pontifex esset. Atque vt in pontificatu quoq; senserit, non tamen è cathedra definiuit. Quod itidem de Cœlestino tertio intelligendum est. Tametsi neque Innocentius tertius contrariū ei definit. Non credere se tantū scribit id, quod ille senserit, fieri posse. Ad eundem modū & illud accipiēdum est, quod Alexāder tertius memorat, aliter à quibusdā prædecessoribus suis iudicatū esse. Et iudicādi enim verbum itidem, atq; sentiendi, non-

c. Quanto de diuort.

Ioan. 22. error.

Cœlesti. 3. c. Quanto De diuor.

ca. licet. De sponsa duor.

nun-

nunquam opinionem, non definitionẽ signi ficat. Nec Innocẽtius 3. definit quidquã de le ge veterivel deuteromínio: Sed probabili ar gumẽto ab exẽplo vtitur ad persuadendũ id, quod absq; eo quoq; rectũ est. Audiuisti ex me nuper: Ita abrogata esse per euãgeliũ præ cepta legis ceremonialia & iudicialia, vt non sit tamẽ piaculũ, peti inde nonnulla ad vsum ecclesiæ Christi, præsertim authoritate eorũ, qui præsunt ecclesiæ. Iam quod Gelasius scripsit, In Eucharistia manere substantiã pa nis & vini: Scripsit vt priuatus in libello quo dã. Qui tamen libellus Gelasij papæ esse cer tis argumentis negatur. Gregorij tertij per- missionem de alia vxore ducenda, si prior per infirmitatem debitum viro debere ne- queat, viderit Gratianus, quo iure, quãve iniuria euangelicæ & apostolicæ doctrinæ aduersam esse pronunciet, si de ea infirmi- tate siue ineptitudine soluendi debiti con- iugalis, quæ ante contractum matrimo- nium extitit, loqui intelligatur Gregorius. Indulgetur enim nonnunquam errori in contrahendo matrimonio interuenienti. Quod apud iureconsultos in confesso est. De rebaptizandis vel non rebaptizandis ijs, qui in Christi nomine baptizati sunt, non sunt contrariæ definitiones pontificum.

Innocentius 3. c. per venerabilẽ. Qui filij sint legit.

Gelasius? Gelas. con. Eutych. & Nesto.

Gregorius 3. 32. 9. 7. Quod pro posuisti.

Nicolaus i. Neq; enim hoc definit Nicolaus, de quo consultus non fuit: Sed an baptizatus ab eo, quē non constet Christianum esse, rebaptizari de-

Nicola. 4. beat. Nec Nicolai 4. sententia contraria est definitioni Ioannis 22. Licet enim affirmet is, Christum viam perfectionis ostendētem, abdicationem proprietatis verbo & exemplo docuisse, non negat tamen, eum loculos habuisse, infirmorum perfectioni condescēdentem. At eam demum negationem tanquam falsam, & apertè pugnantem cum euangelio damnat Ioannes. Nihil igitur falsum aut prauum, quod ad fidei pietatisq; doctrinam attinet, vnquam è cathedra Petri adhuc profectum esse apparet. Nam priuatos in ea præsidentium sensus, & in externa rerum ecclesiasticarum administratione siue lapsus, siue prauitates tuendas suscipere nec debeo, nec possum. Propter peccata populi facit nō-

Pontificū lapsus & prauitates non tollūt potestatē.

Iob. 24. nunquam Deus regnare hominem hypocritam: Nec diuersum docet Christus de sedentibus in cathedra Mosi, quemadmodū prius aliquoties dixi. Sed præmuniuit is nos, vt quidquid de ipsa cathedra dixerint, audiamus & seruemus: Secundum opera autem eorum ne faciamus. Erat autem proculdubio inter cætera illius temporis scribarum & pharisæorum opera, etiam odium

Christi

Christi & infidelitas non modò intrinseca, sed etiam in opera externa sese exerens. Sed ea noluit is obstare, quominus doctrinæ eorum è cathedra, quoad eà durabat, pareretur. AVL. Quid si Papa præcipiat ac definiat aliquid, quod ad munus eius non pertinet? Exempli gratia: Duo vel tria esse rerum naturalium principia: Tria, vel quatuor, vel quinque elementa: Aut, Ne quis Christianus vescatur pane: Ne hic vel ille populus principem aut rempubl. habeat: vt opifices non vendant, sed gratis præbeant cuiuis operas & opera sua. MON. Facilis est ad hæc responsio. Quidquid excedit fines cathedræ à Christo in regno suo, hoc est, in ecclesia catholica constitutæ, nec ad religionem ab eo institutam quoquo modo pertinet, non est existimandum è cathedra definiri aut præcipi, etiamsi fortè definiatur aut præcipiatur. Nam vt architectus ædificandæ domui præfectus præscribit is quidem suo & optimo iure latomis, fabris, cæmentarijs, murarijs, lignarijs, mensarijs, ferrarijs, fenestrarum & funium confectoribus, textoribus, & cuiusque modi opificibus, fossoribus etiam & baiulis, & alijs operis ædificationisque illius administris omnibus, quid cuique faciendum

De pontifi cum doctri na extra munus ipsorũ quid sentiendũ.

sit,& quando,vbi, quomodo faciendum, & quale cuiusque opus esse oportet,sed hactenus modò,vt opera eorũ & ministeria ædificio instituto apta sint & subseruiant. Si quid autem aliud cuipiam præcipiat, velut exempli causſa,fossoribus, vt canant, fabris ferrareis ne malleis & igne vtantur, omnibus ne respirent,excesserit fines officij sui,nec vt architectus præcepisse videatur: Sic & ciuitatis ac reipub. moderator habet quidem ius & potestatem summã in eosdem omnes, & quoduis aliud genus hominum qui ea ciuitate & repub.continentur.Itaq; & singulis, & omnibus in commune,quod videtur,præcipit,precia rerũ venaliũ præscribit,& omnia facit ac definit:Sed ea modo iure suo definire & præcipere existimandus est, quæ ad institutum & rationẽ ciuitatis illius & reipub. conseruandæ pertinent,& eatenus,quatenus ad eum ipsum scopum quoquo modo referri possunt. Si quid autem aliud is statuat, vel definiat (velut vt mares sint fœminæ, vt nemo quidquã bibat, vt crudis carnibus & piscibus vescantur omnes)nihil prohibet, quin vel pro insano, vel pro tyranno habeatur. Ad eundem igitur modum cum Christus regni cælorum claues Petro & successoribus eius tradiderit,non nisi ea,quæ ad ip-

Clauium legitimus vsus.

sum

ipsum regnum cælorũ pertinent, ijs clauibus rectè clauduntur & aperiuntur. Quod quidẽ ipse etiã exẽplo suo docuit. Cũ enim quidã de turba eũ appellaret inquiẽs: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatẽ. Respondit ille. Homo quis me cõstituit iudicẽ, aut diuisorem super vos? Dixit aũt hoc is, qui fecit cælũ & terrã, mare, & omnia, quæ in eis sunt; & qui cõstitutus est à Deo iudex viuorũ & mortuorũ. Sed nõ ad hoc in mundũ venerat, neq; id pertinebat vlla ex parte ad eã rẽp. quã ille instituebat, hoc est ecclesiam. Multò minus aũt eius vicario quippiã ab officio suo alienũ vsurpare fas iusq; est, nec de cathedra is tunc docere existimãdus est. Proinde cũ dicitur; Omnia posse Papã; Rectè á theologis & iurecõsultis addi solet: Claue nõ errante. Ne vero ea erret, solent ac debẽt pontifices max. in rebus difficilioribus definiendis in consilium adhibere, quos ad manũ habent episcopos, sacerdotes, ac doctores, eos præsertim, qui Cardinales vocãtur, quod eo sint & esse debeãt loco in ecclesia catholica, quo cardo est in domo, nimirũ prẽcipuo, & in quo ostiũ domus vertitur. Ij vero primores sunt ecclesiæ Rom. qui cũ summo sacerdote ministrãt domino in loco, quem ipse elegit, & vt verbis Felicis Papæ vtar, vnà cum ipso apostolicum

Luc. 12.

Psal. 145.

Act. 10.

Papa omnia potest.

Papæ cõsiliarij.

Cardinales.

Fel. papa ad Petr. Antioch. episcopum Concil. to. 2. ante 5.

thronum regunt, eumq; in cathedra Petri locum obtinent, quē tenuerunt olim in cathe-
Num. 11. dra Mosis septuaginta senes, quos præcepit Deus eligi è senibus totius populi Israel, & promisit eis traditurū se esse de spiritu Mosis, vt sustentarent cum eo onus populi. Itaq; videre est in plerisq; pontificū decretis ac placitis adscriptum illud: De concilio, vel consensu V. fratrum nostrum. Nonnunquam aūt rectius explicandæ difficultatis caussa cogūt ij frequētiores etiam remotiorum patrum & episcoporum in partem solicitudinis suæ vocatorum cōuentus; nec solum prouincialia, vel patriarchalia, vel vniuersalia, verūetiam ea, quæ dixi medij generis vocari, concilia.

Concilia medij generis. Quę & ipsa vniuersalium vim & authoritatem obtinent, propterea, quod, licet non ex toto orbe Christiano, sed è compluribus tamē eius prouincijs & populis, de generalibus & communibus ecclesiæ catholicæ caussis à summo eius ipsius ecclesię pastore & moderatore coguntur, eiusq; iudicio & prescripto peraguntur. A quo etiā, itidē ac vniuersalia, eam, quā habent, authoritatē habent. Vocanturq; & ipsa nōnunquam generalia. Quale fuit Romę 284. episcoporum à B. Syluestro sub tempus Nicænę primæ Oecumenicę synodi celebratū. Cum qua ille ipse pōtifex

acta

acta ac decreta. Nicænæ synodi confirmauit. Tale etiam fuit in eadẽ vrbe sub initiũ sextæ synodi Oecumenicæ ab Agathone coactũ. Ex quo suggestio illa; de duabus in Christo voluntatibus & operationibus, quam secuta est sexta synodus, prodijt. Tale & aliud postea prope mille episcoporũ à Gregorio tertio contra Iconomachorũ hæresim cõgregatum ante Nicænam secundam Oecumenicã synodum: Quæ etiam ad illius præscriptum peracta est. Tale fuit & Lateranense ab Innocentio tertio, & aliud ibidem, à Leone decimo siue Iulio secundo nostra ferè memoria institutum: Quorum & antea mentionem feci. Quod si quis Tridentinum nuperum ex vniuersalium numero eximat, ex hoc certè medij generis & generalium conciliorũ albo eximere non potest, paremque nihilominus vniuersalibus authoritatem ei tribuat necesse est, quandoquidem id, vt ostendi, ritè conuocatum, & præsidentibus ac moderantibus legatis sedis apostolicæ peractum, & ad extremum ipsius etiam summi pontificis authoritate confirmatum est. A VL. Quid igitur concilijs vllis opus est, si tantum in ijs valet sola Rom. pontificis authoritas? Et absq; ijs autem, placita ac decreta eius pro certa ecclesiæ catholicæ doctrina habentur? MON.

Tridentinum cõcilium cuius generis.

Conciliorum vsus.

Dicam. Vt quemadmodũ Deus ſuauiter omnia diſponit, ita eccleſia quoque ab adminiſtris & moderatoribus ſuis diſponatur. Nimirum vt populi Chriſtiani peregrina doctrina vel ſchiſmate cõcitati, qui in vnius ſummi paſtoris atq; capitis doctrina nõ facilè acquieſcunt, diligentiori multorũ diſquiſitione, cõſenſuq; ac teſtimonio, quod ſic antiquitus eccleſię ipſorum ſentiant ac teneãt, adducti, de pertinacia ſua adducantur. Proinde pleræq; omnes, quæcunq; in eccleſia extiterũt, cõtrouerſię, primùm à ſummis põtificibus dijudicatę ac definitę ſunt. Quod ſi in eorũ placitis populi cũ ſuis principibus, vel epiſcopis etiã non acquieſcebãt, tum demũ cõgregata ſunt concilia: Quę tamẽ, ſicut oſtendi, nunquam contentioſe excuſſerũt, ſed ſemper reuerenter amplexa ſunt iudiciũ atq; doctrinã ſedis Apoſtolicæ, ſiue cathedræ Petri. Itaq; Adrianus primus pontifex cõmoto magna ex parte orbe Chriſtiano de venerãdis vel tollẽdis ſacris imaginibus, & Cõſtantino Imperatore cũ Irene matre flagitante, eam ob rẽ conciliũ Oecumenicũ, ea demũ lege aſsẽſus eſt, ſi impoſsibile eſſet hęreticorũ vęſanie pro incredulitate ipſorũ ipſas ſacras ac venerãdas imagines ſine ſynodi actiõe in priſtino erigere ac cõfirmare ſtatu. Vult aũt eos in traditione orthodoxæ fidei eccleſiæ B. Petri & Pauli prin-

Adr. ep. ad Conſt. & Ir. in Nic. 2. concil.

cipum apostolorũ acquiescere, eamq; amplecti. AV. Potéstne autẽ Papa posterior prioris, placita retractare? MO. Immò & de SS. Patrũ doctrina, & de cõciliorũ decretis, & de ecclesię totius moribus & institutis rectè idẽ quę-siueris. AV. Quid igitur tu ad hęc. MO. Leo quidẽ ille ter sanctus põtifex in genere ac nihil destinguẽs ita scribit. Nam quæ patefacta sunt quęrere; quę perfecta sunt, retractare; & quę sunt definita, conuellere, quid aliud est, quã de adeptis gratiã nõ referre, & ad interdictę arboris cibũ improbos appetit⁹ mortiferę cupiditatis extẽdere? Gratianus vero citat Zosimi papę decretũ his verbis. Cõtra statuta patrũ contendere aliquid, vel mutare, ne huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconcussis radicibus vicit antiquitas, cui decreta patrũ sanxere reuerentiã. Aliter, ipse se papa redarguere, quę cõstruxit, rursus destruens & cathedræ Petri fidem derogare videretur, retractans id, quod ex eadẽ cathedra, vel eius authoritate in concilio decretũ ac definitũ est, vel publico ecclesię catholicę sensu & consensu receptum. Hoc aũt intelligẽdum est in ijs potissimũ, quæ sunt fidei, & omnino iuris diuini, siue naturalis. Quæ apud nos Christianos omnino sacrosancta & inuiolabilia sunt & esse debent. In ijs verò, quę ad externam ecclesię politiam morésve,

Papa an retractare possit doctrinã ecclesiasticã.

Leo epist. 78.

25. q. 1. contra stat.

quibus in vtramuis partem constitutis aut publicè receptis, iuri diuino & naturali nihil detrahitur, ideo non posse dicitur, quia facilè & ex leui caussa facere non debet: Sæpe tamen incidunt tempora, vt quod prius rectum fuit, minus rectum, aut minus vtile seruatu esse incipiat, quemadmodum etiam antea de consuetudinibus, & SS. patrum cõciliorumque doctrina ostensum est. Si igitur publica ecclesiæ vtilitas aliquid eiusmodi requirat, negari non potest, quin facere id papa possit, sed non temerè, nec sine maturo consilio eorum, qui in partem solicitudinis vocati sunt, vel eorum duntaxat, qui cum eo ministrant domino Deo nostro in loco, quẽ ipse dominus elegit, secundam doctrinam Mosi, vt appareat, id quidquid est, non è priuata aliqua affectiõe, sed è cathedra, & ab ecclesia Romana, cui SS. patres & concilia eximiam illam potestatem & prærogatiuam adscribunt, profectum esse. AVL. Et tamen videmus pontificijs bullis non raro expresse derogari huius vel illius papę & concilij, siue adeò conciliorum decretis & constitutionibus. MON. Per indulgentiam fortasis, &, vt vocant, dispensationes priuatis hominibus concessas. AVL. Quid? Dispensationes istæ non labefactant atq; dissipant ea, quę à priori-

Derogationes & dispensationes pontificum.

bus

ribus pontificibus & concilijs rectè & salutariter decreta & constituta sunt? Itaque dissipationes eæ vulgo vocantur per iocũ. MO. Scio. Nos vero non facimus peccati & erroris prorsus exortem pontificem max. in ijs præsertim, quæ facti sunt, quemadmodum iureconsulti loquuntur, aut iuris etiam, sed humani, & vt vulgo vocãt, positiui. Quale plerunque est, quod pontificum placitis conciliorumque decretis sancitur. Eius autem iuris legibus soluunt Pontifices; In quo non admodum periculosè peccatur, nec difficulter indulgetur. Et in tanta autem mole negociorum, quæ sustinet pontifex, obrepitur ei non raro libellis supplicibus minus veris, & vel facilitate & negligentia, vel prauitate administrorum, quibus multis & cuiusque modi vtatur necesse est. Probari tamen eæ dispensationes non possunt, si quæ temerè & sine iusta grauique caussa conceduntur. Laxant enim & euertunt disciplinam ecclesiasticam, &, vt est in Tridentino concilio, vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperiunt. Proinde inspici & expendi eas vult hoc ipsum concilium, & Lugdunense item generale à Gregorio decimo pontifice habitum, à suo cuiusque episcopo: Scilicet vt quę minus iustè, & ex vsu publico concessæ esse videan-

Trid. cõc. sess. 25. ca. 18.

videãtur, eiusdẽ sedis apostolicæ iudicio retrectentur. Dubium tamen nõ est, interuenire nonnunquam iustas indulgendi, dispẽsandi, seu lege aliqua soluendi quempiã caussas: Idq; positum esse in põtificis max. potestate. Cum enim decreta & leges publicę iustis ex caussis sanciantur & sanciãtur vniuersę, non explicatis ferè caussis, aut explicatis quidẽ, sed vniuersę, & sine exquisita circumstantiarum, vt vocãt, quę variæ & penè infinitæ sunt in rebus & actionibus hominũ, descriptiõe, fit, vt eæ nõ ad omnes homines, neq; ad omnia loca ac tempora ex æquo pertinere possint. Lex autem si iusta non est, lex nõ est. Iniusta vero esset, si inæqualibus æqualia tribueret. Quæ cum ita sint, non est existimandum, legis conditorem teneri ea velle eos, qui peculiares & iustas habẽt caussas, cur soluti esse debeãt, quòd aut præstare legis præceptum non possint; aut si præstarent, inutiliter reipub. nec sine graui fortasse periculõ suo præstarent. Vt si ecclesia secundum doctrinam Christi magistri sui statueret vniuersę, ne quis duas tunicas haberet. Num existimaremus, id eam velle vt id statutum ex æquo ad pueros, adultos, senes, sanos, ægrotos, Moschos, Pilappos glacialis Oceani accolas, ardoribusq; solis subiectos Aethiopas,

Dispensandi necessitas.

pas, ac inter hos interiectos Grecos & Italos, in æstate iuxta ac hyeme, inter laborandum iuxta ac in ocio pertineret? Nihil esset iniquius. Abrogandáne autem statim esset lex vtilis & salutaris propter inæqualitatem illã? Minime gentiũ. Quid igitur? Suppleret æquitas id, quod lex in membranis scripta, vel in ære incisa propter varietatem & infinitatem circumstantiarum necessario prætermisit, & inæqualibus inæqualia permitteret. Certè non nouercæ, verum parentis more & affectione cum liberis suis agit ecclesia, cuius administri & oculi ac linguæ sunt pontifices & concilia. Nec desunt ei magistri & sponsi sui Christi, apostolorumque eius fundatorum suorum exempla: Qui & ipsi multum infirmitati hominum indulserunt. Hinc est illud, quod vnus ex ijs Paulus scribit. Hoc autem dico secundum indulgentiam. Ipse verò Christus rogatus à discipulis Ioannis; Cur, cũ ipsi & pharisæi frequenter ieiunarent, discipuli eius non ieiunarent; Non obscurè ostendit, id per indulgentiam suam fieri, dicens. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Sic igitur ecclesia quoque fecit. Præcipit multa publicè vtilia & salutaria.

Indulgentiæ.

1. Cor. 7.

Matth. 9. Luc. 5.

Clemen-

Clementer tamen indulget ijs, qui ea minus commodè præstare possunt. Estne autem id permittendum suo cuiusque, aut alterius cuiusuis arbitrio & iudicio? At ea esset ipsissima disciplinæ, ordinis, & consociationis ecclesiasticæ euersio. Sed sunt legum moderatores & interpretes, quasi animatæ leges, penes quos est ius & facultas, expensis singulorum caussis, soluendi lege eos, quos minus iustè, minúsve conuenienter ea teneri iudicarint. Ij sunt autem in ecclesia Romani & summi pontifices, quos dominus constituit super familiam suam, vt dent illi in tempore tritici mensuram: Non magis vnam & æqualẽ omnibus, qui in ea familia censentur, quàm vnicuique tempori & conditioni hominum accommodatam. Ea vero potestate si quando abutuntur pontifices, ipsi pro se rationẽ reddent villicationis suæ patrifamilias, à quo ei muneri præfecti sunt, Deo. Nec minus illi autem, qui per obreptionẽ, vel surreptionem, quemadmodum loquuntur iureconsulti, & falsa ex caussa dispensationem impetrarunt, eáve sine iusta caussa vtuntur. Valet ea tamen nihilominus, quod ad homines, eorumque inter ipsos consociationem attinet, nisi eiusdem, à qua indulta est, cathedræ authoritate retractetur. AVL. Etiámne, si contra expressum

Dispensandi ius penes papã.

Dispensatio obreptitia quatenus valeat.

sum Dei verbum sit? MON. Absit. Sed hic tibi in memoriam reuocanda sunt illa, quæ audiuisti ex me antea de verbo Dei, & scripturis, atq; traditionibus diuinis & apostolicis, quibus id continetur. Nempe, quod ea non vnius modi sunt, sed complectũtur præcepta partim immobilia, partim mobilia siue mutabilia. AV. Memini. MO. Illud quoq; tenere debes; Nõ omnia, quæ à prophetis, & apostolis siue scripto, siue sine scripto prodita sunt, diuinitus esse profecta. Sunt enim in ijs & historiæ, & multi hominum etiam impiorũ sermones atq; præcepta impia. Nonnulla etiam, quę ipsi præcipiunt prophetę & apostoli, non Christum vel Deum, sed se (humano nimirum consilio) præcipere, disertè profitentur, ita vt ea propriè pro verbo Dei habenda non sint, licet cõmuni appellatione verbum Dei vocentur, propterea quòd ab illis spiritu sancto dictãte ad vtilitatem hominum aliquam conscripta esse creduntur. Ac Dei quidem & ipsorum apostolorum atq; prophetarum præcepta, seruatu necessaria sunt: Non eodem tamen modo. Nam ea quæ verè diuina, ac diuini & naturalis iuris sunt, neq; papę, neq; humana vlla authoritate aut vniuersę abrogari, mutarive, aut priuatim cuiquam aduersus ea indulgeri fas est. Cætera cum ab ecclesia ca-

Verbi Dei ratio in scriptutis atque traditionibus

tholica mutari posse, & mutata esse nonnunquam ostenderim, consectarium est, vt ab eo quoq;, qui os est, & vertex, & caput, pastorq; & moderator ecclesiæ, vel vniuerse mutari, vel priuatim alicui per dispensationem & indulgentiã relaxari nefas non sit. AV. Potéstne aũt Papa aliquem fidei articulum nouum statuere, eumq; ecclesię credendum præscribere? MO. Non potest, neq; solus, neq; cum concilio. Ac neq; in sacramentis id facere potest, quod ad eorum substantiam duntaxat attinet. Quoniam hæc vtraque captum intellectus & potestatem humanam excedentia diuinitus, tantum traduntur, atque adeo semel per filium Dei, Deum & ipsum cum patre & spiritu sancto vnum, & apostolos eius tradita & absoluta sunt & immobilia, & iuris proprius diuini, quemadmodum dixi. Nisi forte sit aliquid eiusmodi, quod per analogiam è tradita semel fide & institutione ita dependeat, vt contrarium vel diuersum sentiendo, cætera omnia, vel vnum aliquid ex iis, quæ nobis disertè diuinitus prodita sunt, conuellatur, vel in dubium reuocetur. Tale quid si prius publica ecclesiæ catholicæ doctrina definitum aut explicatum non sit, rectè cum à põtifice max. tum à cõcilio definitur & explicatur, sitq; creditu & seruatu necessarium.

Solent

Solent autem in eiusmodi definitionibus tam concilia, quàm pontifices max. cum ad normam proditæ per Christum & apostolos eius doctrinæ controuersias expendere, decretaq; & placita sua accommodare, tum illud etiam profiteri: Pontifices quidem, Ecclesiam Rom. hoc ita à conditoribus suis principibus apostolorum Petro & Paulo acceptũ tenere: Concilia verò, Omnes, vel plurimas & præcipuas totius orbis terrarũ eccle sias earúmve antistites ac doctores antiquitus, vel iam inde ab initio in eo consentire: Aut nonnullos duntaxat è SS. patribus, quorum magna & recepta est authoritas in ecclesia, ex professo ita sensisse, & memoriæ prodidisse. Sic Leo papa primus definiuit; Duas esse in vna Christi persona distinctas naturas: Agatho autẽ distinctas esse vtriusq; naturæ volũtates & operationes. Quod vtrũq; sacris quidẽ litteris & verbo Dei, disertè proditũ non est, verũ quadrabat anologiæ fidei, qua proditum est ab initio: Christũ verum Deũ & verum hominem fuisse. Et ostendit nihilominus vterq; ecclesiam Rom. & SS. patres ante se ita sensisse. Ad eundem modum nuper ostendi, à primis illis concilijs Nicæno & Constantinopolitano definita esse nonnulla in articulis de filio Dei, & spiritu sancto. Im-

mò etiam de ecclesia: non tamquam noua prorsus, ac tunc primum excogitata, sed vt ijs quæ SS. scripturæ apertè ac disertè prodiderunt, consentanea, & superiorum etiam temporum ecclesiæ non omnino ignota aut peregrina. Sunt enim non modo cæteri episcopi, verum ipsi etiam Rom. pontifices in ecclesia, non vt filius in domo sua, sed vt serui in aliena, quemadmodum de Mose, & ipso summo sacerdote, & synagogę ac populi Dei moderatore scribit Paulus. Serui tamen fideles & eximij quos constituit dominus super reliquam omnem familiam suam. Quamobrem sic ij negotiari in bonis & facultatibus Domini sui debent, vt eas non dissipent, sed ijs saluis lucri insuper quàmplurimũ ipsi adijciant, nisi malint eius decreto proijci in tenebras exteriores. Habes igitur mi frater: Non feres autem molestè, ita te à me appellari: habes inquam, quæ à me hoc tempore de pontificũ max. conciliorum, SS. Patrum doctrina, moribusque & institutis ecclesiasticis: (quibus quatuor generibus omnis ecclesię catholicæ doctrina continentur) pro ingenij mei tenuitate dici potuere: Hæc est norma, & quasi Lydius lapis, ad quem omnia instituta ecclesiastica scripturæ sacræ earumque ac verbi Dei sensus, & omnem de fide & religione doctrinam

Pontifices quo modo se gerere debeant in ecclesia. Heb. 3.

Matth. 24.

Matth. 25.

Epilogus.

Norma omniũ de religione quæstionũ

ctrinam atq; controuersiam expendi & examinari oportet, si in ijs labi, errare, falliq; nolumus. Ad eum, si Lutheranorum & Confessioniſtarum, ſiue proteſtantium, Caluinianorum & Sacramentariorum, Anabaptiſtarum, Seruetianorum ac Trideitarum, Picardorum ſiue Valdenſium, & in ſumma omnium à nobis diſſentientium dogmata examinaueris, certo certius cognoſces, ea eſſe reproba, & ab eccleſiæ catholicæ doctrina, verboq; Dei prorſus aliena & impia. In ſola autem eccleſia catholica veram de Deo & religione eius doctrinam, veramq; & ſempiternam ſalutem, ac beatitudinem quæres, nec auelli te vnquam vel latum vnguem & ab eius doctrina patiere. AVL. Bone Deus. Quàm multa me improbum hominum perſuaſione execrandorumq; libellorũ lectione temerè ſeductum hactenus fefellerunt partim pro verbo Dei à me habita, quæ tunc te monſtratore apertè video nihil minus eſſe, quàm verbum Dei, partim iniuſtè pro prauis & impijs damnata, quæ recta & ſalutaria ſunt. Itaque plurimum tibi debeo aut debebo hoc nomine mi pater. Certè longe pluris hoc quatuor dierum ſermones tuos facio, quàm ſi me Rex Sigiſmundus Auguſtus inſigni aliqua præfectura, ac arce cum multis ac fru-

ctuosis villis & pagis donaret. MO. Hoc aulicum est. AVL. Serio loquor. MON. Gaudeo, non infructuosum fuisse laborem meũ. Verum, si te ex animo facti pœnitet, debebis id in ecclesia profiteri, agnitumque errorem vnà cum magistris suis damnare. AVL. Non recuso. Tuo quidem arbitratu. Quàm vellẽ autem vt singula dogmata, quæ nunc in controuersiam reuocantur ad istam normam ecclesiæ catholicæ expenderes, & penitus inspicienda mihi exponeres, quæ adhuc quasi per transennam adspicio MON. De omnibus id velle facere, laboriosum in primis, & infinitum esset, & quod à me præstare non potest. De vno atque altero facerem tamen periculum tua caussa, nisi me pater noster alio nunc ablegaret. AVL. Quàm odiosus est iste pater. MON. Sine. Res ita postulat. Et parendum est ijs, qui nobis præsunt. Sed iam sol vergit in decliue. Redeundum nobis est, bona venia tua, ad monasteriũ. Gratias tibi agimus de lauto & libero prandio. AVL. Longè maiores ego tibi debeo. MON. Vale. AVL. Vos quoque.

FINIS.

MAR

MARTINVS CROMERVS NICOLAO CROMERO FRATRI, ABBATI Velegradensi S. D.

ABsolui tandem, seu verius finiui quartum librum colloquiorum nostrorum de religione: Nec sine difficultate, &, vt ita dicam, lassitudine quadam, cum propter interpellantia, vt nosti mi frater, itinera, & obstrepentia alia negotia, tum valetudine corporis sex hisce mensibus non satis commoda impeditus. Vtinam quidem si non dignum labore, aliquod tamen operæpretium fecerimus, vel in iis, qui segregarunt semetipsos, in viam reuocandis, vel in pijs in ecclesia catholica retinẽdis, & in recta religione confirmandis. Verum Paulus plantat, Apollo rigat, Deus autem dat incrementum pro bona voluntate & benignitate sua. Non est autẽ difficile intellectu, quid, quantúmq; sit reliquum, quod hinc iacto per Monachum fundamento superædificandum sit, vt vulgo magis vtile sit opus. Nam eruditiores facile, ipsi sibi id superædificabunt: Alijs etiam fortasse. Sed vides, quid adhuc requirat à Monacho suo Aulicus: Nempe, vt in singulis controuersis dogmatibus vel specimen edatur, quomodo ad ostensam normam ea expendantur, & quasi ad Lydium lapidem probentur. Quæ mea sit ætas, qui labores, & in qui-

bus quàmque grauibus & varijs negotijs atque iti-
neribus iam inde à iuuentute acti, noſtri mi frater.
Attritæ corporis animiq; vires, vix ferunt iam ma
iorem lucubrandi laborem. Niſi immatura morte
olim te puero deceſsiſſet Andreas frater noſter, illi
hæc lampas à me rectè tradi potuit. Fuiſſet ille, ſi vi-
xiſſet diutius, columen familiæ noſtræ, immò, dicam
audacius, procul abſit inuidia, ornamentum Polo-
niæ noſtræ. Nunc tu reſtas Nicolae, natura frater,
ætate atque educatione fili, dignitate pater, cui po-
tiſsimum fratri pro fratre, minimo natu pro maxi-
mo præſtandum id fuerit. Non deeſt tibi ingenium,
non pietas, non doctrina, (niſi me fallit amor) non flo
rens ætas, non denig; ſumptus & ocium in iſta Abba
tia. Et quoniam iſtud vitæ inſtitutum, à monachis
nuper expetitus, optimi viri & noſtri amantiſsimi
Vilelmi Pruſinouij Olomucenſis epiſcopi ſuaſu ele-
giſti, videris etiam hoc nomine explere debere. Ab-
bas pro Monacho, quæ Aulicus expetit & expectat.
Accingere igitur, vt eius deſiderio, atq; adeò mea
multorumque de te expectationi ſatisfacias; Et vel
Moraviæ tuæ, Poloniæq; noſtræ prauis hæreticorum
dogmatibus grauiter diuexatæ aliquid opis affe ras,
animiq; tui gratitudinem teſtatam facias. Veniat
tibi in mentem illius è ſatyra verſiculi.
Semper ego auditor tantum, nunquámve reponam?
Vale. Crac. 12. Cal. Ianuar. M. D. LXVIII.

IN-

INDEX ALPHABETICVS EORVM, QVAE IN PRAECEDENTI DIALOGO TRACTANTVR.

A

Anacephalæosis superiorum librorum 3
An è scripturis tantũ iudicandũ in concilijs 147
apostolica synodus an è verbo Dei definiuerit 147
apostoli sunt linguæ Christi 39
apostoli an errarint in fide 69
apostolicæ doctrinæ certitudo 42

C

de Canonibus sextæ synodi quid sentiendum 119
caput regit totum corpus 180
christianorum quid faciat 183
clauium legitimus vsus 199
comitium vniuersale quid faciat 118
concilium vniuersale legitimum 176
concilium quando sine papæ authoritate congregatur 142
concilium pharisaicum 152
concilium Tridentinum ab hæreticis dissipatũ 135
concilium liberum 121
concilium Christianum 121
concilium vtile quid efficiat 118
concilium vniuersale quodnam sit 112
concilium vniuersale primum Nicænum 104
conciliabulum Ephes. 2. cur retractatum 167
concilij Ephesini progressus 79
concilij Basilensis censura 174
concilij Chalcedon. quædam retractata à papa 167

concilij conuocandi vis penes quem sit 136
concilia vniuersalia an cessarint 178
concilia vniuersalia legitima quæ 177
concilia an retractentur 160
concilia an contra verbum Dei statuant, & quænam 156
in concilia quis inquirat 154
concilia qua authoritate congregata ab imperatoribus 138
concilia an in hæreticorum locis instituta 134
ad concilia qui admittendi 122
concilia vniuersalia vnde dicta 115
concilia vniuersalia quando retractentur 110
concilia vniuersalia sunt doctrina ecclesiæ 109
concilia quæ retractentur 109
concilij medij generis 106.200
concilia antiquissima 101
concilia rara in primitiua ecclesia 101
conciliorum iudicia vnde petantur 158
conciliorum decreta de fide emendata 111
conciliorum vis & authoritas vnde 106
conciliorum vniuersalium causæ 105
conciliorum genera 103.104
conciliorum origo & authoritas 99
conciliorum fons 99
conciliorum materia 99
conciliorum forma 100
conciliorum finis 100
conciliorum authoritas 100
conciliorum vsus 100.201
in concilijs vniuersalibus causa fidei tractanda 105
Constantiensis concilij vis & ratio 143
consuetudo interpres scripturæ 19
consuetudo ecclesiæ in quibus valeat 19

consuetudines ecclesiasticæ quæ seruandæ, & quatenus 15
consuetudines prauæ vitandæ 16
consuetudines temporariæ 25
consuetudines ecclesiæ quomodo cognoscendæ 31
consuetudinum particularum ratio 33
consuetudinum eccles. mutatio 26
in consuetudinibus temporarijs quid sequendũ 31
in consuetudinibus particularibus quid sequendum 34

D

Dei suauis rerum dispositio 29
derogationes & dispensationes pontificum 204
dispensatio obreptitia quatenus valeat 208
dispensandi necessitas 206
dispensandi ius penes papam 208
doctrina ecclesiæ 6
doctrina patrum 75
doctrina patrum in quibus amplectenda est 85
de doctrina patrum singulorum vel paucorum quid sentiendum 88
de doctrina episcoporum & presbyterorũ quid sentiendum 42

E

Ecclesia quomodo doceat 5
ecclesia an errat 70
ecclesia an iudicet de concilijs 153
ecclesiæ vna lingua 58
ecclesiæ linguæ 39
ecclesiæ lingua ac digiti 6
ecclesiæ pietas & indulgentia 27
episcopi & doctores sunt oculi & linguæ ecclesiæ 37
episcopi concilijs frequentandis obnoxij 117

episcopi à iuramentis an absoluendi 132
episcopi superiores principibus 138
episcoporum & sacerdotum doctrina, ecclesiæ est 37
euangelium quid 146
euangelici quos velint esse iudices in concilijs 130
euangelici concilium Tridentinũ aspernantur 119
euangelici quale concilium expetant 120
euangelicorum protestantium leges concilio præscriptæ 120
euangeliorum liber in concilijs propositus 144
euangelicorum codex in concilijs cur proponatur 147
exemplum, institutum & consuetudo quomodo differant. 14
exempla quæ amplectenda 15

F

Fides & securitas præstanda hæreticis 135

G

in Germania an instituendum concilium 133

H

Hæretici & schismatici non admittendi in consessum concilij 130
Hæretici confugiunt ad figuras 144
hæreticorum & schismaticorum conciliabula 108
hæreticis concilia terribilia sunt 103
hæreticis conuersis quid faciendum 79

I

Ieiuniorum prisca ratio 25
ieiuniorum disciplina remissa 28
Ioan. 22. error 194
imperatoris in concilijs officium 125
imperatores an conuocare possint concilium 136
in nomine Christi congregari quid sit 176
iudicium doctrinæ quale esse debeat 46

iudicio alieno an credendum sit sine suo cuiusque 45
iudices conciliorum 124

L

Laici in concilijs 124
Lutherus epistolam ad Hebræos cur è canone reiecerit 20

M

Missa sacrificium 18
Mores & instituta ecclesiæ sunt eius doctrina 12

N

Norma omnium de religione quæstionum 212
Nouatanorum error de non recipiendis pœnitentibus 19

O

Officia Christiani hominis 1
Officia membrorum corporis distincta 51
Orandi sedulitas quàm vtilis sit 2
Oratores imperator. & regum in concilijs 128

P

Papa omnia potest 199
papa præsidet concilijs 161
papa nolente instituere concilium quid agendũ 143
papa concilijs moderatur 162
papa non subest concilio 169
papa non iudicatur à concilio 173
papa in casu hæreseos an iudicetur 179
papa an retractare possit doctrinam ecclesiasticam 203
papa & concilium an nouos articulos fidei possit statuere 210
papæ qui habentur pro hæreticis 187
papæ conciliarij 199
patriarchæ quinque 116

patri-

Patriarchæ noui 116
patres qui 75
patres errarunt 83
patrum doctrina duplex 95
patribus dissentientibus quid agendum 88
Petrus negans Christum fidem non amisit, nec munus collatum 184
Petri à Paulo reprehensio 71
Pharisaicus cœtus quis 73
in Pontifice quid requiratur 182
pontifices quomodo sese gerere debeant in ecclesia 212
pontificia doctrina necessaria ecclesiæ 185
pontificum doctrina an semper vera ac recta sit 186
pontificum quorundam doctrina notata 193
pontificum doctrina an semper sit doctrina ecclesiæ 181
pontificum placita sunt doctrina ecclesiæ 179
præsidentia honoraria imperatorum 162
presbyteri an pertineant ad vniuersale concilium 128
de purgatorio doctrina 20

R

Romani imperij status 116
Rom. pontificis ac ecclesiæ firmitas in fide 170

S

Sacerdotio cessante, nec Dei verbum Iudæi habuere 152
sacerdotum est iudicare doctrinam 36
sacerdotum prauitas 40
sacerdotum doctrina sequenda 52
de sacerdotum authoritate deuteron. locus 54
Sacramentis alligatus Deus 61
scriptura S. in concil. quem locum teneat 145

EX LIBRIS
Nr.

scriptura sacra an sit iudex in concilijs 124
scripturarum censura ex traditione ecclesiæ 54
de scripturarum sensu iudicatur in concilijs 170
in scripturis exponendis licet à consensu patrum discedere. 87
de scripturis sacerdotum iudicium 145
spiritus sanctus etiam indignis & malignis adest 63
spiritus S. an sit alligatus ministris ecclesiæ 60
spiritus priuatus 49
spiritus S. magisterium cui promissum, & quomodo 50
spiritus sancti dona varia 66
suffragiorum ratio in concilijs 158

T

Traditiones apostolicæ 7
traditiones humanæ 8
traditiones humanæ approbatæ 8
traditiones quales damnatæ à Christo 9
traditiones ecclesiæ seruandæ 11
traditiones diuinæ recipiuntur ab hæreticis 7
traditiones necessariæ & non necessariæ 24
traditionum diuersitas & distinctio 6
Tridentinum concilium cuius generis 201

V

Verbi Dei ratio in scripturis atque traditionibus 209

FINIS.

Bibliothecae

BIBLIOTEKA
WARMIŃSKIEGO SEMINARIUM DUCHOWNEGO
„HOSIANUM"
w Olsztynie
Dp 157
O-1/51